



BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St-Germ.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
Ant. Aug. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire de l'Université, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

D. JUNII JUVENALIS

AQUINATIS

SEXDECIM SATIRÆ

EXCUDEBAT RIGNOUX

TYPOGRAPHUS

D. JUNII JUVENALIS

SEXDECIM SATIRÆ

AD CODICES PARISINOS RECENSITÆ

CUM INTERPRETATIONE LATINA

LECTIONUM VARIETATE NOTIS RUPERTIANIS

EXCURSIBUS ET INDICE ABSOLUTO

QUIBUS PLURIMA SUBJUNXIT ADDITAMENTA

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN SECUNDUM



PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXV


BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·

D. JUNII JUVENALIS

AQUINATIS

SATIRARUM

LIBER TERTIUS CONTINUATUR,

CUM INTERPRETATIONE LATINA,

VARIIS LECTIONIBUS,

ET SELECTISSIMIS OMNIUM COMMENTARIIS.

SATIRÆ NONÆ

ARGUMENTUM.

Turpia qui tolerant, nona carpuntur iniqui.
Concubitus diri et Sodomitica probra notantur.

CINÆDI. — QUERELA NÆVOLI DE RE IMPUDICA. — IN PATHICOS. — AD NÆVOLUM. — AD NÆVOLOS. — LOQUITUR AD PARASITUM QUEMDAM, QUI SERVIT REGIBUS.

Nævolum pædiconem tristi vultu obvium poeta percontatur, quæ sit mœstitiæ ipsius, rugarum ac maciei causa, et utrum vitæ genus mutaverit, v. 1—26. Ille respondet, hoc vitæ institutum aliis quidem fuisse perutile, se vero, præter tenuia quædam munera, nihil inde fructus percepisse, quod et necessitati durissimæ fati tribuendum sit, et avaritiæ Virronis aliorumque divitum cinædorum, qui levissima quæque dona ac beneficia, in draucos collata, iis exprobrent, et gratis operam sibi ab illis cupiant præstari, quamvis deformes sint, et hisce clientibus suis omnem conjugii felicitatem et

jura parentum legatorumque capiendorum debeant, v. 27—90. Poeta miseratur sortem Nævoli; isque rogat, ut occulta ipsi credita reticeat, quoniam pathici odio prosequantur eum, a quo timeant libidines suas evulgari, et vel necem illi machinentur, v. 90—101. Juvenalis contra monet, ab eo, qui plures servos habeat, nihil, ne noctu quidem, clam posse perpetrari, et recte vivendum esse, cum alias ob causas, tum præcipue, ut contemnere liceat linguam mancipiorum, quæ quidem pessima eorum pars sit, v. 102—122. Hoc consilium salutare quidem esse fatetur Nævolus, sed nunc rationibus suis parum conducere post consumtum jam ætatis robur et spes deceptas, v. 123—129. Poeta eum meliora sperare jubet, quum stante Roma numquam defuturi sint homines molles ac cinædi, v. 130—134. At Nævolus spem, inde concipiendam, felicibus tantum propositam esse dicit, non sibi, quem Fatum velit tenui victu contentum esse, et in cujus vota Fortuna sit surda, v. 135—150.

SATIRÆ NONÆ

ANALYSIS.

Satira hæc lepidissimis plena salibus, sed et obscœnissimis, totaque dramatica est; quæ quidem carminis forma argumento quam maxime congruit pluribusque facetiis immiscendis occasionem præbet. Nævolus vero draucus non solum poetæ turpissimum vitæ suæ genus aperte exponit, sed etiam Virronem pathicum (v. 40—90) ingratissimi insimulat animi, quippe qui pro summis beneficiis laboribusque nulla rependat præmia. Ita utrumque hominum genus, et pædicones et cinædi, acerrime exagitantur.

N. B. Hanc inprimis sextamque Satiram, quales ingenio conceptas Juvenalis emisit, interpretari horrebam: de quo crimine neque dissimulando, neque defendendo, nonnulla timidus proposui in mea præfatione primo volumini præfixa; quæ perpendas, quæso, lector optime, ut si non ignoscendam, saltem deplorandam conditionis meæ necessitatem judicare possis. Ed.

SATIRA NONA.

JUVENALIS, NÆVOLUS.

JUVENALIS.

Scire velim, quare toties mihi, Nævole, tristis
Occurras fronte obducta, ceu Marsya victus.
Quid tibi cum vultu, qualem deprensus habebat
Ravola, dum Rhodopes uda terit inguina barba?
Nos colaphum incutimus lambenti crustula servo.
Non erat hac facie miserabilior Crepereius
Pollio, qui triplicem usuram præstare paratus
Circuit, et fatuos non invenit : unde repente
Tot rugæ? certe modico contentus agebas
Vernam equitem, conviva joco mordente facetus,

SATIRÆ NONÆ INTERPRETATIO.

JUVENALIS, NÆVOLUS.

1. JUV. O Nævole, scire cupiam, quamobrem toties obvius mihi sis mæstus et dejecta contractaque fronte, velut Satyrus Marsyas ab Apolline superatus; cur habes tristem vultum, qualem ille Ravola, qui deprehensus fuit, quum inguina meretricis Rhodopes lamberet et madida barba tereret? nec immerito timuit; namque nos servo, qui lambit tantum crustula, colaphos impingimus. Non hac tua facie miserabilior fuit Crepereius Pollio, quum anxie quæritans, a quo pecuniam mutuaretur, pollicitusque usuram triplo majorem solita, neminem tamen reperit adeo stultum, ut ipsi non soluturo nummos dare mutuos velit. Unde tibi tot rugæ repente venerunt? hactenus quidem parvo contentus vernum equitem exhibebas, et convivia jocis mordentibus facetisque salibus intra Romæ mœnia natis, id est,

Et salibus vehemens intra pomœria natis.
Omnia nunc contra: vultus gravis; horrida siccæ
Silva comæ; nullus tota nitor in cute, qualem
Bruttia præstabat calidi tibi fáscia visci;
Sed fruticante pilo neglecta et squalida crura.
Quid macies ægri veteris, quem tempore longo
Torret quarta dies, olimque domestica febris?
Deprendas animi tormenta latentis in ægro
Corpore, deprendas et gaudia: sumit utrumque
Inde habitum facies: igitur flexisse videris
Propositum, et vitæ contrarius ire priori.
Nuper enim, ut repeto, fanum Isidis, et Ganymeden,
Pacis, et advectæ secreta palatia Matris,
Et Cererem, (nam quo non prostat femina templo?)
Notior Aufidio mœchus celebrare solebas,
Quodque taces, ipsos etiam inclinare maritos.

NÆVOLUS.

Utile et hoc multis vitæ genus; at mihi nullum

honesta urbanitate plenis, quamvis acribus, condiebas. At hodie omnia in contrariam partem versa: facies tetrica; aridæ comæ silva horret, neque pexæ, neque unguentis delibutæ; nullus nitor in tota cute, qualem tibi conferebat fascia fervente picis Bruttiæ visco illita; sed crura neglecta, pilisque silvescentibus hirsuta et aspera. Unde tua ista macies, qualis ægroto, quem jamdudum consumit febris arida, ipsius venis inhærens, et quarta quaque die resurgens acriter? in corpore languido occulti cruciatus animi se produnt, ut gaudia in vegeto apparent: ex animi habitu diverso, diversus est in vultu mœroris aut lætitiæ color; itaque vivendi institutum mutasse, et aliud iter priori oppositum iniisse mihi videris: namque haud ita pridem, ut memini, tu famosior adulter Aufidio ipso consueveras frequentare templum Isidis; et Jovis, in quo Ganymedis statua; fanum Pacis; secretas ædes Matris Deorum Cybeles ex Pergamo Romam advectæ; et ipsius Cereris delubrum; nam quo in templo mulieres se non prostituunt? et quod fateri refugis, solebas etiam ipsos maritos ad stuprum incurvare.

27. NÆV. Illud quidem vivendi institutum multis fructuosum est;

Inde operæ pretium : pingues aliquando lacernas,
Munimenta togæ, duri crassique coloris,
Et male percussas textoris pectine Galli
Accipimus, tenue argentum venæque secundæ.
Fata regunt homines; fatum est et partibus illis,
Quas sinus abscondit : nam si tibi sidera cessant,
Nil faciet longi mensura incognita nervi,
Quamvis te nudum spumanti Virro labello
Viderit, et blandæ assidue densæque tabellæ
Sollicitent : Αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα κίναιδος.
Quod tamen ulterius monstrum, quam mollis avarus?
— Hæc tribui; deinde illa dedi; mox plura tulisti;
(Computat, ac cevet!) ponatur calculus; adsint
Cum tabula pueri; numera sestertia quinque
Omnibus in rebus. : numerentur deinde labores.
— An facile et pronum est agere intra viscera penem
Legitimum, atque illic hesternæ occurrere cœnæ?

mihi vero nulla hinc laboris merces rependitur, nisi quod interdum duram pinguioris lanæ, et crassi fili, deterrimique coloris lacernam, imperite a Gallico textore confectam, in togæ munimentum accipio, aut etiam tenue vas argenti nec venæ purioris. Fatis reguntur homines; fata regunt etiam pudendas illas partes quas anterioris togæ sinus abscondit. Nam si tibi aversa non favent sidera, nil proderit membri virilis mensura, licet longa et insolita, neque ulli ante visa; quamvis te nudum Virro impudicus spumantibus labris viderit; et te assidue blandis crebrisque litteris ad libidinem sollicitaverit : nam ipse cinædus sua vi, tanquam magnes ferrum, virum ad se trahit. Quid tamen pejus, quid turpius similiusque monstro, quam hominis impuri et pathici avaritia?—Hæc, inquit, tibi largitus sum, deinde illa dedi; mox alia complura accepisti; sic, quæ tribuit, computat, et interea libidini indulget : calculos, exclamat, adhibeamus, prodeant servi cum tabula calculatoria; ecce supputa : in universum tibi jam dedi quinque sestertia; nunc vero recenseantur tui labores. — Ecquid? an facile et pronum est intra viscera tua agere penem justæ magnitudinis, et illic sordidis hesternæ cœnæ fæcibus occurrere? Sane minus infelix erit ille servus, qui agrum araverit, quam

Servus erit minus ille miser, qui foderit agrum,
Quam dominum! Sed tu sane tenerum et puerum te,
Et pulchrum, et dignum cyatho cæloque putabas.
Vos humili adseclæ, vos indulgebitis umquam
Cultori, jam nec morbo donare parati?
En cui tu viridem umbellam, cui succina mittas
Grandia, natalis quoties redit, aut madidum ver
Incipit, et strata positus longaque cathedra
Munera femineis tractat secreta Calendis!
Dic, passer, cui tot montes, tot prædia servas
Appula, tot milvos intra tua pascua lassos?
Te Trifolinus ager fecundis vitibus implet,
Suspectumque jugum Cumis, et Gaurus inanis.
Nam quis plura linit victuro dolia musto?
Quantum erat exhausti lumbos donare clientis
Jugeribus paucis? meliusne hic rusticus infans,
Cum matre, et casulis, et collusore catello,

qui dominum foderit! Tu, scilicet, te delicatum, te juvenculum, et pulchrum, et alterum Ganymedem cælo et mensæ deorum ministerio dignum putabas. Quid nunc mirum, vos, divites avari, nullam opem ferre clienti et asseclæ egeno, quum ne ille quidem qui vestræ libidinis morbo inservit, quidquam obtinere queat? En formosulum illum, cui a te munera mittantur, viridis scilicet umbella, et grandes armillæ ex succino factæ, quoties ejus natalis redit, aut primo veris humidi die, quum in longa cathedra, tapetibus et cervicalibus molliter constrata collocatus, recognoscit manibusque tractat dona sibi secreto missa Martiis calendis, quæ a mulieribus celebrantur.

49. Dic, lascive passer, cuinam reservas tot montes, tot in Apulia campos, et latifundia tam late longeque patentia, ut in illis transvolandis ipsi milvi defatigentur? te ager Trifolinus feracissimis vineis locupletem facit, itemque vertex ille Cumis desuper imminens, et Gaurus inanis. Quis enim plures, quam tu, vini longum duraturi cados recondit et pice obturat? Quanti autem tibi constitisset, si exhaustum obscæno labore clientem paucis agri jugeribus donasses? Num putas justius te facturum, quod et hunc rusticum infantem

Cymbala pulsantis legatum fiet amici?
Improbus es, quum poscis, ais: sed pensio clamat,
Posce; sed appellat puer unicus, ut Polyphemi
Lata acies, per quam sollers evasit Ulixes.
Alter emendus erit; namque hic non sufficit: ambo
Pascendi: quid agam bruma spirante? quid, oro,
Quid dicam scapulis puerorum Aquilone Decembri,
Et pedibus? durate, atque exspectate cicadas?
Verum, ut dissimules, ut mittas cetera, quanto
Metiris pretio, quod, ni tibi deditus essem
Devotusque cliens, uxor tua virgo maneret?
Scis certe, quibus ista modis, quam sæpe rogaris,
Et quæ pollicitus: fugientem sæpe puellam
Amplexu rapui: tabulas quoque ruperat, et jam
Signabat: tota vix hoc ego nocte redemi,
Te plorante foris. Testis mihi lectulus, et tu,
Ad quem pervenit lecti sonus, et dominæ vox.

cum matre, et casulis, et catulo colludente, uno verbo totam villam testamento legaveris amico tuo pathico, Cybeles cymbala pulsanti? Nimis moleste et impudenter postulas, inquis. Sed necessitas solvendi pro rebus conductis pretii mihi clamat; posce: et ad id quoque me cogit servus quem unicum habeo, sicut Polyphemus oculum, etsi lata acie, unicum tamen, propter quem terebratum solers Ulysses evadere potuit. Alterum etiam emere oportebit, quippe unus hic mihi non sufficit: uterque nutriendus erit. Quid igitur faciam, hyeme sæviente? quid respondebo, quæso, mancipiis meis nudos humeros ac pedes decembri mense ostendentibus? dicamne? frigus perferte, donec æstatem rediisse testentur cicadæ. Verum etiamsi dissimules et cætera omittas, quanti æstimas, quod nisi tibi fuissem addictus, et obsequiosus cliens, uxor tua adhuc tibi invalido intacta foret, nedum pepererit. Nosti profecto quibus modis, et quam frequenter illud tuum a me officium postulaveris, et quæ rursum pollicitus es. Ego sæpe eam domo abeuntem meis amplexibus e fuga retraxi: tabulas etiam nuptiales jam ruperat, et alias signabat: vix ego totius noctis labore vestra hæc dissidia composui, te foris ante cubiculi januam lacrymante. Testes appello et lectum, et te, qui

Instabile, ac dirimi cœptum, et jam pæne solutum
Conjugium, in multis domibus servavit adulter!
Quo te circumagas? quæ prima aut ultima ponas?
Nullum ergo meritum est, ingrate ac perfide, nullum,
Quod tibi filiolus, quod filia nascitur ex me?
Tollis enim, et libris actorum spargere gaudes
Argumenta viri. Foribus suspende coronas,
Jam pater es; dedimus, quod famæ opponere possis:
Jura parentis habes; propter me scriberis hæres,
Legatum omne capis, nec non et dulce caducum.
Commoda præterea jungentur multa caducis,
Si numerum, si tres implevero.

JUVENALIS.

Justa doloris,
Nævole, causa tui: contra tamen ille quid affert?

NÆVOLUS.

Negligit; atque alium bipedem sibi quærit asellum.

lecti crepitum et uxoris tuæ gannitum auribus percepisti. Multis in domibus conjugium instabile, immo quod jam in eo erat, ut dirimeretur, omninoque dissolveretur, adulteri beneficio servatum et confirmatum est. Quonam te vertas? quæ nunc vel prima ponas, vel ultima? numquid ergo, ingrate ac perfide, nihil de te merui, quod meo beneficio filium et filiam ex uxore tua susceperis? tollis enim liberos quæ sunt indicia virilitatis; et hæc argumenta libris actorum publicorum inter alios non semel gaudes inscribere. Eia age, portas domus tuæ suspensis coronis exorna; jam pater es; dedi tibi, unde famam, vel potius infamiam tuam confutare possis: per me jura patris habes; per me scribi potes in testamentis hæres; per me capere vales, quodcumque tibi legatum fuerit; atque etiam dulcia et insperata, quæ sine me perdidisses; præterea his caducis junges multa alia commoda, si tibi trium liberorum numerum legalem implevero.

90. JUV. O Nævole, jure doles et quereris de tam avaro patrono: verum quid ille tuis querelis respondet?

92. NÆV. Nihil eas curat, et alium asellum bipedem sibi quærit,

Hæc soli commissa tibi celare memento,
Et tacitus nostras intra te fige querelas:
Nam res mortifera est inimicus pumice levis.
Qui modo secretum commiserat, ardet et odit,
Tamquam prodiderim quidquid scio: sumere ferrum,
Fuste aperire caput, candelam apponere valvis
Non dubitat: nec contemnas, aut despicias, quod
His opibus numquam cara est annona veneni.
Ergo occulta teges, ut curia Martis Athenis.

JUVENALIS.

O Corydon, Corydon! secretum divitis ullum
Esse putas? servi ut taceant, jumenta loquuntur,
Et canis, et postes, et marmora: claude fenestras,
Vela tegant rimas, junge ostia, tollito lumen
E medio; clamant omnes: prope nemo recumbat;
Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,

qui meas vices gerat. At tu, o Juvenalis, vide, quæso, ne meas ejusmodi, quas tibi soli aperio, querelas cuiquam prodas: illas imo in pectore infixas tacitus serva. Capitales enim et pestiferas gerunt inimicitias isti molles et effeminati patroni, qui cutem pumice levigant. Qui mihi paulo ante arcana sua credere non dubitaverat, idem oborta levi suspicione æstuabit; odio in me inflammabitur; quasi secretum mihi ab ipso commissum evulgaverim, stringet in me ferrum improbus, caput baculo comminuet, ignem foribus meæ domus subjicere non dubitabit. Neque vero nihil credas periculi ab avaro imminere: quum opibus affluat, suppetet illi facile, unde venenum paret, necemque mihi moliatur. Memineris igitur hæc nostra non minori celare fide, quam Areopagitæ sua senatusconsulta.

102. JUV. Næ, tu homo rustice, simplex ac bonus es! Nævole, qui credas arcani aliquid in divitum domibus esse posse. Quamvis mancipia sileant, jumenta vocem mittent, et canes, et januæ, et parietes muti loquentur. Fenestras occlude, rimas omnes oppositis velis obtura, valvas obsera, lumen remove: omnes statim clamant et invehuntur; immo arbitris locus vacet; nihilominus quidquid improbus intempesta nocte, antequam gallus iterum occinat, facit, hoc vicinus, priusquam illuxerit, caupo resciet: idem audiet nar-

Proximus ante diem caupo sciet; audiet et quæ
Finxerunt pariter librarius, archimagiri,
Carptores: quod enim dubitant componere crimen
In dominos, quoties rumoribus ulciscuntur
Baltea? nec deerit, qui te per compita quærat
Nolentem, et miseram vinosus inebriet aurem.
Illos ergo roges, quidquid paulo ante petebas
A nobis: taceant illi; sed prodere malunt
Arcanum, quam subrepti potare Falerni,
Pro populo faciens quantum Laufella bibebat.
Vivendum recte est, cum propter plurima, tum his
Præcipue causis, ut linguas mancipiorum
Contemnas; nam lingua mali pars pessima servi.
Deterior tamen hic, qui liber non erit illis,
Quorum animas et farre suo custodit et ære.

NÆVOLUS.

Idcirco ut possim linguam contemnere servi,

rari apud se quidquid finxerint librarius, primarii coqui, et præfecti struendæ mensæ. Quam enim de suis heris fabulam, quam cantilenam comminisci atque consuere non audent servi, quos de illis rumores disseminare dubitant, quum loris balteorum cæsi dolorem suum et verbera ulcisci meditantur? Erit etiam qui te per compita urbis quærat, et audire ista invitum cogat, multoque vino prolutus, improba loquacitate aures tibi obtundat. Ab his igitur postula quod modo me rogabas, nempe silentium; impetra ut de sordibus et avaritia dominorum suorum taceant; numquam id exorabis: proferre arcanum malunt, quam furtivi vini vel generosissimi tantum potare, quantum sorbere Laufella consueverat, quum sacra pro populi salute faceret. Sane quum plurimis de causis providendum nobis est, ut sancte, ac pie vitam instituamus, tum præsertim, ut ne sermones mancipiorum nostrorum linguasque timeamus. In malo quippe servo nihil est lingua pejus. Gravius tamen, quam servi qui dominorum detegunt flagitia, peccant ipsi domini, quum turpiter et flagitiose vivunt, et se reddunt illis obnoxios, ac pæne servos illorum, quos et suo nutriunt pane, et pecunia munerantur.

123. NÆV. Recte me admones, ac tradis, quo pacto possim ser-

Utile consilium modo, sed commune, dedisti :
Nunc mihi quid suades post damnum temporis, et spes
Deceptas ? festinat enim decurrere velox
Flosculus, angustæ miseræque brevissima vitæ
Portio : dum bibimus, dum serta, unguenta, puellas
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.

JUVENALIS.

Ne trepida : numquam pathicus tibi deerit amicus,
Stantibus et salvis his collibus; undique ad illos
Convenient et carpentis et navibus omnes,
Qui digito scalpunt uno caput. Altera major
Spes superest : tu tantum erucis imprime dentem.

NÆVOLUS.

Hæc exempla para felicibus : at mea Clotho
Et Lachesis gaudent, si pascitur inguine venter.
O parvi nostrique Lares, quos thure minuto,

vorum linguas spernere : verum id omnibus commune ac utile est. Quid mihi quæso, proprie faciendum nunc censes ? Magnam optimi temporis jacturam serviendo Virroni feci : inanes irritasque spes meas excidisse video; effluit enim sensim vita, et floris instar multis ærumnis attrita marcescit; dum potamus, dum sertis coronati, delibuti unguentis, puellis operam damus, lento gradu senectus nec opinatos invadit.

130. JUV. Ne animum desponde : quamdiu Roma his collibus stabit, et florens supererit, numquam deerunt pathici, quos tu et similes tui corrumpatis. Huc enim semper ex omnibus regionibus convenient, aut terrestri, aut maritimo itinere, effeminati illi omnes, qui uno tantum digito caput scalpunt, ne capilli arte calamistrati turbentur. Age, spes futuri temporis longe major et melior quam præteriti tibi superest : tu tantum herbas salaces comede; teque ad libidinem exstimula.

135. NÆV. Præcepta hæc fer illis qui me feliciores sunt; at sufficit meo fato; et Parcæ, meæ vitæ præsides, jubent me contentum esse, si tenuem victum inguinis industria mihi comparare possim. O mei Lares, o tenuis familiæ custodes Dei, quos parco thure ac

Aut farre, et tenui soleo exorare corona,
Quando ego figam aliquid, quo sit mihi tuta senectus
A tegete et baculo! viginti millia fenus
Pigneribus positis, argenti vascula puri,
Sed quæ Fabricius censor notet, et duo fortes
De grege Mœsorum, qui me cervice locata
Securum jubeant clamoso insistere circo!
Sit mihi præterea curvus cælator, et alter,
Qui multas facies pingat cito! sufficiunt hæc,
Quando ego pauper ero. Votum miserabile, nec spes
His saltem: nam, quum pro me Fortuna rogatur,
Affigit ceras illa de nave petitas,
Quæ Siculos cantus effugit remige surdo.

mola salsa veneror, quibus exiguas imponere coronas soleo, fervidis exorans precibus, quandonam ego assequar tandem certam pecuniæ summam, qua fretus effugiam mendicitatem in senectute, ut ne obsitus centonibus, nixus baculo, stipem corrogare cogar? Quando e nummis mutuo datis recipiam usuræ nomine viginti sestertiorum millia, acceptis ante pignoribus, ut fenus mihi elabi, aut perire nequeat. Quandonam penes me domi erit nonnihil suppellectilis argenteæ, ob quam a Fabricio censore notari et reprehendi jure possim! Duo item valentes et robusti, quales e Mœsia huc veniunt servi, qui me certa mercede pacta, subjecto collo gestent sedentem in lectica, et per medium Circum populo vociferante differtum, tuto deportent! ad hæc opifex, qui cælare et signare argentea vasa; nec non alter, qui statuas et imagines ex argilla vel cera fingere naviter ac strenue norit? Hæc mihi satis sunt ad vitam beate transigendam, quoniam in hac paupertate cogor manere. Votum sane exiguum et miserabile! sed ne illa quidem tam tenuia sperare ausim: quum enim rogatur fortuna, ut mihi faveat, videtur sibi aures opplere cera, ut olim Ulysses opplevit remigibus suis, quos ea ratione surdos reddidit, ne Sirenum cantibus in perniciem allicerentur.



VARIÆ LECTIONES
ET NOTÆ
IN SATIRAM NONAM.

VARIÆ LECTIONES. 2. *Occurris*, 11. — *seu* 60.

NOTÆ. 1. *Nævolus*, draucus, forte idem, cujus meminit Mart. I, 98; III, 71, 95; IV, 84, nisi hic est dives ille Nævolus, qui II, 46, memoratur. — *Fronte obducta* tenebris, nube quasi tristitiæ, hoc est, tristi, in rugas (conf. vs. 9), sed magis ad mœstitiam, quam severitatem,[1] contracta. *Marsya*, seu Marsyas, *victus* in certamine musico ab Apolline, qui pellem ei detraxisse dicitur.[2] Faceta autem comparatio est, cui conferatur locus non minus lepidus Horat. Sat. I, 6, 120, 121.

VAR. 3. *Vultu est*, 19. — *Deprehensus*, 15, 19, 45, 47.

NOT. 3. *Vultu* mœsto. — Idem quoque exordium sibi sumpsit nostras *Boileau*, Sat. III, vs. 1 et seq.

« Quel sujet inconnu vous trouble et vous altère ?
« D'où vous vient aujourd'hui cet air sombre et sévère,
« Et ce visage enfin plus pâle qu'un rentier
« A l'aspect d'un arrêt qui retranche un quartier. » ED.

VAR. 4. *Navola*, 20. *Rabula*, 1.

NOT. 4. *Ravola*, a facto nominis etymologiam sumpsit poeta; vet. Schol. putans forte, *Ravolæ* nomine designari *rabulam*, vel *ravulum*, seu *ravum*, hoc est, raucum. — *Rhodopes* fictum nomen, ut *Ravola*, et ductum, ut putant, a famosa illa meretrice, quæ, quum Amasidis temporibus Sami apud Iadmonem cum Æsopo serviisset, a Xantho in Ægyptum abducta, et redempta a Charaxo, Sapphus fratre, tantum ibi

[1] Ut apud Quintil. X, 3; Horat. Epod. XIII, 5, et Senec. ad Marc. I. Conf. Heins. ad Ovid. Ep. Her. XXI, 165, et Wernsdorf. Poet. Lat. minor. tom. IV, pag. 260.

[2] Vid. Muncker. ad Hygin. fab. 165; Burm. ad Ovid. Met. VI, 400; Salmas. ad Solin. pag. 84 et 784; Wessel. ad Diod. III, 58; Heyn. ad Apollod. I, 4, 2, et Schweigh. ad Athen. XIV, 7, inpr. Boettiger. in Wielandi Museo Attico, tom. I, P. II, p. 285—358, et *Creuzer's Symbolik*, tom. II, pag. 38 seq.

quæstum fecit, ut et pyramidem curaverit exstruendam, et donaria Delphos miserit; vid. Herodot. II, 134, 135; Strabon. XVII; Plin. XXXVI, 12 (ubi *Rhodope*, non, ut Græcis, Ῥοδῶπις vocatur; Ῥοδόπας τινὰς, apud Lucian. de Saltat. cap. 2); et Ælian. V. H. XIII, 33, ubi cf. Perizon. *Rhodopes inguina terere*, ut *lambere*, *lingere*, *fellare*, λείχειν, *uda barba* obscœnum libidinis genus. Vid. II, 49; Catull. LXXX, 6, 8; Martial. I, 9, 1; I, 78, 6; II, 50; III, 81; VII, 66.

Not. 5. Quomodo hic versus cum antecedd. cohæret? Nonnulli sic expediunt nexum: Non mirum est, Ravolam, vel te ipsum, si tale facinus commiseris, tristem esse ob pœnam, quam dederis, vel pœnam metuere, quum etiam servi non nisi dulciaria lambentes puniantur. Alii præeunte Schol. ita: servo, placentas lambenti, colaphum impingimus; at ingenuo, feminarum lambenti inguina, hoc est, fellanti, ignoscimus: adeoque non est, quod turpitudo aliqua pudoris tibi caussa sit aut timoris. Conf. XI, 174 seq Hanc rationem illi prætulerim, etsi utraque dura est, et versum fere excidisse suspicari possis.[1] Nodum vero non solvit Ach. cujus nota est: «Prior explicatio, etsi non sine difficultate superest (nam, ut ad hunc sensum perveniamus, multa sunt supplenda), potior nobis visa est, et altera sensu communi carere. Illam duobus præced. versibus sic aptamus: *Quid tibi...... barba*, dum eam fellat? et certe ei timendum erat; nam *nos colaphum incutimus lambenti crustula servo* (satis jocosa comparatio); quid igitur ei deprehenso a marito, vel ab alio zelotypo mœcho eveniet mitius, nisi ut fuste aut fenestra plectatur? Omnis hujus loci sal et facetia in ellipsi constat (nam, ut opinor, alludit ad sui ævi jocosam hujus generis historiam), et in comparatione crustulorum cum inguinibus feminæ. Hic autem versus fortasse interpolatus est, et salvo sensu totus ejiciendus videtur.» *Colaphum incutere* (ἐντρίβειν κονδύλους, *die Knöchel einreiben*), alapam pugno dare non nisi domini solebant *servis*, qui nonnunquam et *os præbere*, buccas inflatas porrigere, jubebantur, ut ictus mollior certiorque esset; quod summæ ignominiæ genus forsan respexit etiam poeta, VI, 43. Conf. Hemsterh. ad Luciani Prometh. c. 10, p. 195. Tollius ad Longin. seu 43, pag. 232; Burm. ad Petron. c. 44, pag. 205; Bottigeri Sabina, pag. 278, 279. — *Crustula* placentas, dulciaria, ut apud Horat. Satir. I, 1, 25. Servius dicit, *crustum* esse eorum, quæ comedantur, *crustam* eorum, quæ non comedantur, verb. causs. marmoris; Brit.

Not. 6. *Hac facie*, qua tu es. — *Crepereius* qui fuerit, vel qui significetur, ignoramus, etsi luxuriosum nepotem innui verborum nexus docet. Laudatur *M. Crepereius*, ex acerrima familia equestri et disciplina, in Cicer. Verr. I, 10, et *Crepereius Calpurnianus*, Lucian. tom. I,

[1] Schurzfleisch. laudat Rigalt. ad Artemidor. pag. 51, et Nunnes. ad Phrynich. pag. 34, qui libri non sunt mihi in manibus.

pag. 671. Quidam, nescio qua auctoritate ac fide, nostro Crepereio dicunt cognomen fuisse *Pollioni*, cujus luxuria infra XI, 43, notatur.

Not. 7. *Præstare*, pendere, *triplicem usuram*, triplo majorem, quam quæ legibus permissa et usu recepta est. Ed.

Not. 8. *Fatuos*, stultos, qui pecuniam ei crederent non reddituro.

Var. 9. *Unde repente Tot rugas* elegantius et haud dubie recte, judice Heins. ad Ovid. Her. Ep. XII, 84, ubi hunc loquendi modum pluribus exemplis firmavit.

Not. 9. *Rugæ* tam ad tristitiam referri possunt, quam ad senectutem, propter impurum vitæ genus ocius obrepentem. Vide ad vs. 2, 16 seq. et 129. — *Modico*, exigua re, modicis opibus.

Not. 10. *Agebas equitem*, hoc est, agebas partes divitis hominis, ejus personam ferebas, *vernam*, quum tamen verna esses. Ita vulgo interpretantur: sed tum *verna* scribendum. *Verna* etiam adjective dicitur, ut *vernula*, et hoc loco non ad servilem tantum Nævoli conditionem, sed ad scurrilem quoque dicacitatem referri potest: nam vernæ, hoc est, servi ex ancillis domi nati, a dominis mitius ceteris tractabantur, et tum facetiores, tum procaciores esse solebant; unde *vernile dictum*, *verniles blanditiæ*, *vernilitas*, *verniliter*, *vernula urbanitas*. Confer verba sequentia, et de Nævolo equite, si idem est, Martial. III, 95, 10. Sed quia Nævolus noster pauper fuit (vid. vs. 135 seq.), alius videtur fuisse (nisi olim eum divitem fuisse censeas), et forsan *verna eques*, hoc loco, est potius filius equitis, e serva genitus, ut apud Martial. I, 85:

Uxorem habendam non putat Quirinalis,
Quum vult habere filios; et invenit,
Quo possit istud more: futuit ancillas,
Domumque et agros implet equitibus vernis.

Var. 11. *Inter*, 24.

Not. 11. *Vehemens*, acer, *salibus intra pomœria natis*, qui Cic. ad Div. IX, 15, *urbani sales* et nobis *Städterwitz* dicuntur, facetiæ, quales esse solent hominum in urbe liberaliter educatorum.[1] — *Pomœrium* h. loc. pro ipsa Urbe, vel muro positum: propria verbi vis nota ex Liv. I, 44; Gell. XIII, 14, et Varr. L. L. IV, 32.

Not. 13. *Silva comæ*, comarum, ut Gall. *une forêt de cheveux*, et Germ. *ein Wald von Haaren*, *buschige Haare*, hoc est, crines incompti, crispi et perplexi; αὐαλέοι κίκιννοι, apud Theocr. XIV, 4. — *Horrida silva comæ*, crines erecti: nam *horrere* et φρίσσειν proprie dicuntur, quæ

[1] Conf. Quintil. VI, 3, § 17, et 102—105. Ernesti clav. Cic. vid. *urbanitas* et *urbanus*.

erecta, sunt vel eminent, ut segetes, arma, pili, setæ; vide ad Sil. I, 423, et Heyne ad Virg. Æneid. X, 237. — *Coma sicca*, ut apud Martial. X, 72, 11, cui opponitur *madida*, hoc est, unguentis delibuta.

VAR. 14. *Brustia præstabat calidi circum fascia visci*, 8. *Bruccia præstabat calidi tibi fascia visci*, 9, a m. sec. *Bruccida*, etc. 9, a m. pr. *Bruttia præstabat calida tibi fascea visci*, post vs. 11, et *præstabat calidi circumlita fascia visci*, post vs. 14, legitur in Cod. Putean. — Hinc *Bruttia præstabat calidi tibi fascia visci*, 70, 76, 82, ex probabili emend. Salmasii. — *Præstabat calidi tibi Bruscia fascia visci*, 75. Pithœus, *Bruscia*, sive *fascia*, sive *ascia* ex brusco (de quo vid. Plin. XVI, 16), scribendum arbitrabatur, sed nihil pro comperto affirmare audebat. *Præstabat calidi circumlita fascia visci*, 10—12, 14—27, 45, 55, 57, 59, 60, 65, 77 et omnes Codd. Paris. præter Put. e quibus has lectiones revocavit male Ach. *Præstabit calidi circumlita fascia visci*, 46—50, 54, 58, 61—69, 71—73.

NOT. 13—14. *Nitor in cute*, *qualem præstabat tibi viscus*, pix. [1] — *Bruttia fascia calidi visci*, pro fascia Bruttii visci, hoc est, repleta Bruttia pice (epith. orn.). Hæc pix laudatur Plin. XVI, 11; XXIV, 7, et passim medicis Græcis, qui eam Βρυτίαν appellant. [2] — Lucian. in Alex. 5, Pseudom. c. 21: Τοῦτο τὸ κολλύριον σκευαστόν ἐστιν ἐκ πίττης Βρυττίας καὶ ἀσφάλτου καὶ κηροῦ καὶ μαστίχης. ED.

NOT. 15. *Fruticante*, horrido, *buschig*, *struppig*, ut fere vs. 13, *silva comæ*.

NOT. 16. *Macies*, tamquam *veteris ægri*, valetudinarii, qui diuturno morbo implicitus est et urgetur.

VAR. 17. *Torquet*, 15, 23, et MS. Cantabrig. vide Vakef. ad Lucret. III, 930.

NOT. 17. *Quarta dies*, quartana febris. — *Olim*, jam diu (ut VI, 346), *domestica*, familiaris, solita, *eingenistet*.

VAR. 18. *Deprehendas*, 14, 15, 17, 19, 24, 45, 50. Ita et v. 19.

NOT. 18—20. Comparant Plin. XI, 37 « Frons homini lætitiæ et hilaritatis, severitatis et tristitiæ index. » Cic. de Orat. III, « Imago animi vultus est, indices oculi; » et al.

NOT. 19. *Utrumque*, et lætum, et tristem.

VAR. 22. *Ganymedis*, scil. fanum, 13, et ita corrig. Valla et Flavius Conject. c. 72. At Ganymedi templum fuisse Romæ, haud legere memini. *Ganymeden* pro *Canymedem* recepi ex 17. Plerique interpretes et Heins. ad Ovid. Met.

[1] Vid. ad II, 12, et Salmas. ad Tertull. de Pallio, p. 243.

[2] Conf. *Bochart*. Geograph. Sacr. pag. 660.

IV, 46, jungunt *Ganymedem Pacis*, putantque ita dici Pacis templum, quod in eo Ganymedes, sive ejus simulacrum fuerit, quod colligunt ex prava lectione Martial. VII, 73, 4. *Sive cupis pace, seu Ganymede coli.* In melioribus ibi libris legitur : *Sive cupis Paphien, seu Ganymede cales.*

Not. 22. *Ut repeto* memoria, quantum memini, quod recordor, (vid. Heinsius ad Ovid. Epist. Her. V, 113.) In templis quoque et ad illa, inpr. *Isidis* ac *Cybeles*, sæpe stupra aliaque flagitia commissa esse, jam vidimus VI, 308 seq. 489 « Apud Isiacæ sacraria lenæ, » et alibi. Confer vs. 24, Tertull. Apolog. cap. 15; Ovid. Am. II, 2, et al. — *Ganymeden*, ejus statuam vel effigiem in templo Jovis; hoc loc. pro templo hoc Jovis, ut mox *Cererem* pro templo Cereris. Lactant. de Falsa Relig., I, « Imago, inquit, catamiti et effigies aquilæ cur ante pedes Jovis ponuntur in templis et cum ipso pariter adorantur, nisi ut nefandi sceleris ac stupri memoria maneat in æternum. » Vetus Schol. « Statuæ, ad quas conveniebant cinædi. » Ganymedes quoque catamitus, ut Nævolus[1], et Jupiter, in cujus templo statua Ganymedis fuit, notissimus mœchorum (v. VI, 59).

Var. 23. *Avectæ*; 21. *Adductæ*, 19, a m. pr. — *sacrata* malebat Lubinus. *Secreta salacia* (obscœna vel ad libidinem stimulantia) legendum censebat H. Vales. Recte, opinor.

Not. 23. *Pacis*, scilicet fanum seu templum, nobilissimum, a Vespasiano exstructum juxta forum in quarta Urbis regione, quo non aliud Romæ ditius fuit statuarum opumque copia. — *Advectæ palatia Matris*, templum Cybeles, *Matris* Deum, seu Magnæ Matris, e Phrygia Romam advectæ, (vide Liv. XXIX, 10—14, tom. V, pag. 465 edit. nost. Ed.) quod in *Palatio* fuit (Liv. XXIX, 37). — *Secreta*, in quibus sacra arcana curantur vel mysteria. Sed *palatia* aut *Palatia* dici pro æde in Palatio, vix crediderim. Confer Var. Lect.

Not. 24. *Cererem*, Cereris templum, in octava regione Urbis, ad circum maximum. Plinius, XXXV, 12. Verba *nam quo non prostat femina templo* non sine indignatione adjecta propter summam rei turpitudinem: nam *Ceres* dea castissima. Confer VI, 50; XIV, 219; XV, 141, et supra ad vs. 22. — *Prostat*, vide ad VI, 123.

Var. 25. *Ausidio*, 73. *Ursidio* conj. H. Vales. coll. VI, 42. — *Celebrare* (hoc est, frequentare, frequenter invisere) revocavi ex 11, 17—27, 29, 45—50, 56—63, 65—69, 71—74, 77, 81, omnibusque MSS. Paris. prob. Heins. ad Ovid. Metam. IV, 46, ubi monet, ita in scriptis compluribus legi, quos inspexerit. — *Scelerare*, 8, 54, 64, 70—75, 76, 82. Sed illud tam satirico poetæ, quam amico congruentius est.

Not. 25. *Aufidio*, mœcho notissimo, de quo vide Martial., V, 62;

[1] De illo vid. Plaut. Men. I, 2, 34; Lactant. I, 11, et Festus, vid. *catamitus*.

10, al. *Notior Aufidio mæchus*, ut *mæchorum notissimus*, VI, 42. *Celebrare*, vide Var. Lect.

VAR. 26. *Quod taceo atque etiam*, 25. *Quod taceo atque ipsos*, 10, 11, 12, 14—24, 27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, 81, et plerique optimique Codd. Paris. quod revocarunt Lubinus et Ach. tamquam magis satiricum, quia contineat παράλειψιν, seu reticentiam majoris argumenti, et poeta sic dicat, vel maxime, quod profiteatur se tacere velle. Sic Ruperti : ego autem prætuli, *quodque taces*. ED.

NOT. 26. *Inclinare* ad stuprum, ut X, 224. Sic et *incurvare* ap. Martial., XI, 44, 45. *Ingeniculare*, apud Lamprid. Heliog. cap. 5, παῖδα κινεῖν, ap. Aristoph. in Ranis, παιδοτρίβης, λεῖον προδιδάσκων, εἰς τὸ γόνυ κάμψας, μέσσον ἐπαιδοτρίβει ap. Strat. Epigr. LXIV; ubi vide Jacobs ad Antholog. Gr. vol. II, par. III, pag. 105. — De hoc flagitio consule quæ dixit clar. *Montesquieu*, *Esprit des Lois*, lib. XII, cap. 6. ED.

NOT. 27—90. Verba Nævoli, ut vulgo putant, sed quædam rectius poetæ tribuentur. — Vulgarem tamen opinionem secuti sumus. ED.

VAR 28. *Quandoque*, 16.

NOT. 28—30.[1] *Pingues lacernas*, crassas, ut mox *duri crassique coloris*, (παχύ καὶ στερεὸν ἱμάτιον, Farn.) et *pinguis toga*, *Sequanicæ textricis alumna* et *Gallia* apud Suet. Aug. 82; Martial. IV, 19, 1; VI, 11, 7. Inter munera tenuioribus interdum missa a locupletioribus referuntur etiam vestimenta, et quidem *tritæ lacernæ*, a Persio, I, 54, et *toga brevis*, a Mart. X, 14, 7.

VAR 29. *Duri crassique solocis* ingeniose conj. H. Valesius. *Solox* est crassa scil. lana (vid. Fest.), et substantive dicitur apud Tertull. de Pall. 4.

NOT. 29. *Munimenta togæ*, quæ togam a pluvia quasi muniunt; nam lacerna pænulave, vestimentum proprie militare, togæ injiciebatur pluviæ vel frigoris arcendi causa. [2] *Duri crassique coloris*, villi, fili ac lanæ. Sed quis *colorem* eo sensu dixit? Confer Var. Lect.

NOT. 30. *Male percussas pectine*, male textas. *Percutere*, *ferire*, κρούειν, σπαθᾶν, κερκίζειν, verba textoria.[3] — *Pecten* male a quibusdam hoc loco cum *radio* confunditur: illo calcatur, percutitur et densatur stamen, hoc stamini inseritur subtemen. *Textoris Galli;* nam in Gallia vestes crassioris fili et lanæ confici solebant. Confer Martial. locis laudatis.

[1] De hoc loco et de *lacernis* docte egerunt Ferrar. R. V. IV, 4, P. II, lib. I, c. 1, et 6 seq. Ruben. R. V. I, 6, et Salmas. ad Script. Hist. August. passim.

[2] Vid. Mart. VIII, 28, et XIV, 137, 2; Ferrar. de Re Vest. II, 1, 4; Ern. ad Suet. Claud. c. 6; Burm. ad Prop. IV, 3, 18.

[3] Vid. Salmas. ad Trebell. Poll. Vit. D. Claudii, cap. 17, extr. et Heins. ad Ovid. Metam. VI, 58.

Not. 31. *Argentum*, argenteum vas, *tenue* ac leve, vel potius numum veterem atque usu tritum, ut λυπρὸν ἀργύριον, apud Theophr. Char. IV, ubi confer Casaub.—*Argentum venæ secundæ*, non purum seu pustulatum, sed cui multum æris admixtum est.

Var. 32. *In* pro *et* 11, 13, 15, 16, 23, 24, 49, 50, 55, 61, 62, 63, 68, 69, 71—74, 77.

Not. 32—37. Etiam στωϊκίζει cinædus iste scarabæus; Farnab. More potius illorum hominum vulgarem opinionem de vi *fatorum* ac *siderum* (de qua vide ad VI, 553 seq. et VII, 194—201) ad obscœnas res transfert et facete transferre sibi videtur. Verba autem vs. 32—37, non tantum Nævoli esse possunt, sed etiam poetæ, illum lepide consolantis. Confer ad vs. 40 in Var. Lect. Priorem tamen interpretandi rationem huic præferendam esse, recte, opinor, notavit *Achaintre* : « Hæc verba melius ex ore cinædi fluunt, qui etiam στωϊκίζει. Nam illa vulgi opinio, quæ erat quoque stoïcorum, de vi et potentia fatorum ac siderum, etsi per se ridicula, tamen in ore Nævoli de sua sorte querentis optima est, et venit ad rem. Nemo enim magis philosophus, quam qui miser et ærumnosus. At in ore Juvenalis, intempestive sermonem amici abrumpentis atque intempestive magis philosophiæ locum communem fuse agitantis, idque antequam de causa mœroris Nævoli certior factus sit, non lepida, verum insulsa mihi videtur. Adde, quod, vs. 35, *Virro* nominatim designetur, quem contra sui amici conditionem poetam ex quæstionibus suis ignorasse appareat. » — *Fatum est et partibus illis, quas sinus abscondit*, cæci fati vis est etiam in virilia eorumque usum vel libidinem. *Sinus* anterior pars togæ, quæ non modo pectus, sed etiam pudenda tegit.

Var. 33. *Cessent*, 10, 12—15, 17, 20, 22, 45.

Not. 33. *Sidera tibi cessant*, non favent, non benigna sunt; vide ad VI, 553 seq.

Not. 34. *Nil faciet*, tibi non proderit, *mensura incognita*, insolita et antea non visa, *longi nervi*, membri virilis. Confer I, 41. *Nervus*, ut νεῦρον, mentula, pars nervosa, in quam venæ et nervi corporis vergunt. Sic *nervus* apud Petron. 131, et sæpius in Priapeiis, νεῦρον et νενευρῶσθαι in Aristoph. Avibus et Lysistr. 1080 (ubi vide Schol.). Confer Athen. I, 5, pag. 5 (νεύρων ἐπιτήρανος εἶναι) ubi Casaub. notat, sic et Athen. II, 23, pag. 64, dici Οὐδέν σ' ὀνήσει βολβὸς, ἂν μὴ νεῦρ' ἔχῃς, et apud Hippocratem μικρὰ νεῦρα, quæ non possunt ἐπαίρεσθαι.

Var. 35. *Viro*, 27, 46, 47, 64. *Virrho*, 19.

Not. 35. *Nudum*, vide ad VI, 375. — *Virro* homo non modo nobilis ac dives (vide V, 39 seq. 98 seq. 128, 149, 156) sed etiam cinædus, de quo confer Catull. Epigr. 80. — *Quamvis te nudum viderit* ac bene mentulatum, quo tamen libido ejus maxime incenditur. — *Spumanti labello* præ impa-

tientia ac furore libidinis : nam in summo desiderio labra spumant saliva; unde proverbio dicuntur *salivam*, hoc est, appetitum, *movere*, et Gall. *l'eau lui vient à la bouche*, vel German. *den Mund wässerig machen*. Confer Sen. Epist. 79; Pers. V, 112; Petron. 48; Martial. I, 97, 11 seq.

Var. 36. Abest a 24. *Blande assiduæ*, 14, 15. *Blande assidueque* malebat Ascens. qui etiam male *tabellas* putabat esse mensas, sive convivia. — *Pictæque tabellæ*, 20.

Not. 36. *Blandæ tabellæ*, literæ amatoriæ, quibus te blande multisque pollicitationibus *sollicitet* ad stuprum. — *Tabellæ*, epistolæ et diptycha, vet. Schol.[1] — *Densæ*, vel multæ ac crebræ, vel potius, quia hæc vox cum *assidue* jungitur, longæ ac copiosæ.

Var. 37. Ita leguntur Græca in 1, 70, 75, 76, 81, 82. In reliquis vero Codicibus ab indoctis librariis, vel prorsus omissa sunt, verb. causs. in 25, 27, 45, 58, 61, vel admodum corrupta, et in multis quoque non Græcis expressa literis, sed Latinis. Nec mirum : *Græca sunt; non leguntur:* ἦθους γὰρ γλυκέος ἄνδρα κίναιδον, 10, 18, 23, 48, 50, 56, 57, 59, 60, 62—69, 71—74, et XI Codd. Paris. quæ verba vulgo referuntur ad *blandas tabellas*, et ita explicantur : *Hominem enim cinædum blandi dulcisque moris*, scil. εἶναι πρέπει, vel simpl. πρέπει, esse decet seu convenit. Sed dura est hæc ellipsis, neque intelligitur, cur poeta hæc Græce dixerit. Nam quod putant, summam Virronis mollitiem indicari, quum Græcus sermo plus suavitatis blanditiarum que habeat et effeminati sit, eo uti, id quidem parum probabile videtur. — Ἦθους γὰρ γλύκεα ἄνδρα κίναιδον, 47. Ἦθους γλυκὺς ἄνδρα κίναιδον, 46. Ηθους γλυκεος μην ανδρα κιναιδον, 20. Ηθους καιπερ γλυκυν ανδρα κιναιδον, 49, 54, 55. Αιθος γλικου ανδρα κιναιδος, 14, 17. Αιθος γλυκυ κιναιδον ανδρος, 19. Ετος γλυκυ και ανερα κιναιδος, 24. Ηδοσης γλυκυ ανδρα κυναιδου, 11. Alias aliorum nugas prætermittimus. Schurzfleischii nota est hæc : «qui ex Homero rem repetunt, acute ii quidem, sed Juvenalis non fuit acutus, qui tam simplicem sensum Græcis verbis dixerit. Vox ἄνδρα in codice nostro literam secundam puncto subnotatam habet. Id notat, literam ejiciendam esse. Quid si nos punctum illud unicum elegantissimam doceat scripturam, et monstret, in Juvenale emendandum esse : αὐτὸν γὰρ ἐφέλκεται ἄστρα κίναιδον, vel propius ad veterem scripturam αὐτὸν δ' ἕλκει γλυκὺν ἄστρα κίναιδον. Sed prior lectio, quum parodia sit pressior, plane placet, et spondere ausim, ita Juvenalem scripsisse, ut Nævolo persuadeat, fortunam in turpibus etiam rebus a genesi dependere, et simul idem credentes Romanos derideat. In Schol. pro *ipse ad se trahit* possis legere *ipsum astrum trahit*, vel *te trahit*, ut legerit, σὲ γὰρ αὐτὸν ἐφέλκεται ἄστρα κίναιδον.» Mihi aptior facetiorque videtur nostra lectio, neque adsequor,



[1] De diptychis conf. Heinsium, ad Ovid. Am. I, 12, 27; Rutgers. Var. Lect. VI, 18; Salmas. ad Hist. Aug. pag. 16, et Dufresn.

cur Juvenalis illa Græcis expresserit verbis, vel, si Homerica in rem suam convertere voluit, de quo vix dubitare possis, tam multa immutaverit, nec potius acutam Homeri sententiam variatione unius vocis lepide transtulisse censendus sit. Vid. Comm.

Not. 37. Αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα κίναιδος, sua enim sponte ac vi cinædus (tamquam magnes) virum ad se trahit; *blandis* scilicet promissis, literis moribusque alliciens: faceta παρῳδία verborum Homeri Odyss. π, 294 (ubi vide Clark.) et τ, 13, αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος, quæ Latine expressit Valer. Flac. V, 541. Rigaltius comparavit vetus epigramma (vide Brunckii Anal. Epigr. 30): Μάγνης Ἡράκλειτος ἐμοὶ πόθος· οὔτι σίδηρον Πέτρῳ, πνεῦμα δ' ἐμὸν κάλλει ἐφελκόμενος. Grangæus: « Nonnulli, ait, aliter legunt, sed glossema est cujusdam Græculi, tractum ex Græcorum proverbio: Πάντας γ' ἐφέλκων, οἷα μαγνῆτις λίθος. Scias autem τὸ ἄνδρα amplum illud peculium signare, quod cinædus labris vidit spumantibus. Sic Latinis *vir* est illa pars, qua viri sumus, et hinc uno verbo Græci exsectos vocant ἀνδροτομημένους. » Sed poetam in hunc sensum transtulisse verbum Homeri, vix crediderim. Confer Var. Lect.

Not. 38. *Ulterius*, pejus, majus, quemadmodum *ultima* dicuntur maxima, extrema, pessima, ultra quæ non licet progredi, ut *ultima vitia*, *pœna*, *crudelitas*, etc. — *Mollis*, cinædus, pathicus.

Not. 39. Verba Virronis vel cinædi avari. — *Hæc* dona.

Var. 40. Sententia hujus loci est: *Computat* accurate cinædus avarus, quæcumque mihi dono dedit, *ac cevet*, et tamen libidini indulget, cui imperare non potest; vel, calculum et rationes mecum subducit, dum explet libidinem. — *Cevere*, proprie significat clunes movere more canum (vid. Comm. ad Sat. II, 21), et aptius hoc loco verbum est, quam *canet* vel *cavet*, quæ plerique interpretes pro eo substituerunt. *Ac cevet*, 1, 60, 65, 69, 70, 75, 76, 82. *Et cevet*, 31, 49, 54, 55, 61—63, 66—68, 71, 72, 77, 81, et Cod. Put. *Atque cevet* adversus metrum, 25, 56, 57. *Atque cenet*, 59, vitiose. — *Et cavet*, 24, 73. Rectius *atque cavet*, 10—12, 14—23, 27, 45—48, 50, 58, 64, 74, et XXXIV Codd. Paris. « Id sensum satiricum minus offert, sed honestiorem: *cavet*, scil. ne in computatione decipiatur, et ne plus æquo in suum drauccum conferat, » Brit. et Ach. *Cavet*, ne plus accipiat servulus, PRAT. Eamdem lectionem defendit Schurzfleisch. his verbis: « Poeta Nævolum, quod nihil a divitibus donorum acciperet, consolatus est a vs. 32, rejiciendo culpam in astra, homines etiam cinædos regentia. Finito sarcasmo vs. 38 sqq. infert Nævolus, illa patienter quidem se ferre, sed hoc intolerabile esse, quod quidam pathici sint avari, qui etiam, quæ dederint, objiciendo exprobrent, et omnia accurate computent pactamque mercedem inde decurtent. Quis inde non videret, τὸ *cevet* h. loc. ἄτοπον esse, ubi non nisi de rationibus agitur? Sed ille mos est quorumdam Criticorum, ut non nisi vocabula casca aut etiam prætextata in bonos auctores inculcent, ad nescio quos codices provocantes. » Enimvero *cevet* in plerisque legitur libris, nec video, cur alienum sit ab hoc loco ubi

poeta ostendit, ridiculum esse hominem, qui, dum libidinem explere cupiat, tam avarus sit, et libidinem ejus majorem esse avaritia.

Not. 40. De verbis *computat ac cevet;* vide Var. Lect. *Ponatur calculus... labores* vel Virronis, cinædi avari, verba sunt, quibus Nævolus, vs. 43 seq. respondet, vel Nævoli, indignantis, munera quævis non modo sibi exprobrari et nimis exiliter revocari ad calculos, sed illa etiam pluris, et officia sua, avaro præstita, minoris æstimari, quam par sit. Priorem explicandi rationem non male defendit Ach. cujus nota est: « *Hæc tribui... tulisti* inquit *mollis avarus* misero clienti. Sermonem abrumpit Nævolus hac notatione *computat ac cevet.* Virro pergit: *ponatur calculus*, summam summæ subscribamus, addamus, *adsint pueri cum tabula*, summa tota *quinque sestertia.* Videamus, num tui id valeant labores. Cui iratus respondet Nævolus: *An facile est*, etc. Sic vividius et satirice magis fluit dialogus. » — *Ponatur calculus*, subducantur rationes accepti et expensi. *Calculi* erant lapilli, qui in rationibus vel computatione adhibebantur.

Not. 41. *Tabula* ratiocinatoria, seu calculatoria. Potest etiam esse codex accepti et expensi.

Not. 42. *Numera.... sestertia quinque omnibus in rebus*, in universum jam tibi dono dedi. *Labores,* ut *opera* supra vs. 28, de officio, in re turpi præstito. *Numerentur* et æstimentur.

Var. 43. *Promtum*, 4. — *In tua* pro *intra*, 16. Versus 43 et 44, non Juvenalis esse, sed impuri cujusdam nebulonis, suspicabantur Valla et alii. Sed quamvis obscœnitas nimis ad vivum quasi resecetur, aptissima tamen talis pictura h. loc. et ingenio Nævoli est, nimisque severus Scaliger. qui Poetic. III, 9, ob talem impuritatem pudicis lectione Juvenalis omnino abstinendum censebat.

Var. 44. *Atque illinc externæ occurrere cœnæ*, id est, et eo se quæstu tueri, nec aliena quadra opus habere, conj. H. Valesius.

Not. 43. 44. Verba obscœna, sed apta hoc loco et ingenio Nævoli. Confer Var. Lect. — *Legitimum*, justæ magnitudinis.

Not. 45. Nævolus, cliens Virronis, qui omnia, etiam turpissima officia, ab eo exigebat. — *Fodere* sensu quoque obscœno dicitur, ut *arare.* Confer ad II, 10, et Martial. VII, 101—104.

Var. 46. *Non dominum*, 17, 20, 45. — *Tener*, 11, 14, 16—19, 23, 24, 27, 45, 47, 50, 58, 61—69, 71—74, et plerique Codd. Paris. unde illud restituit Ach. *Et tenerum puerum*, 46, 48. *Et tenerum et puerum*, 49, 55. *Puerum et tenerum*, 77.

Not. 46. *Sed tu sane*, qui deformis, senex et hirsutus es, putabas, te tenerum ac pulchrum esse, tibique propterea gratis operam præstitum iri sperabas a me, qui tantam ceperim voluptatem ex labore. Vim sarcasmi facile senties.

VAR. 47. *Et dignum et pulchrum*, 21. *Te pulchrum*, 11. Non male!

NOT. 47. *Dignum cyatho cæloque*, alterum Ganymedem et æque formosum, non minus dignum, qui in cælum raptus Jovi pocula ministrares; vide ad V, 56 et 59.

VAR. 48. *Assecla*, vel *adsecla*, 15, 16, 17 a m. pr. 18, 19, 21. 24, 25, 45—50, 55, 57—60, 64—67. Nil interest. — *Non indulgebitis*, 16. *Nil indulgebitis*, 20.

VAR. 49. *Nec jam*, 21, 22, 27.

NOT. 48, 49. Verba, opinor, non Nævoli, ut vult *Achaintre*, sed poetæ, Virronem eique similes alloquentis: Quid vos aliis *humilibus*, pauperibus minusque dilectis *adseclis* et *cultoribus*, hoc est, clientibus, donabitis, si ne *morbo* quidem, libidini et vitio vestro aliquantulum *indulgetis*, vel nobis, clientibus vestris, qui vestræ libidini satisfacimus, aliquid datis? *Heinecke* hæc adnotavit: « Hoc et mihi verisimillimum videtur. Est exclamatio poetæ jam non mirantis, ejusmodi homines clientibus nihil dare, quum ne amatores quidem quidquam accipiant. — *Morbus* est inveteratus affectus et cupiditas, tum impura libido. Egregie de hac voce disputant Gron. ad Senec. de Ben. I, 14, et Mitscherl. ad Horat. Od. I, 37, 39. Sic *morbus* dicitur supra, II, 17 et 50.

NOT. 50—53. Hæc quoque verba poetæ tribui possunt eo sensu, ut iis contineatur lepidum consilium, Nævolo datum, et amara irrisio, tum formæ, tum avaritiæ et mollitiei Virronis cinædi: En formosulum illum et delicatum Ganymedem, cui tu potius quum tam avarus sit, munera mittas, et quidem *umbellam*, ne sole offuscetur, vel alium ornatum muliebrem, quum mulieris et amicæ loco sit tibi! Sed præferenda forte aliorum sententia, qui inde a vs. 50 Nævolum loqui putant hoc sensu: Hic Virro postulat potius, ut sibi mittantur munera. Hæc verba spectant ad ea, quæ Nævolus, vs. 46, 47, et verba vs. 48 et 49, ad ea, quæ ille vs. 45 dixerat. Vulgo innui putant, nihil cinædo tam ingrato donandum esse. Henninius: « Tales, inquit, *semiviri* vocantur Petronio aliisque hinc σπαταλοχίναιδοι, qui umbellis, armillis et similibus crepundiis ad instar puellarum superbiebant; unde et ad majorem indignationem addit dona isthæc mitti *femineis calendis*, id est, Martii. » Nam calendis Martiis, quæ et matronalia dicebantur, mariti uxoribus, amatores puellis munera mittere et tam matronæ, quam mariti sacra Junoni facere solebant pro matrimonii felicitate: unde *femineis*; non quia omnes calendæ Junoni sacræ erant.[1] Nota Ach. est: « Calendæ Martiæ feminis erant, qualia Saturnalia viris; easque celebrabant in memoriam belli cum Sabinis earum interventu compositi. Domi igitur manebant,

[1] Conf. Heyne ad Tibull. III, 1, 1; IV, 2, 1; Intpp. Hor. Od. III, 8; Ovid. Fast. III, 167 seq. Martial. V, 85, 11; IX, 91, 15, et X, 24; Suet. Vesp. 19.

comtæ, pulchrioribus ornamentis ornatæ, in *cathedris positæ*, atque sic amicos eorumque munera recipiebant; et, ut Macrob. I, 12, ait, « Servis cœnas apponebant matronæ, ut domini Saturnalibus. Satirica igitur est illa Nævoli exclamatio, qui Virroni objicit munera tamquam feminæ et eodem tempore allata. » *Umbella* seu *umbraculum*, σκιάδιον (Dionys. Hal. VII) velum vel linteum tegmen, quod *umbram* facit et supra caput suspensum arcet æstum (*parasol*); quæ umbracula sæpe egregia erant et pretiosa; vide Paciaudi Σκιαδηφόρημα, seu de Umbellæ Gestatione commentarius, Romæ 1753, 1754, et *Böttigers Vasengemälde*, t. I, p. 150. — *Succina* (rectius *sūcina*) armillæ e sucino, vel sucino gemmisque distinctæ; non vasa. Vide ad V, 24 in Var. Lect, et ad VI, 573. — *Succina*, gemmata dextrocheria, explicat vet. Schol. ad quem *Crammer*, p. 362, notavit post alios *dextrocheria* hic nominari, quæ alias *dextralia* sunt. De iis videndi Casaub. et Salmas. ad Capitol. Maximin. cap. 6; quorum hic quoque ad Trebell. in XXX Tyrann. cap. 14. Ed.

Not. 51. *Natalis* dies Virronis, quo cognati et amici dona mittere solebant. — *Quoties ver incipit*, calendis Martiis, quo mense veris initium est.[1] Vernum autem tempus proprie incipit vii Id. Feb. vide Varr. Re Rust. I, 28, et Plin. XVIII, 25. — *Madidum ver*, vide ad IV, 87.

Not. 52. *Cathedra* etiam viro effeminato apte tribuitur; vide ad I, 65, et VI, 91. — *Positus*, repositus, jacens vel sedens in *cathedra*, tamquam femina. Confer Prop. IV, 5, 37, et Mart. III, 63, 7. — *Strata*, constrata tapetibus mollibusque cervicalibus.

Var. 53. *Tractat* egregius Cod. Putean. quod bene conj. Britan. Grang. et C. Vales. quodque nunc pro vulg. *tractas* recepi cum Ach. vid. Comm. Heinek. scribendum censet *tradas*, hoc sensu : postulat, ut calendis femineis venias juxtaque eum in cathedra sedens tradas munera secreta. Sed neque emendatio hæc, neque interpretatio multis arridebit. Præstitisset saltem: *et* cui *strata posito*....... *tradas*, etc. Mireris tamen, non plures intpp. hæsisse in vulg. lectione, quæ, si quid video, plane inepta est.

Not. 53. *Munera secreta*, secreto missa, et quæ non audet palam ostendere, utpote pudenda et muliebria, quæ ipsi tanquam feminæ a Drauco missa sunt. Arcte autem jungenda sunt verba, quibus idem tempus designatur : « Aut *quoties* madidum ver incipit, et *Virro*, strata positus longaque cathedra femineis calendis (vere ineunte), secreta munera tractat, » manibus pertractat muliercuiæ instar, dulcedine eorum taliumque deliciarum captus.

Var. 54. *Cui prædia*, 10, 11, 12, 14, 21, 22, et quidam Codd. Paris. quos secutus est Ach. *et prædia*, 15.

---

[1] Male vet. Schol. « Matronalibus, quæ sunt calendis Aprilibus, quibus est *natalis* Veneris. »

Not. 54 seq. Jam aperte Nævolus in Virronem vel cinædos ei similes, eorumque et avaritiam et mollitiem debacchatur. — *Passer* dicitur homo mollis et lascivus, ut *oscula passerina* et *prandium passerinum*. Pompon. ap. Nonn. 2, n° 335, nam passeres in Venerem proni ac salaces, unde et esus eorum ad libidinem excitare currusque Veneris ab illis trahi credebatur. [1] — *Cui*, in cujus gratiam tam avarus es et tot opes colligis? — *Montes*, vineis consitos. — *Apula*, epith. orn. quoniam Apulia fertilissima Italiæ regio fuit. Conf. intpp. Horat. Od. III, 16, 26 seq. Martial. X, 74, 78, et supra ad IV, 27, in Var. Lect. — *Tot milvos intra tua pascua lassos*, hoc est, latifundia tam ampla, ut etiam milvi ea transvolantes delassentur. Confer Pers. IV, 26, et Petron. 37, ut de talibus latifundiis Sen. Ep. 83.

Var. 55. *Appula* pro *Apula* recepi ex 18, 19, 23, 24, 46, 47, 49, 50, 60, 62, 64, 65, 68, 69, 71, 72, 73, ut metro consulatur. Vide ad Sat. IV, 24—27, extr. — *Inter*, 25, 48, 56, 57, 59, 60, 65.

Var. 56. *Tripholinus*, 27, 48, 59, 60, 65.

Not. 56. *Trifolinus ager* dici putatur ager Trifolii, oppidi vel montis Campaniæ (quem Prateus nunc vocari credebat *Monte di S. Martino*, haud procul Neapoli), vel, quia Trifolium oppidum aut mons a nullo scriptore memoratur, ager Campanus, qui vina tulerit *trifolina*, hoc est, tertio foliorum exortu adeoque tertio anno ad bibendum tempestivo. Vinum Trifolinum laudant Athen. I, 21; Martial. XIII, 114, et Plin. XIV, 6, ubi vide Hard. — De Trifolini agri nomine aliam affert interpretationem Juvencius; qui eum sic dictum putat ab herba trifolio, *le trèfle*, quæ plurima in eo nascitur. *Crammer* ait prope accedere ad nomen hoc ignoti agri, fundi *Trivinioli* nomen, quod exstat in Cod. Traditionum Eccles. Ravennat. quem eleganter edidit Bernhartius. Ed. — *Implet* cellam et dolia tua vino, ideoque te locupletem reddit. Ed.

Not. 57. *Suspectum jugum Cumis*, ut vulgo putant, Misenum prom., Cumis imminens et ruituro simile (vide Burm. ad Valer. Fl. VI, 149). Hoc tamen a Cumis tribus circiter millibus passuum distat, nec, quod sciam, vitiferum fuit. Grangæus suspicabatur, arduum montem, qui a balneis Triperquilinis absit MD passus, et ubi adhuc insignes Hamarum ruinæ conspiciantur, designari eumque *suspectum* dici *Cumis* propter historiam, e Liv. XXIII, 35 seq. notam. Fuit etiam mons ad Cumas et huic urbi imminens, de quo vide Heyne ad Virg. Æn. VI, 9 seq. et in Exc. III. Sed forte significatur hoc loco Vesuvius, qui longius quidem etiam Miseno distat a Cumis, sed cineres tam late spargit, ut huic quoque

[1] Vid. Athen. IX, 10 (IX, 46 ed. Schweig.) et Sappho in hymno in Venerem ap. Dionys. Halic. de Compositione verborum, cap. 23; Opp. tom. 5, ed. Reisk. p. 176 seq. Plin. X, 36, et Cic. Fin. II, 75.

urbi *suspectus* vocari possit.[1] Idem pulcherrimus omnium Campaniæ montium, vitibus amictorum, dicitur Flor. I, 16, 5. Conf. Virg. Georg. II, 224; Martial. IV, 44, et al. — *Gaurus*, Campaniæ mons (hodie *il Monte Barbaro*), inter Puteolos et Lucrinum Avernumque lacum, vini feracissimus.[2] — *Inanis;* Grang. tibi non sufficiens et tam inutilis ac si nihil haberes. Schol. vet.: « Superexhaustus, ut transacto vindemiarum tempore; aut quia vaporiferos specus habet; (adeoque concavus, cavernosus) aut melius est sic intelligere, quia omni arbore exspoliatus est et solis vinetis vacat. » Tertiam rationem probat Oberlin. ad Vib. Seq. pag. 324; secundam Ach. cujus nota est: « Mons vitibus consitus non est *inanis;* sed forte olim ignifluus mons fuerat, *un volcan*, tunc temporis exstinctus. » — Hoc vocab. *inanis* hic nihil certi habet, nec unquam habiturum videtur; itaque omnibus conjecturis favere potest. Aliquando cogitaveram ita dici quia *raræ* ibi fuerint vites, non consitæ et abundantes, ut aliis in locis, sed nihil apud auctores invenio, quod meæ faveat opinioni. Ed.

Not. 58. *Nam quis plura*, quam tu, *dolia* vini recondit in cella? Quis plura possidet vineta, et tamen tam avarus est, ut ne clientibus, quales nos sumus, vini quid det? *Dolia*, cados, *linit*, eorum corticem pice vel cera et gypso oblinit, *musto victuro* (dat. pro genit.), ut multos annos duret. De vetustate vini ejusque condendi, linendi et conservandi ratione vide ad V, 30.

Not. 59. *Quantum erat*, quantula res fuisset? « Quanti constitisset, tibi, si meis *lumbis* (in quibus vis major Venerea), hoc est, si mihi, clienti tuo, *exhausto* in tua libidine explenda, dedisses *pauca jugera*, prædiolum? » Ach. *Exhausti* Venere, ut fere *exsorbere viros*, X, 223. — *Lumbos*, vide ad VI, 314.

Var. 60—62. *Melius ne*, 59, 60, a quibus etiam *hic* abest, ut ab 25, 57. *Melior*, 27, 47. *Melior nec hic*, 48, 58. *Melius næ..... legatus fiet amici*, 24. Idque malebat Britann. hoc sensu: *næ*, profecto, *hic*, Romæ, *melius*, cum majori emolumento, *legatus*, internuncius et veluti leno *fiet amici pulsantis cymbala*, sacerdotis Cybelei: majus lucrum ita faciet puerulus *rusticus*, qui pauperrimus est, et aliud nihil habet, quam matrem et casulam et catellum. Grangæus: certe melioris conditionis est comes idemque draucus Galli *cymbala pulsantis*, quem per provincias errans stipem mendicandi gratia ducit

[1] Vid. Heins. et Burm. ad Valer. Flacc. II, 620; IV, 509 et intpp. Sil. XVII, 592 seq.

[2] De quo vid. Plin. XIV, 3 et 6; Stat. Silv. III, 1, 147; 5, 99; IV, 3, 65. Si Capaccio in Ant. Puteol. c. 22, fides habenda, tres fuere montes in Campaniæ finibus, Gauri nomine appellati, primus prope Massicum et Minturnas, alter circa Nuceriam et Surrentum, tertius prope Avernum et Lucrinum.

una cum matre, etc. quam ego, qui tecum soleo. Non magis probanda Achaintrii explicatio: *An hic rusticus infan*, verna, *legatus*, ex testamento datus; relictus, *melius fiet* scil. portio hereditaria, vel proprietas (alterutrum subauditur), *amici tui cymbala pulsantis*, quam mei, qui, etc.? Omitto alias aliorum nugas. — Vs. 61. *Caculis*, 8, 9, 75, 76, hoc est, servis rusticis, vernis, propr. servis militaribus. Vid. Plaut. Trin. III, 2, 95, et Pseud. Argument. Varr. Ling. Lat. IX, 3, et Fest. Vulgatam lectionem ex Sat. XI, 153; XIV, 167, 179, ortam putabat Pithoeus. — *Cum lusore*, 10, 12, 15, 16, 18—25, 45, 46, 48—50, 54—69, 71—73. *Cum jussore*, 11. — Vs. 62. *Legatum*, ex 1, 48, 75, Cod. Putean. et altero Pithoei post Farnab. Lubin. Prat. et Maittar. substitui pro vulg. *legatus*, quæ lectio inepta videtur, certe ineptas peperit interpretationes. Nescio, utrum legerit Ferrarius, qui Elect. II, 16, h. loc. ita exposuit: *meliusne* ergo, id est, lautius legatum villici filius capiet a pathico, quam draucus ipse, qui non agrum colit, sed dominum? At sic poeta dixisset *legatarius fiet*, vel *legatum capiet*: neque ita satis congruunt reliqua verba *cum matre et casulis*, etc.

Not. 60—62. Num *hic*, in jugeribus tuis, *rusticus infans cum matre*, etc. hoc est, num jugerum tuum *melius legatum fiet amici*, testamento potius a te legabitur amico tuo, *cymbala pulsanti*, hoc est, Gallo vel pathico, Gallis simili, quam mihi drauco pauperique clienti tuo, qui libidini tuæ satisfacio, nec patior muliebria, sed mariti vice fungor? Conf. Var. Lect. et Lips. Epist. Quæst. IV, 25. *Rusticus infans*, verna, *cum matre*, ancilla, et *casulis*, mapalibus et attegiis. Quis sit *amicus cymbala pulsans*, non satis constat. Vulgo explicant Gallum coll. VI, 515, VIII, 176, et vetus Schol. Archigallum.

Var. 63. *Ais* semper legendum putavi, et nunc recepi ex 14, 15, 17, 18, 21, et VIII Codd. Paris. (Alex. Mazarin. Pithoei, Franchetii, Senatorio et tribus aliis). In reliquis *ait* scil. Virro, seu cinædus. Sed hæc ellipsis dura est, et inde a vs. 54, Nævolus inducitur colloquens cum Virrone vel cinædo. *Pusio* pro *pensio* legisse videtur Heins. ad Ovid. Met. III, 454. Non male! Cf. supra VI, 34, 35.

Not. 63. *Improbus*, impudens, *es*, *quum poscis*, impudenter postulas vel postulare soles. — *Sed pensio clamat*, etc. responsio Nævoli, importune et pervicaciter rogantis poscentisque. — *Pensio*, tempus solvendæ pecuniæ, vel *pensio* pecuniæ certis diebus solvendæ pro conducto agro vel domicilio et cœnaculo, vel pro argento, quod sumptum est fœnore. — *Clamat*, acclamat quasi mihi, *posce*, hoc est, me monet, cogit, urget, ut a te poscam.

Not. 64, 65. *Sed appellat*, poscit, ut id petam, vel rogat, ut poscam (vide ad VII, 158). *Puer unicus*, servus, qui mihi unicus est, ut Polyphemo unus fuit oculus, *per quem*, propter quem effossum, quia unus fuit, *Ulysses evasit*, quique solus mihi satis non est, ne in discrimine rerum mearum verser, vel tot molestiis premar, quemadmodum unus

oculus non satis fuit Polyphemo; nam si duos habuisset, non evasisset Ulysses, vel ipse, uno certe ictu, excæcatus esset. Ita vulgo mentem poetæ capiunt; sed rectius forte *F. Didot* in edit. Ach. « Juvenalis innuit, Nævoli servo, quem habet unicum, esse vestem foraminibus adeo latis distinctam, ut per eam homo possit evadere, veluti per oculum Cyclopis, quem habebat quoque unicum, potuisset Ulysses evadere; Gall. *Mon unique esclave, qui est si mal vêtu qu'un homme pourrait passer à travers les trous de son habit, comme Ulysse*, etc. Cæterum hæc comparatio, quæ nobis adeo ridicula videtur, fuit forte locutio proverbialis his temporibus usitata. » Crediderim tamen, *puerum*, hoc loco, esse catamitum, qui *pusio* dicitur, VI, 34 seq. Sic quoque drauco melius conveniunt verba sequentia. *Alter emendus erit* puer, *namque hic* unicus *non sufficit*, non satisfacit libidini meæ. Lubinus monet, de industria, hoc loco, et infra aliquoties Nævolo, ut bipedi asello et stolido nebuloni, ineptissimum tribui sermonem, ut stoliditas ac stupor cum insigni turpitudine conjunctus in eo exprimatur. Rigaltius vero in Diss. de Sat. Juvenalis, suspicabatur, poetam, hyperboles Virgilianæ (Æn. III, 636, 637) carpendæ mendaciique poetici rhetorico mendacio repercutiendi causa, dixisse, adeo *latam* et amplam fuisse oculi Polyphemi *aciem*, ut *per* eam Ulysses evaserit. — Mihi quidem probabilior videtur prima omnium interpretandi ratio; nam ea, quam edidit cl. *F. Didot*, etsi peracuta, quomodo tamen ex Juvenalis verbis exprimi possit, non equidem video. Ed. Ceterum notissima est fabula de Polyphemo Cyclope et Ulysse, qui illo excæcato, incolumis cum sociis evasit, ex Hom. Odyss. ι, 182—542; Eurip. Cycl.; Virg. Æn. III, 613—791 (ubi vide Heyne) et al. De Cyclopibus μονοφθάλμοις vide Heyne ad Apollod. I, 1, 1, et de ingenti oculo Polyphemi idem ad Virg. Æn. III, 636, 637. — *Unicus*, hoc est, qui domino suo unicus est et solus.

Var. 65. *Postquam* emendat male Grang. ut sensus sit: Tam alte me appellat, quam alte vociferabatur *Polyphemi lata acies*, hoc est, Polyphemus, postquam ei inebriato Ulysses evasit: de cujus Cyclopis clamore vid. Virg. Æn. III, 672. seq. — *Ulixes* recepi ex 17, 18, 19, 21—24, vid. Heins. et Heyne ad Virg. Ecl. VIII, 70. *Ulyxes*, 20, 27, 46, 47, 49, 58. Vulgo *Ulysses*.

Not. 65. *Acies*, Oculus. Ulysses hoc loco, et Ovid. ex P. IV, 14, 35, *sollers* dicitur, ut aliis poetis *versutus*, *fallax*, *pellax*, *duplex*, et Homero πολύμητις, ποικιλομήτης, πολύτροπος, πολυμήχανος, Διΐ μῆτιν ἀτάλαντος. Conf. intpp. Horat. Od. I, 6, 7.

Not. 67—69. Facete pro, ambo vestiendi sunt, inpr. in *bruma*, hoc est, hiemis tempore, quo frigidi *spirant* venti.

Var. 68. *Puerorum aquilone Decembri*, 1, Cod. Put. et edd. recentt. *Servorum mense Decembri*, 10, 11, 12, 14—17 a m. sec. 18—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et ed. Ach. forte e glossa. Vulgo ita interpungitur: *Quid*

quum bruma spirante? quid, oro, Quid dicam scapulis puerorum aquilone flante, seu spirante in *Decembri Et pedibus?* Quæ duræ sunt ellipses. Nos distinctionem nunc ita mutavimus *bruma? spirante quid*, etc. quo omnis difficultas sublata videtur. — Sic Ruperti : nos autem vulgatam sequimur, quia nullas ellipses putamus : utitur poeta *Aquilone Decembri*, ut Horatius *libertate Decembri*, et *Septembribus horis*. Ed.

Not. 68. *Quid* dicam *scapulis et pedibus puerorum*, servorum, lepide pro, servis, quum vestes petunt et calceamenta, quibus humeri ac pedes tegantur, *spirante Aquilone* in *Decembri*, vel potius *Aquilone Decembri*, hiberno : nam etiam æstivus est, qui etesias dicitur. Vide Plin. II, 47, et 49; XVIII, 34. Conf. Var. Lect.

Var. 69. *Aspectate*, 47, 48, 64.

Not. 69. Dicamne, *durate* vos, fortiter tolerate frigus, *et exspectate cicadas*, adventum cicadarum, hoc est, æstivi temporis? (conf. Plin. II, 26 et 27). Interea illi frigore enecarentur. Lepida verba, haud dubie efficta ex Virg. Æneid. I, 207, ubi vid. Cerda et Heyne. Confer Sueton. Calig. c. 45.

Var. 70. *Dissimiles* pro *dissimules*, 16, 18—24. Vide ad II, 3. — *Ut omittas*, 15, *et mittas*, 23.

Not. 70 seq. Facete draucus beneficia sua exprobrat; *ut*, quamvis *dissimules* et *mittas*, prætermittas, nihili facias, *cetera* officia mea ac beneficia, tibi præstita. — *Quanto metiris pretio*, quanti facis.

Not. 71. *Tibi deditus devotusque cliens*, addictus et ad officia quævis tibi præstanda paratus.

Not. 72. *Uxor tua virgo maneret*, non gravida facta esset, propter tuam impotentiam.

Not. 73. *Ista* officia, hoc, scilicet ut efficerem, quod tu ipse non posses. — *Quibus modis*, quam vehementer, suppliciter et sæpe.

Not. 74. *Puellam*, uxorem tuam, *fugientem*, e domo tua aufugere volentem, *amplexu* meo *rapui*, ex fuga retraxi. — *Puella*, hoc loco uxor, ut *virgo*, *nympha*, παρθένος, νύμφη; vide ad II, 59.

Not. 75. *Tabulas* dotis vel nuptiales *jam ruperat*, quod fiebat in divortiis, *et signabat* alias (conf. II, 118), alteri jam nubere volebat. In his tabulis solennia erant verba : « Procreandorum caussa liberorum uxorem duci; » et in divortiis *rumpebantur tabulæ*. Conf. Tac. Ann. XI, 30, ibique Lips.

Var. 76. *Hæc*, 25, 27, 45—50, 55—63, 65—69, 71—74. *Ergo*, 46, 47, 48, pro *ego*.

Not. 76. *Tota nocte*, totius noctis laboribus *redemi*, placavi iram tibique reconciliavi.

Not. 77. *Te plorante*, metu infamiæ ac repudii, *foris*, ante januam

cubiculi. *Testis mihi lectulus*, etc. Conf. Catull. VI, 6—11, et Ovid. Am. III, 14, 26. Εἰπὲ δὲ σημεῖον, Βακχῶν ὅτι πέντ' ἐφίλησα ἑξῆς, ὧν κλίνη μάρτυς ἐπεγράφετο, Asclepiad. Epig. XXVII, 11, 12; in Brunck. Anal. tom. I, pag. 217, ubi conf. Jacobs ad Antholog. Græc. Vol. I, P. II, pag. 47.

Not. 78. *Ad quem pervenit*, a quo auditus est. — *Lecti sonus*, crepitus. Conf. Catull. loc. laud. et Ovid. Am. III, 14, 26. — *Vox dominæ*, uxoris, præ libidinis impatientia gannientis in concubitu et subantis. Confer ad VI, 64, 65; Horat. Epod. XII, 11, et Ovid. Am. III, 14, 25.[1] — *Dominæ*; vide ad VI, 30.

Var. 79. *Et dirimi*, 22. — *Jam fere solutum*, 24.

Not. 79. Confirmatio prioris sententiæ : *instabile* autem apud homines mulierosos et pathicos est conjugium : quippe ii mulieribus a se ductis non possunt satisfacere. Ach.

Var. 80. *Servabit*, 10, 13, 17 a m. sec. 19.

Not. 81. Distinctionem non mutavi, quamvis suadente Ach. ita capiente mentem poetæ : *Quo te circumagas*, quocumque te vertas, ut subterfugias vim argumentorum meorum et ingrati animi excusationem invenias, *quæ*, quæcumque ex meritis beneficiisque meis, *prima aut ultima*, primo aut ultimo loco, *ponas; nullum ergo*, etc. Vulgo hæc jungunt præced. verbis et interpungunt : *Quo te circumagas? quæ prima aut ultima ponas?* quo fere sensu Virgilium dixisse putant, *quæ quibus anteferam?* Æneid. IV, 371. Bahrdt exponit : *quæ prima aut ultima ponas*, scilic. in rationibus, ut sententia sit; quocumque demum modo rationes subduxeris, debitor mihi eris, nostræ rationes sibi non respondebunt, hoc est, beneficia non paria erunt. — Vulgatam sequimur. Ed.

Var. 82. *Et* pro *ac*, 23. *Aut*, 24.

Not. 82—90. Confer ad I, 55 seq. Verba sarcasmi et indignationis plena.

Var. 83. *Aut filia*, 17—20, 45. *Quod filia*, ex 11, et duobus MSS. Paris. nunc pro vulg. *vel filia* substitui tamquam venustius aptiusque ad augendum beneficium. Favent etiam huic lectioni verba sqq. *spargere argumenta viri*, de quibus vid. Comm.

Var. 84. *Libris auctorum*, 7, 11, 20—24, 29. *Titulis actorum adspergere*, vel *tabulis actorum spargere* legebat Serv. ad Virg. Georg. II, 502.

Not. 84. *Tollis* liberos, etsi spurios. Vid. ad VI, 38.

Not. 85. *Argumenta viri*, indicia virilitatis, liberos, procreatam so-



[1] Vetus Schol. « In coitu non tacentis, quod virgo erat; ut sit mariti major infamia. »

bolem, *gaudes libris actorum spargere*, eorum nomina inserere, vel potius passim adnotare, ut ad plures spectet liberos. Vide ad II, 136. — *Foribus suspende coronas;* nam coronis ornabantur fores domus puerperæ. [1]

VAR. 86. *Posses*, 11, 16.

NOT. 86. *Famæ*, infamiæ, *opponere*, quum vel ne dicaris orbus esse et inhabilis soboli procreandæ, aut mulier et cinædus. Confer Lucillii Epigr. VII, in Brunck. Anal. tom. II, pag. 318. — *Fama* apud poetam est, secundum cl. *Crammer*, nota orbitati ex legum censura inusta, nam ex lege Papia, haud paullo mitior orbi conditio quam cælibis erat. ED.

NOT. 87. *Jura parentis*, quæ vulgo *jus liberorum*, et Tac. Ann. III, 28, *privilegia parentum* dicuntur, hoc est, præmia maritorum patrumque, honores et commoda, ut scil. præferrentur aliis in petitione honorum (vid. Tacit. Annal. II, 51), in sorte et longiore administratione provinciarum (vid. Tac. Ann. XV, 19, et Dio LIII, 13), et in omni magistratu (conf. Gell. II, 15), ut honestiorem in spectaculis locum obtinerent (vid. Suet. Aug. 44), ut, qui plures haberent liberos, in Urbe tres (unde illud *jus trium liberorum*), in Italia quatuor, in provinciis quinque, a tutela aliisque muneribus personalibus immunes essent, etc. — Multa, inquit *Crammer*, ad hunc locum Satirici, e penitissimis jurisprudentiæ Romanæ penetralibus haustum, et ab interpretibus ad unum omnibus pessime adhuc tractatum, dici poterant, inprimis post detecta Gaii JCti opima spolia Veronæ suspensa, nisi diligentiam nostram nuper prævertisset industria et eruditio viri ampl. Hugonis in Histor. Jurispr. Rom. pag. 557, edit. octavæ. ED.

VAR. 88. *Legati omne*, 44, prob. Heins. ad Ovid. Her. Epist. VIII, 104, quem vid. Sed verendum est, ne poetæ sic elegantia obtrudatur, quæ forte nulla est, et quam aut respuit, aut non recordatus est. Confer infra ad X, 155. — *Rapis*, 18.

NOT. 87—90. Lege Papia Poppæa cautum erat, ut cælibes ex aliorum testamentis nihil caperent, nisi e proxime junctorum, et nisi post testatoris mortem intra centesimum diem matrimonium contraherent; orbi non nisi dimidium; solitarii vero, hoc est, unius filii vel filiæ parentes, *legatum omne* sive solidum; [2] utque decima pars legati *caduca* esset, sive in fiscum *caderet*, si legatarius careret liberis. [3] — *Caducum*, quod sine

[1] Vide ad VI, 51, Meurs. Att. Lect. IV, 10; Sagittar. de Jann. Vett. c. 30, §20, et Bartholin. de Puerpp. Vett. p. 125.

[2] Non majorem tantum partem, quod Lipsius suspicabatur in Exc. ad Tacit. Annal. III, 25—28.

[3] Ulpianus, tit. 17: « Quod quis, inquit, sibi testamento relictum, ita ut jure civili capere possit, aliqua ex

mea opera caducum fuisset: *dulce*, quod ex insperato et mea opera tibi obtigit, et in te tuosque liberos, quos mihi debes, *cecidit*. Legatis enim hæc conditio adjungi solebat: *quandoque liberos habuerit*. Legis autem Papiæ Poppææ duæ erant partes, *nuptialis* una, altera *caducaria*, quæ de *caducis* legatis agebat.

Var. 89. *Junguntur*, 10, 11, 12, 14—27, 45—50, 54—69, 71—74, et omnes fere Codd. Paris. unde recepit Ach. cujus nota est: præsens tempus aliquando pro futuro usurpatur ac sæpe sæpius vividius est. — *Caduco*, 60, 64, 65.

Not. 89, 90. *Commoda præterea jungentur*, adjungentur, accedent per me, *multa caducis*, his legatis, quæ in te tuosque liberos cadent, *si numerum*, *si tres*, hoc est, numerum trium liberorum, *implevero*. Multa enim præmia proposita erant iis, qui liberos, plurima vero iis, qui tres pluresve haberent.[1]

Not. 90. Verba poetæ, simulantis miserationem: *Justa doloris...... affert*.

Not. 91. *Ille* dives avarus, Virro. *quid affert*, quid dicit, quo se excuset?

Not. 92—102. Respondet Nævolus. — *Negligit*, contemnit me, non curat, nihil dat. — *Bipedem asellum*, stultum hominem, qui eamdem operam gratis præstet, servum draucumque simplicem et robustum, vel bene mentulatum, quem eodem modo decipiat. Nota C. Valesii est: « *asellum*, hoc est, pædiconem bene mentulatum asini more, quales fuisse Commodo et Elagabalo, ὄνους et ὀνοβελεῖς hinc dictos, tradit Lampridius. A Phædro in ultim. fabul. lib. III, et in Copa Virgilii *asinus* vocatur *delicium Gallorum*, scilic. quod illis nimium lascivis fœdæ libidinis ministerium præstabat, ut docet Apuleius in Milesia. » Conf. supra ad I, 59, in nota 23.

Not. 93. *Hæc* vero, quæ de Virronis turpitudine et avaritia dixi, sunt secreta, *tibi soli commissa*, credita. — *Celare momento*; vid. ad V, 71.

Not. 94. *Intra te fige*; vid. ad V, 12.

Var. 95. *Levis*, non *lævis*, 17, 19, 23, 24, 60, 65. Recte.

---

caussa deinde non ceperit, caducum appellatur, veluti ceciderit ab eo (et in alium, vel fiscum) v. g. si cælibi vel Latino Juniano legatum fuerit, nec intra dies centum vel cælebs legi paruerit, vel Latinus jus Quiritium consecutus fuerit; aut si ex parte hæres scriptus vel legatarius ante apertas tabulas decesserit, vel peregrinus factus fuerit. » Conf. ad VI, 38, quosque ibi laudavi, Bach. et Lips.

[1] De quibus commodis et de celebri illo *jure trium liberorum*, vide Lips. Exc. ad Taciti Annal. III, 25; intpp. Gell. II, 16, et Rader. ad Martial. II, 91.

Not. 95. *Pumice levis*, mollis et cinædus; vid. ad II, 12, et VIII, 15.

Not. 96. *Qui modo* omne *secretum* mihi *commiserat*, tanquam familiari suo. Conf. III, 113. — *Ardet* nunc ira et indignatione.

Not. 97. *Quidquid scio*, omnia arcana, quodque secreto opera mea usus sit.

Not. 98. *Aperire caput* vulneribus, hoc est, vulnera ei infligere. — *Candelam*, ignem, *apponere valvis*, foribus (ut *cereum ardentem ante meretricis fores abjicere* in Curii Fortun. lib. I), ædes meas incendere. Conf. XIII, 145, 146.

Var. 99. *Non contemnas*, 14. *Ne contemnas..... nunquam careas annona veneni*, 11, 15, non improb. Schurzfl. ut sit quasi apostrophe ad cellam venenariam. — *Nec despicias*, 23, 60, 65, 77.

Not. 99. *Nec contemnas aut despicias*, cave etiam nihili pendas hoc, *quod his opibus*, etc. vel potius; cave contemnas hominem tam mollem atque effeminatum, quoniam *his opibus*, hoc est, divitibus, vel in tantis opibus, *nunquam cara est annona*, pretium, *veneni*, hoc est, tam divites homines emere et possunt, et solent venenum, quo necent eum, a quo ne evulgetur turpitudo sua verentur.

Var. 100. *Nunquam careas*, 11, 14—17, 20—24, 45, et XV Codd. Paris. *Careas nunquam*, 18.

Var. 101. *Tegas*, 15.

Not. 101. *Ergo occulta*, secreta tibi a me commissa, *teges*, *ut curia Martis Athenis*, Ἄρειος πάγος (*Areum judicium*, apud Tacit. Ann. II, 55), celeberrimum illud Atheniensium δικαστήριον, seu ἡ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴ in Acropoli, cujus judices, Ἀρεοπαγῖται, quidquid in eo agebatur, alto premebant silentio (unde etiam proverbio quis dicebatur Ἀρεοπαγίτου σιωπηλότερος et στεγανώτερος), et κρύβδην ψηφίζειν solebant.[1] Eosdem propterea noctu et in tenebris judicasse putant, nisi potius ἐν νυκτὶ καὶ σκότῳ δικάζουσιν, ὡς μὴ ἐς τοὺς λέγοντας, ἀλλ' ἐς τὰ λεγόμενα ἀποβλέποιεν, Lucian. Hermot. c. 64. — Hinc Persius, Sat. IV, « Nigrum scis ponere Theta. » Areopagus dicitur ab Ἄρης, Mars, et πάγος, saxum, collis: hic enim a Neptuno Mars homicidii accusatus coram duodecim Diis, sex sententiis absolutus est. Ed.

Not. 102—122. Verba poetæ, quibus confer Petron. Fragm. IX, in Wernsdorf. Poet. Latin. min. tom. III, pag. 75, et Sarisber. Policr. III, 12. — *O Corydon*, o stulte, demens, rustice, rerum imperite; ex Virg. Eclog. lib. II, 56 et 69. Ed.

[1] Vide Macr. Sat. VII, 1; Meurs. de Areopago; Potteri Archæol. Gr. I, 19; Scalig. ad Pausan. I, 28; Perizon. ad Ælian. V. H. V, 15.

VAR. 103. *Loquuntur*, 13, 22, 24, et X MSS. Paris. quod nunc pro vulg. *loquentur* revocavi cum Ach. quia sequitur *clamant.*

NOT. 103. *Ut*, quamvis. — *Jumenta loquuntur et canis et postes et marmora*, quemadmodum proverbio dicitur *etiam saxa loquentur*. Confer Propert. I, 18, 4; Habacuc. II, 11; Catull. VI, 7, ibique Doering.

VAR. 105. *Tolle*, 15. *Tollito* pro vulg. *tollite* nunc recepi cum Ach. ex 10, 13, 16, 17, a m. sec. 18, 19, 25, 27, 46—50, 54—69, 71—74, 77, et quibusdam Codd. Paris. nam verba *claude* et *junge* præcedunt.

NOT. 105. *Vela tegant rimas*, conf. Martial. I, 35, 5 seq. XI, 46, 3 seq. et supra ad VI, 228. — *Ostia et januæ* propr. dicuntur fores in liminibus ædium, introitum dantes, quasi *os* et *Janum*. Confer Cic. N. D. 2, 27, *junge ostia*, claude, ut *junctas fenestras* dixit Horat. Od. I, 25, 1.

VAR. 106. *Clamant* et *clament* omnes Codd. nostri et Paris. nec non 45—50, 54, 55, 57—69, 71, 72, 73, 77. *Taceant* substituit Pithœus, quem secuti sunt editores recentt., putantes illud contra mentem poetæ dici. Sed recte eam cepisse videtur Ach. quo præeunte veram et ant. lect. omnium librorum nunc restitui et mutavi distinctionem. *Tollite lumen E medio, claves omnes, prope nemo recumbat* emend. Schurzfl. quia non apte dicatur *omnes*, si soli aut bini sint intra conclavia. Ipse olim suspicabar *jaceant*, scil. in lecto, seu somno et media nocte (*ad cantum galli*, vs. 107, quo potissimum tempore aliquid clam fieri potest et solet) *omnes* servi ac reliqui, qui in ædibus sunt, et remoti a cubiculo domini, *prope* hoc cubiculum *nemo recumbat*, etc. Sed non est, quod emendemus, quæ satis conveniunt, et reponamus *taceant*, quod male repeteretur.

NOT. 106. *Clamant omnes*, tantæ infamiæ palam adversantur, contra assurgunt; Ach. Conf. Var. Lect. — *Prope* cubiculum.

VAR. 107. *Galli cantum*, 11, 14. — *Ipse*, 20. — *Secundum*, 17, 72.

NOT. 107. *Quod tamen ille* dives dominus ac cinædus *facit*, libidini indulgens, *ad cantum galli secundi*, hoc est, secundum, adeoque tempore antelucano, ut mox *ante diem:* nam gallus primum a media nocte canit, et deinde medio inter μεσονύκτιον et auroram spatio. Quare galli noctu canant, disquirunt Cic. Div. II, 26; Plin. X, 21, seu 24 (ubi vid. intpp.), et Cœl. Rhodig. XIV, 13. — Macrob. Saturn. I, 3, noctem dividit hoc modo : « primum tempus est mediæ noctis inclinatio, deinde gallicinium, post conticinium, quum et galli conticescunt, et quiescunt homines. » ED.

VAR. 108. *Sciat*, 45.

NOT. 108. *Proximus*, vicinus, finitimus, *caupo ante diem*, jam eodem fere tempore, quo factum est, paulo post *sciet*, a servis comperiet, *et*

audiat simul, *quæ pariter finxerunt*, affinxerunt, commenti sunt, *librarius*, *archimagiri* et *carptores*, hoc est, servi: nam

> Fama malum, quo non aliud velocius ullum:
> Mobilitate viget viresque acquirit eundo.

Virg. Æneid. IV, 174 seq. Cum delectu positus est *caupo;* nam in cauponam multi, iique rumigeruli, quotidie et jam summo mane conveniunt: præterea *proximus* est. — *Librarius* servus, scriba, qui libros, epistolas al. describit. Aliis est servus *libræ* præpositus culinariæ, aut ferculorum diribitor et index e *libro*. — *Archimagiri*, ἀρχιμάγειροι, magistri coquorum. — *Carptores;* vid. ad V, 120, et Lips. Saturn. Serm. II, 2.

Var. 109. *Libarius*, hoc est, dulciarius, conj. non nemo, teste Plathnero.

Var. 110. *Raptores*, 4. *Fartores*, 6, 21. *Captores*, 14. Nec defuere, quibus hæc arriderent: eos tamen non bonos veterum conviviorum arbitros fuisse, dicit Lips. Saturn. Serm. II, 2. — *Quid*, 17 a m. pr. 19, 46, 48, 59, 60, 64, 65. *Qui*, 47. Sed gravius est *quod crimen.* Nullum est crimen, quod non componant, etc. — *Carmen*, 49, 60, 65.

Var. 111. *Dominum*, 24.

Not. 110, 111. Senec. Epist. 47: «Infelicibus servis movere labra ne in hoc quidem, ut loquantur, licet; virga murmur omne compescitur et ne fortuita quidem verberibus excepta sunt;.... sic fit, ut isti de dominis loquantur, quibus coram domino loqui non licet.» — *Crimen componere*, fingere, comminisci, ut apud Cicer. Verr. III, 61. *Rumoribus* malis, quos de dominis suis spargunt, *ulciscuntur baltea*, hoc est, eorum verbera. — *Baltea* autem propr. accipio de cingulis e corio, non de loris vel flagellis, quo sensu nusquam vox legitur; etsi sententia fere eadem est.

Not. 112. *Per compita*, ubi plurimi homines conveniunt.

Not. 113. *Nolentem* quæri a garrulis istis eorumque nugas audire. Conf. verba garruli apud Horat. Satir. I, 9, 14 seq. *Vinosus*, ebrius, qui omnia, etiam arcana, effutire solet. *Inebriet*, facete h. loc. de *vinoso* pro obtundat vel impleat, *aurem*, ut *spiritus aeris flatibus venenatis inebriatur*, apud Sidon. Epist. I, 5. *Aures sermonibus refercire* vel *imbuere*, apud Cic. pro Rab. Post 14, et Tacit. Hist. IV, 7. Sic et Galli dicunt: *enivrer quelqu'un de son babil*, seu *caquet.* Similiter fere Romani *bibere*, *haurire*, *trahere auribus* vel *oculis*, pro cupidissime audire et intentissime videre, metaph. ab aviditate bibendi petita. *Aurem miseram*, tuam, qui sic misere torqueris: miserrimum enim est, garruli ineptiis patientes præbere aures.

Var. 114. *Roga*, 16.

Not. 114. *Illos* servos. *Paulo ante*, supr. vs. 93—101. *Petebas*, scilic. taciturnitatem.

Not. 116. *Quam potare* tantum *Falerni*, vini præstantissimi, et quidem *subrepti*, furtim ablati, quod dulcius esse dicitur, *quantum bibebat Lau-*

fella, matrona, *faciens* sacra[1] *pro populo*, pro ejus salute, Bonæ Deæ, in cujus sacris largiter potabant mulieres; de quo vid. VI, 314 seq. ubi etiam ipsius *Laufellæ* vinolentæ mentio facta, vs. 320 seq.

VAR. 117. *Saufeia*, 61, 70, 75, 76, 77, 82. *Laufeia*, 27, 50, 54, 58, 64. *Laufela*, 14—17, 20, 21, 22, 24. *Laufella*, 10, 11, 18, 19, 23, 25, 45, 46, 48, 49, 56, 57, 59—63, 65—69, 71—74, et omnes Codd. Paris. unde illud revocavi cum Ach. vid. supra ad VI, 320.

VAR. 118. *Est recte*, 18, 25, 46—49, 54, 57—60, 64, 65. *Recte* pro *recte est*, 10, 13—17, 19—24, 45, 50, 56, 61—63, 66—69, 71—74. — *Tum propter*, 10, 13, 15, 16, 19, 20, 27, 45. — *Pluria*, 11. — *Tum his* revocavi ex 11, 19, 20, 24, 31 a, 50, 56, 59, 61, 62, 63, 68, 74. *Tum de his*, 60, 65, et Codd. Ascens. ac Pontani. *Tum istis*, 64. *Tunc istis* reliqui, etiam Hennin. Omnia hæc substituta, ut fulciretur versus, qui tamen non ruit: nam litera *m* et vocales in fine vocis sæpe non eliduntur, et tum propter cæsuram atque hiatum, qui Juvenali frequentissimus est, producuntur. Conf. ad I, 151, et XV, 7; Oudend. ad Lucan. V, 526; Broekhus. ad Tibull. I, 5, 33, et ad Prop. II, 12 (al. 15), 1, 23, 101; Drakenb. et nos ad Sil. I, 109; X, 23, 29; XIV, 515. Hæc loca eorumque interpretes consulantur ab Ach. cujus hæc nota reprehendenda est: quum litera *m* non eliditur, brevis fieri debet ante vocalem, quod intelligere est in *circumeat*, *circumagat*, etc.

NOT. 118. Gravis sententia, ut notissima illa Ovid. Fast. IV, 311:

Conscia mens recti famæ mendacia ridet.

NOT. 119 seq. *Ut contemnas linguas mancipiorum*, servos loquaces et domino maledicentes; *nam lingua est pars pessima mali servi*, tales servi sunt pessimi: *deterior tamen*, pejor, vilior et magis *contemnendus* est *hic*, dominus, *qui liber non erit* ab *illis*, *quorum* vitam sustentat, a servis, hoc est, qui illis obnoxius est eorumque linguas propter vitia, quorum illi sunt conscii, timere debet; vel *hic tamen* dominus, *qui liber non erit* a cupiditatibus et vitiis, *deterior* est *illis*, *quorum*, etc. hoc est, servis suis: nam servorum quasi servus est. Hoc præclare dictum e sententia Stoicorum: πάντες κακοὶ δοῦλοι, cui confer egregia loca Horat. Sat. II, 7, 81—94, et Epist. I, 16, 63—68. Ille videtur poetæ sententia, etsi paullo durius expressa.

VAR. 120. *Pars maxima*, 25, 45—48, 55—60, 65.

NOT. 122. Descriptio servorum, quorum menstruum stipendium ac demensum erant quatuor, si Donato ad Terent. Phorm. I, 1, 9, vel quinque, si Senecæ Epist. 80 fides habenda, modii frumenti et denarii

[1] Ut apud Cic. Mur. 41, et ad Brut. epist. 14 al. unde et *sacrificium pro populo fieri*, in Sen. Epist. 97, et Cic. Leg. II, 9; nec non simpl. *pro populo fieri* ap. Cic. ad Att. I, 12, vel *facere vitula* Virg. Ecl. III. 77.

totidem; unde h. loc. *farre et ære*, frumento et pecunia, *custodit*, sustentat, *animas*, vitam, ut VI, 501, et XV, 94. — *Farre*, quodlibet frumenti genus significatur. Triplex notat Plin. XVIII, 8. Triticum, siligo et far: hoc et ador, et adoreum vocatum est, et durissimum, et contra hiemes firmissimum, ibidem perhibetur, ac primus antiquis fuisse in Latio cibus. Capite vero præcedenti populum romanum ait farre tantum e frumento trecentis annis usum. Farris etiam usus in sacris commendatur, unde et pium far vocitatum. Hinc et farreatio dicta, sacrificium in quo farreum libum offerebatur, ad sanciendas solemni ritu nuptias sacerdotum. Meminit Plin. lib. cit. c. 3. — De servorum demenso vide ad VI, 120. Ed.

Var. 123. *Possis*, 17, 18, 24, 46—49. *Possit*, 19. — Hic versus, qui silentio prætermittitur ab interpretibus, quoties eum legi, semper me offendit (nam et languet meraque repetitio est vs. 119, et *idcirco* plane ineptum videtur hoc loco); semperque putavi, hanc esse glossam in margine adscriptam, ad vs. 119, *his præcipue caussis, ut linguas mancipiorum contemnas*. Quorum verborum haud dubie interpretamentum fuit: *Idcirco ut possis linguam contemnere servi;* quod quum in textum irreperet, perperam a librariis in eum, quem nunc occupat, locum est translatum, et *possim* repositum pro *possis*, quod tamen et ipsum in 17, 18, 24, 46—49, et quibusdam MSS. Paris. legitur. Eo minus autem illi dubitarunt, quin hæc verba ab ipso poeta essent profecta, quum glossa ista versus esset hexameter; quod vero, vel casu fieri potuit cæco, vel parva verborum transpositione. Confer Excurs. ad Sat. V, 90, 91. — Has conjecturas vidi postea firmari auctoritate non tam Cod. 13, e quo hic versus una cum seq. ejectus est (ut trecenti alii; unde haud quidquam fere momenti habet in re critica), quam duorum MSS. Paris. a quibus abest, et codicis vetustissimi 8, in quo versus 118—124, hoc ordine ac modo leguntur:

> Vivendum recte, cum propter plurima, tunc est
> Idcirco, ut possis linguam contemnere servi,
> Præcipue caussis, ut linguas mancipiorum
> Contemnas. Nec lingua mali pars pessima servi.
> Deterior tamen hic, qui liber moverit illos,
> Quarum animas et farre suo custodit et ære.
> Utile consilum; etc.

Hinc Pithoeum quoque jam olim versum hunc tollendum de medio, ut suppositititum, aut potius duplicem quasi censuisse animadverto. Sic in eodem MS. mox post vs. 134 legitur hic: *Gratus eris; tu tantum fucis imprime dentem.*

Not 123—129. Verba Nævoli.

Var. 124. *Consilium nunc, sed commune*, 16, 19. *Consilium, sed nunc commune*, 18. *Consilium mihi, sed commune*, 25, 27, 45—50, 54, 55, 57—60, 64, 65.

Not 124. *Utile consilium dedisti* scilic. supra vs. 118 seq. *sed commune*,

quod non ad me tantum, sed ad Virronem quoque, vel ei similes, quin ad omnes pertinet homines.

Not. 125. *Post damnum temporis*, majori vitæ parte transacta et consumpto ætatis robore. *Deceptas spes* emolumenti, e laboribus officiisque, Virroni præstitis, ad me redundaturi.

Not. 126—129. Juvenes comparent inpr. Horat. Od. I, 4, 21 seq. 11, 6 seq. II, 11, 5 seq. 14, 1 seq. et IV, 7, 14 seq. Alia loca laudavit Koenig. ad Pers. V, 153. Ad rem augendam spectant epitheta *velox*, *angustæ* (brevis) et *brevissima;* sed nimia quoque ex orationis ubertas, et suspicari fere possis, verba *velox Flosculus angustæ miseræque brevissima* esse lacinias a versificatore aliquo adsutas. *Festinat enim decurrere, velox Flosculus, angustæ miseræque brevissima vitæ Portio* distingui jubet Wakef. ad Lucret. III, 972. —*Decurrere*, ut al. *ævum currit*, *labitur*, *volat*, Τρόχος ἅρματος γὰρ οἷα Βίοτος τρέχει κυλισθεὶς, Anacr. IV, 7, 8. Confer Bentl. et Mitscherl. ad Horat. Od. II, 5, 13. — *Flosculus vitæ*, ut ἀκμὴ et ἀκμάζουσα ἡλικία, vel ἄνθος ἥβας ἄρτι κυμαίνει, apud Pind. Pyth. IV, 281; ἀκμαῖον ἄνθος ὥρας, apud Anacr. XXXIV, 4, et similia passim obvia. *Portio vitæ*, jam initio a Parcis designata, ut *præmensæ tempora lucis*, apud Tibull. III, 3, 9, *et vitæ summa brevis* apud Horat. Od. I, 4, 22. In verbis *decurrere flosculus* diversi generis imagines et metaphoras junxit poeta, ut in eadem re Rufinus Epigr. VIII, 5, in Brunck. Anal. tom. II, pag. 392. Ἆ πόσσους κατέφλεξε τὸ πρὶν θεοείκελον ἄνθος, ad quæ verba Jacobs ad Antholog. Græc. vol. II, part. III, pag. 159, notat, in ejusmodi vocabulis, quorum metaphorica significatio frequenti usu fere obliterata fuerit, non accuratam adeo diligentiam fuisse sequioris ævi poetis.

Not. 128, 129. Quin adeo *dum loquimur, fugerit invida ætas*, Horat. Od. I, 11, 7. *Serta*, *unguenta* et *puellæ* spectant potissimum ad epulas et comessationes. *Serta*, proprie στέμματα (*stemmata* VIII, 1, *Laub..... und Blumenguirlanden und Festons*). *Pancarpi* (*Fruchtschnuren*), quibus ornabantur pocula, januæ, altaria, atria; a quibus differebant *coronæ* et *corollæ*, στέφανοι, στεφανίσκοι; vid. Böttig. Sabina, p. 191, 192. *Unguenta;* vide ad VI, 303, et XI, 122. Unguentis etiam pretiosissimis capilli mollium virorum feminarumque semper delibuti erant; vide Spanh. ad Callim. in Apoll. vide 38 seq. et Burm. ad Ovid. Her. XV, 76.—*Puellas;* vide ad XI, 162.— *Obrepit*, præclare de *senectute*, quæ præter opinionem et *non intellecta*, ita, ut vix ac ne vix quidem sentiamus, adventat: ut apud Lucret. I, 415. « Tarda per membra senectus serpit; » apud Ovid. Met. X, 519.

Labitur occulte fallitque volatilis ætas,

et Fast. VI, 771,

Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis.

Sic « obrepit adolescentiæ senectus, » dixit Cic. de Sen. cap. 2; « Au-

ctumno obrepit hyems, » Lucil. in Ætna, vs. 237.[1] «Γῆρας ἐπερχόμενον,» Solon, Epig. XIII, 10, et «Τὸ δ' ἀργαλέον καὶ ἄμορφον γῆρας ὑπὲρ κεφαλῆς αὐτίχ' ὑπερκρέμαται,» Mimnerm. IV, 4, in Anal. Brunck. tom. I, pag. 61 et 70. Confer Auson. Epig. XIII, ubi etiam verba Juvenalis transcripsit.

VAR. 130. *Paticus nunquam*, 20. *Paticus* scribendum putabat H. Vales. ut sit quasi *patens*, *patulus*, cinædus εὐρύπρωκτος, λακκόπρωκτος, unde in Priapeiis *nec tibi tener puer* patebit *ullus* et *qui* (cunnus) *tanto* patet *indecens hiatu* et al. Sed *pathicus* videtur potius esse παθικός (etsi hæc vox non in usu fuit), qui muliebra patitur, πάσχει, παθεῖ, παθικεύεται.

NOT. 130—134. Respondet poeta et quidem facete, apte consolans draucum et exhortans ad persequendum eumdem vitæ cursum. *Ne trepida*, non est quod anxius sis animumque despondeas. *Amicus pathicus*, cinædus, a te drauco corrumpi cupiens.

NOT. 131. *Stantibus et salvis his collibus*, quamdiu Roma superstes erit; vide ad VI, 296. — Romæ colles sunt Palatinus, Aventinus, Esquilinus, Quirinalis, Cœlius, Viminalis, Tarpeius, qui et Capitolinus. Sunt vero præterea Janiculus et Vaticanus. Martial. Epigr. IV, 64:

> Hinc septem dominos videre montes,
> Et totam licet æstimare Romam. ED.

VAR. 132. *Conveniunt*, 10, 11, 12, 14—25, 27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et multi Codd. Paris.

NOT. 132. *Et carpentis et navibus*, et terra et mari, *undique*, ab omnibus orbis terrarum partibus et locis, molles turpesque homines Romam confluunt, tanquam ad emporium libidinum. Δεινῶς et vere!

NOT. 133. *Qui digito scalpunt uno caput*, molles, effeminati ac bene comti, qui, si caput prurit, uno tantum digito illud scabere solent, ne capilli apte compositi atque calamistrati turbentur. Sic Lucianus dixit, «Τῷ δακτύλῳ ἄκρῳ τὴν κεφαλὴν κνᾶσθαι,» et «Relatum ad caput digitum,» Senec. Epist. 52. Id in Pompeio potissimum notarunt Calvus poeta ap. Senec. Controv. III, 19; Plut. in Pomp. cap. 48; Opp. tom. I, p. 645; tom. II, pag. 89; E. ed. Francof. et Ammian. Marcell. lib. XVII, 11, 4. Conf. Spanhem. ad Julian. Cæss. pag. 171.

NOT. 134. *Spes altera*, futuri temporis, longe *major superest* tibi. Vet. Schol. «Multos imberbes habes tibi crescentes.» *Tu tantum erucis imprime dentem;* » lepidum consilium: comede herbas, ad Venerem exstimulantes, ut fortis sis et paratus ad libidinem exercendam. Talis herba est salax *eruca* (*weisser Senf*).[2]

[1] Non, quia senectus et hominis et anni (hyems) nigra ac tarda est, quod ad Lucil. lib. I, monuit Wernsdorf. Poet. Latin. min. tom. IV, pag. 138.

[2] De qua vide Colum. X, 108, 109, 372; Ovid. Rem. Am. vs. 799; Burm.

VAR. 135. *Cloto* quidam edidere. Sed est Κλωθώ. — VAR. 136. *Gaudet* 15.

NOT. 135—150. Verba Nævoli. *Hæc exempla para felicibus*, hunc agendi modum præcipe iis, qui me feliciores sunt, aliis draucis, qui eodem vitæ genere opes collegerunt. *Mea Clotho et Lachesis*, Parcæ meæ (conf. ad VIII, 105), *gaudent si pascitur*, alitur (vide ad III, 141) *inguine venter*, triste fatum jubet, me contentum esse tenui victu, quem mihi re venerea paro. « Meo fato sufficit (Parcæ enim regunt fata), si me eo quæstu tuear et meo inguine pascam, ut apud Martial.

Mentula quem pascit, non, puto, purus homo est.

Confer Vales. Usque adeo infelix sum, ut vix industria inguinis ad victum sufficiat; vet. Schol.

VAR. 137. *Ture* scriptum in 17, 19, 20, 22, 60, 65, ut in plerisque libris vett. *Thus* vero a θύειν, non a *tundendo* dictum videtur.

NOT. 137. *Lares parvi*, parva eorum simulacra (vide XII, 87, 88), ad inopiam Nævoli spectant, ut *thus minutum* et *tenuis corona*.[1] *Nostri Lares*, mihi faventes,[2] vel potius domestici et privati (a quibus differunt Penates Laresque publici), ut XII, 89, poeta dixit: « Nostrum Jovem Laresque paternos. » De *Laribus*, vide *Creuzer's Symbolik*, tom. II, p. 83, 442 seq. *Thure, farre* et *corona*, oblatis, tanquam muneribus, *Lares exorare*, hoc est, orare vel valde orare, ut « thure multo vocare Venerem, » dixit Horat. Od. I, 30, 2. *Thus*, frutex Sabæ, quam putant esse Juniperum Phœniceam Linn. — *Tenui corona exorare parvos Lares*, ut

Parvos coronantem marino
Rore deos fragilique myrto,

ap. Hor. Od. III, 23, 15, 16, ubi vide Mitscherl. Conf. similem locum infra, XII, 87, 88.

VAR. 138. *Exornare*, 11, 15, 16, 23, 24, 25, 27, 45—50, 55—69, 71—74, et XIII Codd. Paris. Quod non plane respuendum: nam sæpius verbum pluribus jungitur nominibus, quamvis uni tantum et postremo prorsus conveniat.

VAR. 139. *Fingam*, 11, 14, 20, 29. Utraque lectio notatur vet. Scholio: « Constituam, componam, habeam: aut certe, quia in ceris vota *figuntur* apud templa. » In Cod. Schurzfl. hoc scholion forte rectius legitur: « Quando ego comminiscar quid, constituam: aut quia certa in picturis vota *figuntur*. »

---

ad Anthol. lib. VI, epigr. 76; Ramir. ad Martial. III, 75, 3; X, 48, 10, Scalig. ad Virg. Moret. vs. 85; Hard. ad Plin. XIX, 8; XLIII, 10 al.

[1] Vide Mitscherl. ad Hor. Od. III, 23, 3, 4, 15, 16, 20; Heins. ad Ovid. Met. VIII, 637; Bentl. ad Horat. Ep. I, 7, 58; Heyne ad Virgil. Æneid. VIII, 543. Male vetus Schol. « *Thus minutum* manna vocant, aut in invidiam Deorum Penatium *minuto* dicit. »

[2] Confer XII, 89; Gron. Obss. I, 2, et ad Liv. 35, 12 Drak. et nos ad Sil. I, 118; XII, 193.

NOT. 139. *Quando ego aliquid figam*, forte captabo, consequar (ut fere nos *erzielen* dicimus) ut metaphora a venatoribus petita sit, qui feras telis confixas capiunt.[1] Hæc explicatio et simplicior est ceteris, et lepida et ambigua: nam obscœno quoque sensu capi potest. Tale autem genus dicendi et satirico, et Nævolo drauco convenit. Conf. Var. Lect. — Tamen alia referre libet. Veteres ubi vota concepissent, concepta tabellis inscribebant: ita conscripta signabant; obsignata affigebant deorum statuis, seu genibus; ea enim misericordiæ sedes consecrata est. Affigebant autem cera, atque Sat. X:

Propter quæ fas est genua incerare deorum. ED.

— *Quo sit mihi tuta senectus a tegete et baculo*, quo in senectute tutus sim a mendicitate. *Tegete*, tugurio, vide ad V, 8. *Baculo* mendicorum; nostrum *Bettelstab*. Simili metaphora Terentius dixit: « Mihi vere res ad rastros redit, » Heaut. V, 1, 58.

NOT. 140 seq. Multo nunc plura, quam quæ a mendicitate ipsum possint tutum præstare, sibi optat Nævolus: quæ sunt vota vel stolidi hominis (vide ad vs. 64, 65); vel mollis ac delicati, qui, in tali ævo ac vitæ genere, multarum opum rerumque indiget; vel denique faceti, qui ridicula ineptaque hominum vota imitatur. Posterior ratio ceteris præstare videtur. Hinc et mox, vs. 146 seq. lepide dicit Nævolus: *sufficiunt hæc, quando*, quandoquidem, quoniam, quæ dura fati necessitas est, *ego pauper ero: votum miserabile, nec spes his saltem,* ne horum quidem spes mihi est, *Viginti millia* sestertiorum, *fenus*, feneris loco mihi solvenda pro sorte feneri data, scil. quando figam?

VAR. 141. *Pigneribus* pro *Pignoribus*, 14, 23, et Priscian. lib. VI, quos sequutus sum. Sic plerumque *pignerare* (ut supra VII, 73), et ubivis *oppignerare* scriptum reperies in libris antt. Conf. ad XI, 40.

NOT. 141. *Pigneribus positis*, datis mihi a debitoribus, ut caverent mihi de pecunia mutua a me accepta. En lepidum hominem, cui non modo magna, sed et certa pecunia in optatis est! — *Argenti puri* (ut X, 19), non cælati, seu asperi, sine sigillis, ut apud Cic. Verr. IV, 22, 23, nisi malis, sine scoria, ut *aurum purum* apud Plin. XXXIII, 4 et 6. Illud etiam *grave* dicitur infra XI, 41: « Argentum grave sine ullo opere et nomine artificis, » Sen. Tranq. an. cap. 1, ubi vel Lips. *Vascula, quæ*

[1] Ita Prateus jam hoc verbum explicuit. Vetus Schol. « Constituam, componam, habeam: aut certe, quia in ceris vota *finguntur* apud templa: aut habeam, ubi maneam, aut supra quod incumbam senex. » Lubinus: « Constituam, componam, habeam meæ senectutis præsidium; fixum aliquid ac certum mihi statuam, vel certas divitias vobis adjutoribus acquiram. » C. Valesius: habebo, ut V, 12; *finge* pro *pone*, *habe*. Rutgersius Var. Lect. V, 5, figam vota seu voveam, vide ad X, 55. Sed quænam ex his rationibus non dura est?

Fabricius Censor notet, hoc est, quæ sint decem pondo et amplius. C. Fabricius Luscinus censor anno 478. P. Cornelium Rufinum, bis consulatu et dictatura functum, senatu movit ob luxuriæ notam, quod cœnæ gratia decem pondo argenti facti haberet.[1] *Notare* et *nota*, vocabula propria de censoria ignominia ac pœna.

Var. 142. *Et*, 15. — *Fabritius*, 24, 60, 65; vid. ad II, 154. — *Notat*, 15.

Not. 142. *Duo fortes*, robusti servi lecticarii, *de grege Mœsorum*, servorum, ex Mœsia (hodie Bulgaria et Servia) Romam advectorum; nam ex Mœsia, Cappadocia, Bithynia et Syria gregatim afferebantur venales; vid. Böttigeri Sabina, pag. 429 et 444 seq. *Mœsi*, hoc loco, ut *Syri*, *Cappadoces*, etc. apud Martial. IX, 23, 9; Pers. VI, 77, al. Cur vero *duo* tantum servi? Modeste optat. Sed vide ad I, 64.

Var. 143. *Messorum*, 11, 15, 19, 22, 23, 24. *Mœsolorum*, 27, 47. *Mysorum* Calder. nescio qua auctoritate. *Medorum*, 11, in marg. 16, 18, 45, 46, 49, 55, 58; vid. supra ad VII, 132, et Pontani Analecta, II, 11. — Mox legendum crediderim: *qui me* (in) *cervice locantes*, hoc est, ponentes.

Not. 143. *Cervice locata*, non conducta, sed sub me locata, supposita lecticæ sellæve ferendæ, vel accommodata mihi, in usum meum. Sed hæ quoque rationes duræ sunt. Conf. Var. Lect.—In his poetæ verbis hærere potuisse clar. Rupertum miratur doct. *Crammer*, nedum admittat, quod ille conjecit (*in*) *cervice locantes*. Nam Nævolus modeste vota exprimit; optat non auri vasa, sed *argenti vascula*, et duo tantum cathedrarios eosque conductos, et qui *locent* ipsi cervices suas. Nescio an hæc omnibus satisfaciant: mihi quidem nodus sic melius solvi videtur. Ed.

Not. 144. In sellis Romani non modo deferebantur in *circum* vel in theatrum, sed in iis quoque ibi persedebant.[2] — *Securum* a turba urgente, vel quovis periculo, quod *duo fortes* propulsant. — *Circo clamoso*, propter clamorem et plausus populi, ut *raucus circus*, VIII, 59, ubi vide notam.

Var. 145. *Sit tibi*, 21. — *Cælator curvus*, 22. *Torvus cælator*, 16. *Servus celator* vel *cælator*, 11, forte et 1. Nam vetus Schol. est: « opifices, servi argentarii, laboriosi, anaglypharii. »

Not. 145, 146. Operam mihi præstent artifices domumque meam exornent vasis affabre cælatis vel plasticis artificiis. — *Cælator* sigillorum vasis arte illigandorum. *Curvus*, incurvatus, assiduus in multo labore,

---

[1] Ita Gell. IV, 8 (ubi vide intpp.) XVII, 21; Valer. Max. II, 9; Tertull. Apolog. cap. 6; Senec. Vit. Beat. 21; Plutarch. in Sylla. Confer Plinium, XXXIII, 9, seu 54 et Pigh. Ann. tom. I, pag. 440.

[2] Vide Lips. Elect. I, 19, et de Amphit. cap. 13.

a me ipsi imposito. — *Et alter, qui multas facies cito fingat;* nota Ach. est : « Hic pictor designatur, qui imagines ex argilla vel cera fictas, vel etiam tabulas pingebat. Hæ imagines, præsertim lares, colore vili, rubro, flavo aut nigro leviter ideoque *cito* pingi solebant. Ad hoc opus habebant servos pictores rudes, quales nostri vocant *barbouilleurs d'enseignes.* » *Facies* virorum illustrium vel majorum meorum.

Var. 146. *Multa*, 8, unde *maltha facies pingit* conj. Pith. et rectius *maltha facies fingit* Salmas. Exerc. Plin. p. 109. Conf. de *maltha* Harduin. ad Plin. II, 104 seu 108. *Pingat*, 10, 11, 12, 14—27, 45—50, 54, 55, 57—69, 71, 72, 73, 76, 77, et omnes Codd. Paris. e quibus illud nunc revocavi cum Ach. *Pingit*, 8, 75. *Fingit*, 56, 70, 82, quod aptius videri potest, ut plastes designetur, qui ex uno modulo, vel archetypo *multas facies*, seu typos *cito* (quod pictori minus congruit) exprimere et potest et solet. Conf. Salmas. loc. laud. Hinc olim reposueram *fingat*, quod usui linguæ convenientius est. Sed vid. Comm. — *Sufficient*, 25, 27, 46—50, 54, 55, 67—63, 65—69, 71, 72. *Sufficiant*, 73, 77. Parum interest. Nonnulli interpungunt : *Sufficiunt hæc. Quando ego pauper ero?* hoc est (ut exponit H. Valesius), quando ad hanc paupertatem, seu ad hæc parva et pauca perveniam, ne semper, ut nunc, inops et egens sim?

Not. 146 seq. *Sufficiunt hæc*, etc. Conf. supra ad vs. 140 seq.

Not. 147. *Quando*, quandoquidem, quoniam, *ego pauper ero*, quæ dura fati necessitas est. Quum pauper ero et potiar supra dictis; H. Vales. Quam diu pauper ero; Ach.

Not. 148 seq. Lepide dicit, Fortunam sibi aures cera obturare (quo sensu Ovid. ex P. II, 8, 28; Prop. II, 16, 48, et alii de diis, preces ac vota non exaudientibus, eos *in vota surdos esse* vel *surda aure negligere preces*), simulque ridet fabulam de Ulysse, qui, ne *cantu Siculo*, hoc est, Sirenum (quarum sedes erat prope Surrentinum vel Pelorum promont. Siciliæ) alliceretur, Circes consilio *remiges* seu socios *surdos* fecit, auribus cera occlusis, et se ipsum ad malum navis alligari jussit; vide Hom. Odyss. μ, 39 seq. 166—200, et Hygin. fab. 125. De vero sensu mythi de *Sirenibus*, tribus petris, vide Hermann. Mythol. tom. I, p. 376; Heyne ad Virg. Æn. V, 864 seq. et ad Apollod. I, 3, 4 et I, 9, 25; nosque ad Sil. XII, 33 seq.—Ad hæc ultima verba conf. Lucian. Ἐπισκοπ. cap. 21. Ed.

Var. 149. *Affigit*, 10, 11, 12, 14—27, 45—50, 54—63, 65—69, 71—74, 77, et plurimi Codd. Paris. e quibus nunc illud restitui cum Ach. *Affixit*, 1, 64, 70, 75, 76, 81, 82, *Illas*, 45.

Not. 150. *Siculos* cantus. Sirenas Acheloi fluvii, et Calliopes nymphæ filias tres, quas fabulantur superiore corporis parte virgineam formam habuisse, inferiore in piscem desinentes ac monstrosas; cæterum dulcedine cantus solitas allicere transeuntes, quos perderent aut devorarent.

Has in monstra marina conversas canit Ovid. Metam. V, fab. 9. Sepultæ dicuntur ad promontorium sinumque Pæstanum in Lucania; unde nomen tribus parvis insulis, quæ sunt veluti scopuli in illo sinu. Mela sirenum petras : Solinus sirenum saxa nuncupat. Re autem vera meretrices fuisse illic famosas, quæ navigantes blanditiis pellexerint ac perdiderint bene multos, asserunt quum alii, tum Cœlius Rhodig. XIV, 14: «Nec sirenes impetraverint fidem, affirmet licet Dinon, Clitarchi celebrati auctoris pater, in India esse; mulcerique earum cantu, quos gravatos somno tacerent. Hæc Plin. X, 49. Vide Cic. de Finibus, liv. V, n. 49, et Athen. I, 12. Fabula sirenum voluptates carnis fugiendas ostendit, nec aliter quam fuga naufragium evitare probat Ulyssis exemplum. His S. Hieronymus utitur, ut vitandum asserat suspectum contubernium. Porro marinos homines utriusque sexus exstare, haud dubitandum : quod summorum auctoritas virorum, quod et evicit non simplex experientia, nec haud ita pridem. De quibus amplius dicemus, ad Sat. XIV, 233. ED.



D. JUNII JUVENALIS

AQUINATIS

SATIRARUM

LIBER QUARTUS.

D. JUNII JUVENALIS

AQUINATIS

SATIRARUM

LIBER QUARTUS,

CUM INTERPRETATIONE LATINA,

VARIIS LECTIONIBUS,

ET SELECTISSIMIIS OMNIUM COMMENTARIIS.

SATIRÆ DECIMÆ

ARGUMENTUM.

Arguit hæc Saturas hominum curas et inania vota.

(Sic contra metrum in Codd. nonnullis legitur, unde Schurzfleischius emendabat, *Arguit hæc fatuas curas*, etc. Lipsius autem in Epist. Quæst. IV, 15, *Arguit hæc hominum curas*, etc extrum voce *saturas*, et hæc lectio reperitur in Codd. 19, et 27.)

Arguit hæc Satira, et curas, et inania vota.

(Ex hac lectione illa videtur orta glossatorum opera, et stupore librariorum).

DE VOTIS CONTRARIIS. — DE INUTILITATE VOTORUM. — IN INDISCRETA HOMINUM VOTA.

Homines ubivis fere terrarum vera ignorant bona et opinata omnibus plerumque votis expetunt, in primis divitias, honores, eloquentiam, militarem gloriam, senectutem, pulchritudinem et robur corporis, quæ tamen vel supervacua, vel etiam perniciosa sunt optantibus, vs. 1—11. Divitias qui possident, iis verendum est, ne jussu tyrannorum, ut Cassius Longinus et Seneca, vel manu

latronum, vel veneno necentur, vs. 12—27. Non mirum itaque stultitiam hominum semper Heraclito fletum movisse et risum contra Democrito, qui multo magis risisset, si nostris vixisset temporibus, quibus longe major est luxus ac fastus, vs. 28—55. Maxima potentia summique *honores*, ad quos nonnulli adspirant, magnam iis invidiam, perniciem ruinamque parant, nec nisi a mobili plebis animo et Fortunæ favore pendent, quo mutato is, qui paulo ante adorabatur a vulgo, ab eodem male tractatur et ad scalas Gemonias indeque in Tiberim unco trahitur; quod suo damno experti sunt Sejanus (vs. 56—107), et jam ante eum Crassi, Pompeius, Cæsar et alii : nam pauci fuere reges vel principes civitatis et tyranni, qui non violentam passi sint mortem, vs. 108—113. *Eloquentia* summis nonnunquam oratoribus, ut Ciceroni ac Demostheni, mortis causa fuit, vs. 114—132. *Gloria bellica* quum vana brevisque est, tum maximis sæpe imperatoribus exitiosa, ut olim Hannibali, Alexandro et Xerxi, vs. 133—187. *Longa vita* multis obnoxia est incommodis ac malis; quippe senes plerumque deformes, rugosi, infirmi, tremuli, calvi, mucidi, edentuli, uxori, liberis, sibi ipsisque captatoribus graves, expertes gustus, ad rem Veneream inhabiles, surdi, cæci, manci, obliviosi, vs. 188—239. Quodsi vero corpore etiam ac mente valent in senectute homines, sentiunt tamen ac lugent alia eaque majora mala, vel publica vel privata ac propria, qualia passi sunt Nestor, Peleus, Priamus, Hecuba, Mithridates, Crœsus, Marius, Pompeius, quibus feliciores fuere Lentulus, Cethegus et Catilina, vs. 240—288. *Pulchritudo* denique raro pudicitiam tuetur, multisque insidiis, injuriis ac periculis subjecta est; quod docent exempla Lucretiæ, Virginiæ, Hippolyti, Bellerophontis et C. Silii, vs. 289—345. Quæ quum ita sint, Diis potius judicium de eo, quod vere nobis conducat, permittendum, aut, si optandum aliquid, orandum est ut mens sana sit in corpore sano, ut ea sit fortis, carens terrore mortis, laborum patiens et expers acrium affectuum cupiditatumque : ita enim tranquillam atque beatam agemus vitam, quæ a sola virtute ac sapientia, non a Fortuna, pendet, 346—366.

SATIRÆ DECIMÆ
ANALYSIS.

Satira hæc præclara est, et in perfectissimis Juvenalis carminibus adnumeranda, quæ tamen tractationis magis philosophicæ vel declamationis, quam satiræ speciem præ se ferre videtur. Poeta noster docet, homines tantum non omnes parum intelligere, quæ vera et quæ opinata sint bona, eamque ob causam omnibus vulgo votis expetere, quæ sibi nocitura sint. Hinc rhetorum more, quem etiam in Sat. XIII sequutus est, primum in exordio quasi breviter memorat, deinde copiose persequitur ea bona, quorum cupiditate desiderioque maxime ardemus, et quam noxia optantibus ea plerumque sint ac fuerint, aptissimis ostendit exemplis, ex historia desumptis; quæ quidem optima probandi ratio est. Exempla enim ad rem, quæ explicatur, perspicuam nobis reddendam longe plus valent argumentis, efficiuntque, ut lector rei veritatem, quam antea perspexerat universe, nunc quasi ante oculos videat. In hac quidem dispositione partium et conjunctione, qualis etiam est in Sat. VI et XIII, nulla cernitur ars poetica (nam singulæ eo ordine eaque transitione, qua in declamatione aliqua, sibi succedunt); at tanto major in earum exornatione, quæ admirabilis est et excellentissima. — Idem argumentum, præter Lucianum (Icarom. pag. 205, et Navig. seu Vota, pag. 491, tom. II, edit. Græv.) et Aristotelem aliosque Græcos, quorum libri Περὶ Εὐχῆς a Laertio et Proclo laudantur, copiose tractavit Plato in Alcib. II, qui dialogus, passim in Comment. laudatus, Socratis continet doctrinam de precibus, quam in Epitomen quasi redegere Xenoph. Memorab. Socrat. I, 3, 1, et Valer. Max. VII, 2, ext. 1, quorum verba infra ad vs. 347 seq. adscripsi. Platonis dialogum Juvenalis ante oculos habuisse videtur, etsi totam ex eo Satiram expressam esse nobis non persuasit Heinsius de Sat. Hor. pag. 107. In secunda etiam Persii Satira reperiuntur quædam velut

lineamenta, seu primæ lineæ, quibus colores induxit Juvenalis et pigmenta adspersit. Quo autem tempore scripta sit Satira nostra, non satis constat, et vana sunt argumenta, quæ ex versibus 81 et 236 petuntur; ad quæ loca vide Commentar. et Var. Lect.

N. B. Totam hanc satiram feliciter gallico carmine transtulit nostras celeb. *Thomas*, cujus integrum opus hic transcribere quum longum nimis fuisset, aliquot tamen loca excerpere et commentario subjungere pretium operæ existimavi: quæ lectori satisfaciant, vehementer opto. Ed.

SATIRA DECIMA.

Omnibus in terris, quæ sunt a Gadibus usque
Auroram et Gangen, pauci dignoscere possunt
Vera bona, atque illis multum diversa, remota
Erroris nebula : quid enim ratione timemus,
Aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, ut te
Conatus non pœniteat, votique peracti?
Evertere domos totas optantibus ipsis
Dî faciles! nocitura toga, nocitura petuntur
Militia : torrens dicendi copia multis
Et sua mortifera est facundia : viribus ille
Confisus periit admirandisque lacertis.
 Sed plures nimia congesta pecunia cura
Strangulat, et cuncta exsuperans patrimonia census,
Quanto delphinis balæna Britannica major.

SATIRÆ DECIMÆ INTERPRETATIO.

1. In omnibus terrarum regionibus, quæ patent ab occidente et Gadibus, usque ad orientem et Gangem, paucos reperire est, qui recte atque omni nebula erroris semota dijudicare valeant, quæ sint bona, quæ mala valde bonis opposita. Quibus enim in rebus optandis, aut metuendis, rationem sequimur ducem? Quis tam considerate, tam auspicato molitur quidpiam et suscipit, ut eum consilii et rei ad exitum perductæ non pigeat? Ipsi Superi, nimium hominibus petentibus indulgentes, dedere caussas, cur integræ familiæ exscinderentur. Optamus tum in pace, tum in bello, quæ nobis exitium perniciemque consciscant. Plurimi ob eloquentiam periere, et ob torrentem dicendi copiam; nonnulli, quod robori suo brachiisque mirum in modum validis nimium confiderent.

12. Sed multo plures perdit, et in caussa est cur jugulentur, opum congerendarum insana sitis, et divitiæ tanto ceteris patrimoniis ampliores, quanto balæna maris Britannici delphinis major

Temporibus diris igitur, jussuque Neronis,
Longinum, et magnos Senecæ prædivitis hortos
Clausit, et egregias Lateranorum obsidet ædes
Tota cohors: rarus venit in cœnacula miles.
Pauca licet portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus gladium contumque timebis,
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbram:
Cantabit vacuus coram latrone viator.

Prima fere vota, et cunctis notissima templis,
Divitiæ; crescant ut opes, ut maxima toto
Nostra sit arca foro: sed nulla aconita bibuntur
Fictilibus: tunc illa time, quum pocula sumes
Gemmata, et lato Setinum ardebit in auro.

Jamne igitur laudas, quod de sapientibus alter
Ridebat, quoties de limine moverat unum
Protuleratque pedem, flebat contrarius auctor?

est. Ea caussa nimirum fuit, cur temporibus ob imperatorum sævitiam funestis, milites, jubente Nerone, in Laterani et Longini splendidas ædes, in villam ingentem Senecæ regali sumptu exstructam, immissi fuerint qui eas obsiderent, ac dominos ad mortem adigerent. *Raro in angusta cænacula cohortes armatæ mittuntur.* Quamvis feras pauca ex argento non cælato vasa, si per noctem viæ te committas, latronem nihilominus gladio contoque armatum formidabis, et ad umbram arundinis vento sub lunam agitatæ expallesces. Viator argento vacuus in latronis conspectu canet.

23. Id homines fere omnes misere cupiunt; id a Superis palam, quum adeunt templa, postulant, ut augeantur divitiis, opibus; ut eorum arca maxima sit inter illas, quæ servantur in foro. Sed in poculis ex argilla fictis nihil est a veneno periculi; tunc illud merito reformida, quando aureus scyphus, gemmis ornatus, et generoso plenus vino, ut Setino, tibi porrigetur.

28. Quum hæc ita se habeant, nonne jam merito laudandos esse intelligis ambos illos philosophos, quorum alter, quoties e domo prodiret in publicum, risu, alter contra fletu dementiam et ineptias hominum prosequebatur? Videtur tamen esse facilius mores

Sed facilis cuivis rigidi censura cachinni :
Mirandum est, unde ille oculis suffecerit humor.
Perpetuo risu pulmonem agitare solebat
Democritus, quamquam non essent urbibus illis
Prætexta, et trabeæ, fasces, lectica, tribunal.
Quid, si vidisset prætorem curribus altis
Exstantem, et medio sublimem in pulvere Circi,
In tunica Jovis, et pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla?
Quippe tenet sudans hanc publicus, et, sibi consul
Ne placeat, curru servus portatur eodem.
Da nunc et volucrem, sceptro quæ surgit eburno,
Illinc cornicines, hinc præcedentia longi
Agminis officia, et niveos ad frena Quirites,
Defossa in loculis quos sportula fecit amicos.
Tunc quoque materiam risus invenit ad omnes.

hominum ridendo coarguere, quam flendo; mirumque apparet, quo pacto tam uberes lacrymas in promptu Heracliti semper habuerint oculi. Democritus effundebatur in risum perpetuum, licet in iis, quibus degebat, oppidis non spectarentur prætextæ, trabeæ, fasces, tribunalia, lecticæ. Quid si ludis et spectaculis nostris interfuisset, in quibus prætor sublimi curru, pulverulentum per Circum invehitur, tunica e Capitolio sumpta indutus, picturatam acu Phrygia purpuream togam, instar aulæi amplam, humeris gestans, et imminentem vertici habens coronam tantæ molis, ut illi ferendæ vix ullum caput esse par queat? Et vero publicus minister ægre illam sustinens sudat, ac, ne insolescat consul, editor ludorum, illis triumphantium insignibus ornatus, in eodem curru servus gestatur. His adde scipionem eburneum, cujus apici aquila insidet; adde ex una parte tubicines, ex altera longum agmen clientium et amicorum, qui honoris et officii causa triumphantem antecedunt, itemque civium, qui albis induti vestibus equos triumphalem currum trahentes circumsistunt, quosque spes obtinendæ sportulæ ac nummorum in triumphantis crumena latentium, accivit : ea, inquam, omnia quamvis Democritus in patria sua non videret, tamen quidquid ipsi

Occursus hominum, cujus prudentia monstrat,
Summos posse viros et magna exempla daturos
Vervecum in patria crassoque sub aere nasci.
Ridebat curas, nec non et gaudia vulgi,
Interdum et lacrymas, quum Fortunæ ipse minaci
Mandaret laqueum, mediumque ostenderet unguem.
Ergo supervacua hæc, aut perniciosa petuntur,
Propter quæ fas est genua incerare deorum.
Quosdam præcipitat subjecta potentia magnæ
Invidiæ; mergit longa atque insignis honorum
Pagina, descendunt statuæ, restemque sequuntur:
Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
Cædit, et immeritis franguntur crura caballis:
Jam stridunt ignes; jam follibus atque caminis
Ardet adoratum populo caput, et crepat ingens
Sejanus; deinde ex facie toto orbe secunda
Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellæ.

occurrebat, ridendi ansam inde captabat, homo prudentissimus, qui documento est præstantissimos viros, et magnarum virtutum exempla prodituros, posse in barbara et inculta regione, vervecum patria, ubi aer pinguis hebesque sit, nasci. Excipiebat risu mortalium curas et lætitiam; aliquando etiam fletum ac mœrorem; quum ipse interim minas fortunæ despiciens, ipsam ire malam in crucem juberet, mediumque digitum contumeliæ caussa protenderet. Igitur inania sunt, vel exitialia, quæ concipiuntur a mortalibus vota; quorum ut compotes fiant, licere sibi arbitrantur cereas candelas ante simulacra Superum in templis accendere.

56. Sunt quibus est exitio nimia potentia, magnæ videlicet invidiæ obnoxia. Perdit ipsos longa honorum series ac titulorum: deturbantur e sua basi statuæ, funibus dejiciuntur, ac per humum raptantur; curruum triumphalium rotæ comminuuntur impactis securibus, et immerentibus equis crura suffringuntur. Audin' ut ignis crepitet? ut in fornacem conjectum aureum illud Sejani caput, quod supplex modo plebecula venerabatur, follibus flammam acuentibus liquefiat? ut ingens ipsa Sejani statua deflagret? ut e vultu, quem ab imperatorio secundum orbis adorabat, urceoli conflentur, pel-

Pone domi lauros; duc in capitolia magnum
Cretatumque bovem : Sejanus ducitur unco
Spectandus : gaudent omnes.. — Quæ labra? quis illi
Vultus erat? Nunquam, si quid mihi credis, amavi
Hunc hominem : sed quo cecidit sub crimine? quisnam
Delator? quibus indiciis? quo teste probavit?
— Nil horum : verbosa et grandis epistola venit
A Capreis. — Bene habet; nil plus interrogo : sed quid
Turba Remi? — Sequitur Fortunam, ut semper, et odit
Damnatos : idem populus, si Nursia Tusco
Favisset, si oppressa foret secura senectus
Principis, hac ipsa Sejanum diceret hora
Augustum : jam pridem, ex quo suffragia nulli
Vendimus, effudit curas : nam qui dabat olim
Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se
Continet, atque duas tantum res anxius optat,

ves, sartagines, patellæ? Laureis domum tuam sertis orna, bovem magnum candidumque in Capitolinam ædem duci jube; Sejanus unco impacto raptatur, et per urbem ad ludibrium spectaculumque traducitur : exsultant omnes gaudio. — Quam fœda hominis facies! quam distorta labra! Equidem id affirmare tibi vere possum, nunquam Sejanum a me amatum fuisse : sed age : quodnam illi crimen objectum fuit? quis accusavit? quis index? quis testis? — Nihil istorum dicitur; tantum ingens et multis perscripta verbis epistola missa est a Capreis. — Satis est; nihil præterea quæro. Quid interim Remi populus? — Fortunæ, ut semper, servit, ac miseros damnatosque a principe condemnat. Idem ille tamen, si dea præses Etruriæ, consilia Sejani sui Nursia adjuvisset, si senex imperator, nihil sibi timens, repentina conjuratione sublatus fuisset e medio, hoc ipso temporis puncto Sejanum imperatorem appellare neutiquam dubitasset. Jampridem populus omni reipublicæ administrandæ cura liberatus est, ex quo tempore scilicet magistratuum eligendorum facultas illi erepta fuit, ac sua suffragia candidatis non vendit : qui antea summos in republica magistratus, consulatum, belli præfecturam, omne potestatis genus, cuicumque libuisset, mandabat, is nunc feriatur et vacat, deque rebus duntaxat duabus sollicitus est, pane ac Circen-

Panem et Circenses. — Perituros audio multos.
— Nil dubium, magna est fornacula : pallidulus mî
Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram.
Quam timeo, victus ne pœnas exigat Ajax,
Ut male defensus! curramus præcipites, et,
Dum jacet in ripa, calcemus Cæsaris hostem.
Sed videant servi, ne quis neget, et pavidum in jus
Cervice obstricta dominum trahat. — Hi sermones
Tunc de Sejano, secreta hæc murmura vulgi.
Visne salutari, sicut Sejanus? habere
Tantumdem, atque illi summas donare curules,
Illum exercitibus præponere? tutor haberi
Principis angusta Caprearum in rupe sedentis
Cum grege Chaldæo? Vis certe pila, cohortes,
Egregios equites et castra domestica. Quidni
Hæc cupias? et, qui nolunt occidere quemquam,

sibus ludis.—Fama est plurimos interfectum iri; quid censes?—Nullum est dubium : exardet ingens fornacula, qua multi absumentur. Mihi modo Brutidius amicus meus occurrit prope Martis fanum pallidus ac metu perculsus. Quam vereor, ne Tiberius, instar Ajacis, promiscue in omnes desæviat, segniter se a Romanis defensum contra Sejani conatus nefarios dictitans! Properemus hinc statim, et hostem Tiberii, dum adhuc in ripa Tiberis insepultus jacet, proteramus : sed ita tamen, ut nostri nos servi adspiciant, ne quis ipsorum Sejanum a nobis calcatum esse neget, ac dominum accuset apud imperatorem; aut pavitantem, injecto cervici laqueo, ad judices ire compellat.— Ea tunc de Sejano clam, palam, dicebantur.

90. Jam te consulo, rogoque, num tu honorificis illis nominibus appellari velis, quibus Sejanus salutabatur? tantas opes possidere, quantas ille habebat? aliis dare jus ferendæ curulis sellæ? aliis exercituum præfecturas largiri? gerere quasi tutelam imperatoris, in Capreis, obscura et scopulosa insula, delitescentis, atque astrologorum turba stipati? Equidem non dubito, quin gauderes admodum præfectura cohortis prætorianæ, et delectorum equitum, quales in urbanis castris ad nutum semper expeditos habebat Sejanus : et vero quid causæ esset, cur non hunc honorem ambires? Quis non liben-

Posse volunt: sed quæ præclara et prospera tanti,
Ut rebus lætis par sit mensura malorum?
Hujus qui trahitur, prætextam sumere mavis?
An Fidenarum Gabiorumque esse potestas,
Et de mensura jus dicere, vasa minora
Frangere pannosus vacuis Ædilis Ulubris?
Ergo quid optandum foret, ignorasse fateris
Sejanum: nam qui nimios optabat honores,
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, unde altior esset
Casus, et impulsæ præceps immane ruinæ.
Quid Crassos, quid Pompeios evertit? et illum,
Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nulla non arte petitus,
Magnaque numinibus vota exaudita malignis.

ter potestatem cujuslibet interficiendi habeat, quamvis eadem uti nolit? Sed quænam tandem vitæ conditio quamlibet felix, optari et acquiri meretur, ea lege, ut bonis mala exæquentur, et quantum ex ea capias commodi et voluptatis, tantum incommodi ac doloris haurias? Age, num Sejani, qui unco trahitur ad Gemonias, induere prætextam malles, quam magistratum gerere in oppidulo quopiam deserto, puta Fidenis, Gabiis, quam ædilis esse Ulubris, ibique detrita veste indutus lites de mensuris mercatorum et ponderibus coortas dijudicare, ac pocula minoris, quam lex jubet, capacitatis comminuere? Concedis igitur Sejanum nescivisse quid desiderari a mortalibus, ad veram felicitatem consequendam, oporteret: qui enim immensas opes in altum exstruebat, qui cupiditate honoris insana principem in civitate locum ambiebat, is turrim ædificare altissimam videbatur, unde caderet gravius, impulsusque in subjectum ac profundum præcipitium clade majori et fragore rueret.

108. Quid exitio Crassis, quid Pompeiis fuit? quid perniciem illi attulit, a quo populus Romanus redactus in servitutem, ac veluti loris cæsus, et instar mancipii habitus est? Nimirum dominatus omni contentione quæsitus, et exauditæ a Superis faventibus, vel iratis potius, atque cupiditatem hominum ulciscentibus, ambitiosæ preces. Quotusquisque regum ac tyrannorum est, qui morte incruenta de-

Ad generum Cereris sine cæde et vulnere pauci
Descendunt reges, et sicca morte tyranni.
Eloquium ac famam Demosthenis, aut Ciceronis
Incipit optare, et totis Quinquatribus optat,
Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam,
Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ.
Eloquio sed uterque perît orator; utrumque
Largus et exundans leto dedit ingenii fons.
Ingenio manus est et cervix cæsa; nec unquam
Sanguine caussidici maduerunt rostra pusilli.
« O fortunatam natam me consule Romam! »
Antonî gladios potuit contemnere, si sic
Omnia dixisset! ridenda poemata malo,
Quam te conspicuæ, divina Philippica, famæ,
Volveris a prima quæ proxima. Sævus et illum
Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ

fungatur, et placidus, sine cæde et pugionum ictibus, ad Plutonis regna descendat? pauci admodum.

114. Puerulus, qui exigua mercede magistro persoluta, primis bonarum artium rudimentis imbuitur, qui ludum litterarium petit, uno servulo angustam cistellam, in qua ejus libri sunt, ferente comitatus, jam tum expetit eloquentiam famamque Demosthenis, aut Tullii, nec alia totis quinquatribus vota concipit. Sed Demostheni pariter ac Tullio et funesta et exitialis eloquentia fuit; utrumque ingenii felix ubertas et copia dicendi letho tradidit. Ingenium præstans exstitit in caussa, cur Ciceroni mortuo caput abscissum et dextra manus fuerit; nec rostra unquam patroni mediocris cruore sunt imbuta. *O fortunatam natam me consule Romam!* Si nihil dixisset Cicero, vel scripsisset elegantius hoc suo versu, nihil habuisset profecto, quod Antonii crudelitatem et arma formidaret. Mihi vero magis pro salute placent inepta ejusmodi carmina, quam Philippica ejusdem Tullii divina, quæ post primam proxime pronunciata, tantum ipsi gloriæ comparavit. Nec minus crudeli exstinctus est letho ille, quem instar torrentis perorantem, et populi magno numero ad eum audiendum concurrentis animos velut injectis frenis, quo vellet, ducentem, unde vellet, abducentem, Athenæ

Torrentem, et pleni moderantem frena theatri.
Dîs ille adversis genitus, fatoque sinistro,
Quem pater ardentis massæ fuligine lippus,
A carbone et forcipibus, gladiosque parante
Incude, et luteo Vulcano ad rhetora misit.
  Bellorum exuviæ, truncis affixa tropæis
Lorica, et fracta de casside buccula pendens,
Et curtum temone jugum, victæque triremis
Aplustre, et summo tristis captivus in arcu,
Humanis majora bonis creduntur : ad hæc se
Romanus Graiusque ac barbarus endoperator
Erexit : caussas discriminis atque laboris
Inde habuit : tanto major famæ sitis est, quam
Virtutis. Quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Præmia si tollas? Patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum, et laudis titulique cupido

suspiciebant. Demosthenem profecto iratis natum esse Superis, infensisque fatis oportuit, quem parens lippus ob fumi fuliginem et candentis ferri massas, quas tractare consueverat, jussit, relicta officina, camini et carbonis squalida crassitie, forcipibus et incude, in qua gladii fabricabantur, ad rhetoricæ professorem in ludum litterarium ire.

133. Ita vulgo persuasum habemus, spolia hostibus erepta, excitatum e mutilata quercu trophæum, ex eoque suspensum thoracem ferreum, et bucculam de fracta galea pendentem, jugum a temone suo avulsum, dereptum e victæ navis prora ornamentum; erectos in triumphantium honorem fornices, in eorumque suprema parte positas e saxo effigies captivorum; hæc, inquam, omnia summum in humanis bonis obtinere locum, iisque mortales ad ipsos Deos evehi arbitramur. Hæc illa sunt, quæ ut consequerentur Græci pariter ac Romani duces barbarique imperatores, nihil inausum inexpertumque reliquerunt; eam ob rem tot se periculis, tot laboribus objecerunt, quos nemo virtutis assequendæ caussa suscipiat; adeo constat homines famæ quam virtutis avidiores esse! Quem enim reperias, qui virtutem solam, sublata spe mercedis ac præmii, consectetur? Hanc tamen bellicam laudem dum pauci quidam ambiunt præpostere, florentissima imperia suamque patriam everterunt,

Hæsuri saxis cinerum custodibus, ad quæ
Discutienda valent sterilis mala robora ficus;
Quandoquidem data sunt ipsis quoque fata sepulcris.
Expende Hannibalem : quot libras in duce summo
Invenies? hic est, quem non capit Africa Mauro
Percussa Oceano, Niloque admota tepenti,
Rursus ad Æthiopum populos altosque elephantos.
Additur imperiis Hispania : Pyrenæum
Transilit : opposuit natura Alpemque nivemque;
Diducit scopulos, et montem rumpit aceto.
Jam tenet Italiam; tamen ultra pergere tendit.
Actum, inquit, nihil est, nisi Pœno milite portas
Frangimus, et media vexillum pono Subura.
O qualis facies, et quali digna tabella,
Quum Gætula ducem portaret belua luscum!
Exitus ergo quis est? o gloria! vincitur idem
Nempe, et in exsilium præceps fugit; atque ibi magnus
Mirandusque cliens sedet ad prætoria regis,

nempe ut celebraretur ipsorum nomen, ut titulos adipiscerentur sepulchris suis inscribendos, in quibus cineres urnis conditi servantur; et quibus disjiciendis malum robur sterilis ficus sufficit : nam in ipsa quoque sepulchra mors et fata jus habent.

147. Age, cineres Hannibalis pondera : quot libras reliquiæ tanti ducis pendunt? Hic ille est, cui nimium angusta fuit tota, quam late patet Africa, ab Mauritaniæ littoribus ad Nilum usque tepentem, et hinc ad Æthiopiæ porrecta populos, Indiamque ubi sunt maximi elephanti. Pœnorum imperio addit Hispaniam : Pyrenæos montes superat : objicit illi natura Alpes nivibus coopertas et invias : rupes aceto dividit, montibusque disruptis Italiam occupat. Non hic tamen sistit : Parum, inquit, promovimus, nihil egimus, nisi Romæ frangimus portas, et Punica vexilla in medio urbis foro victores defigimus. O faciem spectandam! o dignum qui pingeretur Annibalis coclitis, Gætulo elephanto insidentis, vultum? Quo demum evadet vir tantus? quo recident tot consilia, tot prælia, tot victoriæ? O humanæ gloriæ vanitatem! Idem ille qui Romæ jam imminebat, vincitur, fugit, pellitur in exsilium; et ad regias fores magnus mi-

Donec Bithyno libeat vigilare tyranno.
Finem animæ, quæ res humanas miscuit olim,
Non gladii, non saxa dabunt, nec tela, sed ille
Cannarum vindex ac tanti sanguinis ultor,
Annulus. I, demens! et sævas curre per Alpes,
Ut pueris placeas, et declamatio fias!
Unus Pellæo juveni non sufficit orbis:
Æstuat infelix angusto limite mundi,
Ut Gyaræ clausus scopulis parvaque Seripho.
Quum tamen a figulis munitam intraverit urbem,
Sarcophago contentus erit! Mors sola fatetur,
Quantula sint hominum corpuscula. Creditur olim
Velificatus Athos, et quidquid Græcia mendax
Audet in historia: constratum classibus îsdem
Suppositumque rotis solidum mare: credimus altos
Defecisse amnes epotaque flumina Medo

randusque cliens assidet, exspectans dum Bithyniæ regulus expergisci et admittere salutantem velit. Inquietam ac ferocem Annibalis animam, quæ terrarum orbem antea perturbavit, non exstinguent enses, non scopuli, non tela; sed ipsius annulus, qui pœnas Romani sanguinis ad Cannas profusi ab eo repetet. I nunc, mortalium dementissime; Alpes sævas transili; caput sexcentis periculis objice, ut laudem scilicet apud pueros in ludo litterario merearis, ac declamationibus argumentum illustre suppedites.

168. Alexander, juvenis e Pella oriundus, orbe uno contentus non est; illi mundus hic videtur angustior, in eoque, velut arctis constrictus spatiis, aut Gyaræ vel Seriphi rupibus angustis inclusus, angitur et misere sudat. Ubi tamen Babylonem muris coctilibus circumdatam fuerit ingressus, feretrum illi sufficiet. Sola mors, quam exile quidpiam et minutum sit homo, docet. Credimus montem Athon olim a Xerxe perfossum et circumnavigatum fuisse: credimus alia id genus multa, quæ Græci, mendaciorum artifices egregii, annalibus historicis prodere non dubitant; quum perhibent opertum æquor iisdem Xerxis classibus, quibus Athon circumnavigaverat, et curribus pervium, tanquam stabile solum, exstitisse; fluvios integros exhaustos et exsiccatos uno Persici exercitus prandio, aliaque

Prandente, et madidis cantat quæ Sostratus alis.
Ille tamen qualis rediit Salamine relicta,
In Corum atque Eurum solitus sævire flagellis
Barbarus, Æolio nunquam hoc in carcere passos,
Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum?
Mitius id sane, quod non et stigmate dignum
Credidit. Huic quisquam vellet servire deorum?
Sed qualis rediit? nempe una nave, cruentis
Fluctibus, ac tarda per densa cadavera prora.
Has toties optata exegit gloria pœnas.
«Da spatium vitæ, multos da, Jupiter, annos!»
Hoc recto vultu solum, hoc et pallidus optas.
Sed quam continuis et quantis longa senectus
Plena malis! deformem, et tetrum ante omnia vultum,
Dissimilemque sui; deformem pro cute pellem;
Pendentesque genas, et tales adspice rugas,
Quales, umbriferos ubi pandit Tabraca saltus,

plurima ejusdem modi, quæ Sostratus, quum se largiter vino proluit, cantare amat. Idem ille nihilominus Xerxes, qualis tandem in suam Persidem, post relictam Salamina, est reversus! Quantum ab illo mutatus, qui ventos verberibus cædi jusserat, nunquam profecto in Æoliis carceribus ea mulctatos pœna; qui vincula ipsi Neptuno injecerat! Clementer sane factum, quod eumdem etiam candente ferro ad ignominiam inuri non imperaverit. Ecquis Deorum homini tam barbaro, tam impio navare operam ac favere vellet? Sed qualis tandem in Persidem remeavit! Nimirum unica navi per fluctus suorum militum sanguine cruentatos, et per cadaverum temere fluitantium acervos ægre viam fugamque expediens. Ita suos illos amatores gloria tot expetita votis ulciscitur.

188. O Jupiter! annue mihi longioris vitæ moras, annosque complures imperti: hoc erecto vultu, hoc unice ac sollicito pallore desideras. Verum quam gravibus, quam sibi sine ulla intermissione succedentibus incommodis senectus longior laborat! intuere faciem sua forma et venustate spoliatam, ab ea facie quæ olim erat, heu! longe diversam; pellem, vel corium potius aridum, pro molli et

In vetula scalpit jam mater simia bucca.
Plurima sunt juvenum discrimina: pulchrior ille
Hoc, atque ille alio; multum hic robustior illo.
Una senum facies; cum voce trementia membra,
Et jam leve caput, madidique infantia nasi:
Frangendus misero gingiva panis inermi:
Usque adeo gravis uxori, natisque, sibique,
Ut captatori moveat fastidia Cosso!
Non eadem vini atque cibi, torpente palato,
Gaudia: nam coitus jam longa oblivio; vel si
Coneris, jacet exiguus cum ramice nervus,
Et, quamvis tota palpetur nocte, jacebit.
Anne aliquid sperare potest hæc inguinis ægri
Canities! quid, quod merito suspecta libido est,
Quæ Venerem affectat sine viribus? Adspice partis
Nunc damnum alterius: nam quæ cantante voluptas,
Sit licet eximius citharœdus, sitve Seleucus,

candida cute; genas pendulas, et sulcatas rugis, quales in vetusta bucca scalpit senior simia, jampridem mater, sub latis umbrosisque Tabracæ saltibus. Juvenes alii alia dote inter se sunt dissimiles; hic illo formosior; ille alio fortior et valentior est: senum omnium idem est vultus, eadem difformitas, eadem totius corporis incommoda: vox cum labris tremit; caput pilis exutum; nasus, more infantium, ab humore perpetuo defluente madens; comminuendus in parvula frusta panis, quem ipse nequit frangere ob gingivas dentibus destitutas: molestus conjugi, liberis, sibi, adeo ut ipsi Cosso, qui ejus hereditatem captat, nauseam tædiumque pariat. Non eamdem e vino dapibusque voluptatem, senio videlicet palatum hebetante, percipit: nam coitus voluptatem jamdudum oblitus est: etiamsi coneris ad illam revocare exiguum ipsius debilemque nervum, jacet cum ramice et semper jacebit, quamvis per totam noctem palpando sollicitetur. An sperare aliquid potest canus ille senex cum inguine mortuo? præterea qui sine viribus venerem libidinosam sectatur, merito suspectus est. Nunc jacturam alterius sensus, scilicet auditus, adspice: nam quæ voluptas surdo percipi potest ex cantibus eximiis, licet egregius citharœdus, vel ipse canat Seleucus, vel illi tibicines,

Et quibus aurata mos est fulgere lacerna?
Quid refert, magni sedeat qua parte theatri,
Qui vix cornicines exaudiet, atque tubarum
Concentus? clamore opus est, ut sentiat auris
Quem dicat venisse puer, quot nuntiet horas.
Præterea minimus gelido jam corpore sanguis
Febre calet sola; circumsilit agmine facto
Morborum omne genus: quorum si nomina quæras,
Promptius expediam, quot amaverit Hippia mœchos,
Quot Themison ægros auctumno occiderit uno,
Quot Basilus socios, quot circumscripserit Hirrus
Pupillos, quot longa viros exsorbeat uno
Maura die, quot discipulos inclinet Hamillus;
Percurram citius, quot villas possideat nunc,
Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat.
Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis, ambos
Perdidit ille oculos et luscis invidet: hujus
Pallida labra cibum accipiunt digitis alienis.
Ipse ad conspectum cœnæ diducere rictum

qui auratis lacernis magnifice vestiti prodire solent? quid interest, qua in parte magni theatri sedeat ille, qui vix percipere queat acres cornuum sonos et buccinarum clangorem? Clamorem attollere servus debet, eum admonens, quis ipsum conveniat domi, quota hora sit, ut aures illius sentiant. Præterea jam minimus stagnat sanguis in gelido corpusculo, isque frigidus, nisi febre accendatur: turmatim et undique insilit, eique incumbit morborum omnis generis cohors numerosa, quos nominare si velim, citius dixerim quot adulteros amaverit Hippia; quot ægroti a medico Themisone fuerint uno autumno interfecti; quot socios Basilus, quot pupillos Hirrus per malas artes spoliaverit; quot viros in uno die Maura procero corpore exsorbeat; quot discipulos Hamillus, multo corruptior, ad stuprum incurvet: promptius enarravero, quot villas nunc proprias possideat ille tonsor, quo resecante barba mihi juveni molesta olim resonabat. Alius senex humeris laborat, alius lumbis, alius femore: hic oculo utroque captus est, et fortunatos luscos putat: ille aliena ope indiget, ut pallentibus labiis cibum sumat; quumque appo-

Suetus, hiat tantum, ceu pullus hirundinis, ad quem
Ore volat pleno mater jejuna. Sed omni
Membrorum damno major dementia, quæ nec
Nomina servorum, nec vultum agnoscit amici,
Cum quo præterita cœnavit nocte; nec illos,
Quos genuit, quos eduxit: nam codice sævo
Heredes vetat esse suos; bona tota feruntur
Ad Phialen: tantum artificis valet halitus horis,
Quod steterat multis in carcere fornicis annis!
Ut vigeant sensus animi, ducenda tamen sunt
Funera natorum, rogus adspiciendus amatæ
Conjugis, et fratris, plenæque sororibus urnæ.
Hæc data pœna diu viventibus, ut renovata
Semper clade domus, multis in luctibus, inque
Perpetuo mœrore, et nigra veste senescant.
Rex Pylius, magno si quidquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit a cornice secundæ.

nuntur fercula, ipse ad eorum conspectum assuetus aperire labra, hiatum rictus tantum diducit, velut hirundinis pullus, ad quem pascendum mater jejuna ore pleno advolans, escam in rostrum tenellum ingerit. Sed istis, qui corpus vexant, morbis longe gravior morbus infirmæ ac parum sanæ mentis est, quo fit, ut neque servorum nomina meminerit; neque amici vultum agnoscat, cum quo hesterna nocte cœnavit; neque liberos, quos procreavit et educatos aluit: nam illis hereditatem suam crudeli testamento eripit, dum omnes fortunas donat Phialæ, quam heredem ex asse scribit; usque adeo potuit impura et vafra mulier hominem inescare oris halitu, quod inclusa per plures annos in angusta lupanaris cella prostitit!

240. Sed fac senem adhuc bonæ mentis esse compotem, tamen lugeat filiorum mortem oportebit, eosque ad rogum efferat; dilectæ uxoris bustum ac fratris intuebitur, et urnas sororum cineribus refertas. Nempe id supplicii longævos manet, ut iteratis et continuatis in familia funeribus, assiduo in mœrore ac nigro amictu miseram senectutem exigant. Nestor, rex Pyli, si quam summo Homero habemus fidem, unus post homines natos ad cornicum longævam ætatem proxime accessit: et actum scilicet præclare cum illo putas, qui

Felix nimirum, qui tot per sæcula mortem
Distulit, atque suos jam dextra computat annos,
Quique novum toties mustum bibit! Oro, parumper
Attendas, quantum de legibus ipse queratur
Fatorum, et nimio de stamine, quum videt acris
Antilochi barbam ardentem; quum quærit ab omni,
Quisquis adest socius, cur hæc in tempora duret;
Quod facinus dignum tam longo admiserit ævo?
Hæc eadem Peleus, raptum quum luget Achillem;
Atque alius, cui fas Ithacum lugere natantem.
Incolumi troja Priamus venisset ad umbras
Assaraci magnis solennibus, Hectore funus
Portante, ac reliquis fratrum cervicibus, inter
Iliadum lacrymas, ut primos edere planctus
Cassandra inciperet, scissaque Polyxena palla,
Si foret exstinctus diverso tempore, quo non
Cœperat audaces Paris ædificare carinas.
Longa dies igitur quid contulit? omnia vidit

tamdiu vitam prorogaverit, jamque dextra utatur manu ad numerandam ætatem, ac toties vinum recens hornumque potet. Verum, amabo, expende quam graviter ipse de fatorum decretis expostulet, ut vitæ longioris filum accuset, quum sui Antilochi, jam grandioris et barbati cadaver impositum rogo cremari cernit. Nam singulos sodales, quicumque adstant, interrogat, cur ad illud ævum usque permanserit, et quod facinus admiserit, cui pœna tam diuturnæ vitæ merito sit irrogata? Eadem Peleus queritur, quum Achillem filium acerba morte sibi ereptum deplorat; necnon Laertes, cui senectus longa idcirco videtur contigisse, ut Ulyssem variis pelagi erroribus jactatum diutius lugeret. Si Priamus obiisset florente adhuc Troja, alio tempore, quo Paris in Græciam profecturus, et Helenam audaci rapturus scelere, jam classem adornabat, profecto elatus fuisset magno apparatu, et ad Assaraci manes placide descendisset, Hectore cum fratribus impositum humeris cadaver gestantibus; Trojanis matronis luctu fletuque funus prosequentibus; Cassandra primos planctus inchoante; Polyxena discissis vestibus eosdem incendente. Quid igitur Priamum vita longior juvit? nisi ut patriam

Eversa, et flammis Asiam ferroque cadentem.
Tunc miles tremulus posita tulit arma tiara,
Et ruit ante aram summi Jovis, ut vetulus bos,
Qui domini cultris tenue et miserabile collum
Præbet, ab ingrato jam fastiditus aratro.
Exitus ille utcumque hominis : sed torva canino
Latravit rictu, quæ post hunc vixerat, uxor.
  Festino ad nostros; et regem transeo Ponti,
Et Crœsum, quem vox justi facunda Solonis
Respicere ad longæ jussit spatia ultima vitæ.
Exsilium, et carcer, Minturnarumque paludes,
Et mendicatus victa Carthagine panis,
Hinc caussas habuere : quid illo cive tulisset
Natura in terris, quid Roma beatius unquam,
Si circumducto captivorum agmine, et omni
Bellorum pompa, animam exhalasset opimam,
Quum de Teutonico vellet descendere curru?

cerneret eversam, Asiamque omnem Græcorum ferro flammisque vastatam? Tunc ipse jam senio tremens miles, deposito diademate, arma induit; atque ante maximi Jovis aram confossus cecidit, instar annosi bovis, qui ab aratro propter senectutem remotus, immolatur ingrato agricolæ, et jam contemptus tenue ac miserabile collum domini cultro subjicit. At illa mors, licet miserabilis, tamen ejusmodi est quem hominis natura non respuat; verum ejus uxor, quæ post illum est mortua, indignam homine mortem obiit, in belluam torvam conversa, et canum more latrans.

273. Omitto, ut citius ad Romanorum exempla veniam, regem Ponti Mithridatem; omitto Crœsum, quem Solon facunde ac sapienter admonuit exspectandum esse ultimum vitæ diem, ut aliquis beate vixisse tuto pronuntiaretur. Certe senectus in causa fuit, cur Marius exilio multatus, conjectus in carcerem, coactus delitescere in Minturnensi palude, ad extremum in ipsa quam vicerat, Carthagine, corrogare stipem ostiatim ac panem coactus sit : quid illo fortunatius cive produxisset unquam in terris et natura et Roma, si post captivorum turbam per vicos urbis traductam, post triumphum insigni pompa peractum, ex illo curru descendens, in quo de Teu-

Provida Pompeio dederat Campania febres
Optandas; sed multæ urbes et publica vota
Vicerunt: igitur Fortuna ipsius, et Urbis,
Servatum victo caput abstulit. Hoc cruciatu
Lentulus; hac pœna caruit, ceciditque Cethegus
Integer; et jacuit Catilina cadavere toto.
  Formam optat modico pueris, majore puellis
Murmure, quum Veneris fanum videt anxia mater,
Usque ad delicias votorum. — Cur tamen, inquit,
Corripias? pulchra gaudet Latona Diana.
— Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem
Ipsa habuit: cuperet Rutilæ Virginia gibbum
Accipere, atque suam Rutilæ dare. Filius autem
Corporis egregii miseros trepidosque parentes
Semper habet: rara est adeo concordia formæ
Atque pudicitiæ! sanctos licet horrida mores

tonibus triumphaverat, animam velut ovantem exspirasset? Expetenda fuerat illa Pompeio febris, quæ, tanquam calamitatum ipsi impendentium præscia, eumdem in Campania morantem invaserat. Sed vota infelicia plurimarum urbium, et populi benevolentia, Superos pro ejus incolumitate comprecantis, atque adeo fatum Pompeio, et Romæ infensum, a Diis impetrarunt, ut eo morbo levaretur, nempe ut a Cæsare debellatus, capite truncaretur: quo cruciatu, quo supplicio affectus non est Lentulus; non Cethegus, non Catilina, qui nulla corporis parte avulsa, integri perierunt.

289. Mater anxia, quoties templum Veneris intuetur, filios optat formosos, filias magis formosas: pro illis parva voce, sed majori pro his precatur; nec modum in votis ullum tenet. — Quid vitii votum istuc habet? cur me reprehendas? inquit illa: nonne Latona magnam e Dianæ pulchritudine voluptatem et gloriam capit? — Fateor; at Lucretia documento est, quam periculosa sit insignis ejusmodi pulchritudo, qualem ipsa habuit: nec Virginia libenter oris sui dignitatem cum Rutilæ gibbo non mutaret. Filius liberali et honesta facie præditus continuam parentibus sollicitudinem et metum affert: *quippe raro venustatem cum pudicitia junctam reperias.* Quamvis puer optimis imbutus moribus; quamvis domes-

Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinos,
Præterea castum ingenium, vultumque modesto
Sanguine ferventem tribuat natura benigna
Larga manu, (quid enim puero conferre potest plus
Custode et cura natura potentior omni?)
Non licet esse viris : nam prodiga corruptoris
Improbitas ipsos audet tentare parentes.
Tanta in muneribus fiducia! nullus ephebum
Deformem sæva castravit in arce tyrannus;
Nec prætextatum rapuit Nero loripedem, vel
Strumosum, atque utero pariter gibboque tumentem.
I nunc, et juvenis specie lætare tui, quem
Majora exspectant discrimina! fiet adulter
Publicus, et pœnas metuet, quascumque mariti
Exigere irati; nec erit felicior astro
Martis, ut in laqueos nunquam incidat : exigit autem
Interdum ille dolor plus, quam lex ulla dolori
Concessit : necat hic ferro; secat ille cruentis

tica disciplina, priscorum Sabinorum ritu, sobrie ac severe fuerit educatus; quamvis indolem castimoniæ amantem, modestam faciem ac pudico rubore suffusam acceperit a liberalis naturæ larga manu: (quod enim ipsi beneficium præstantius largiri natura potest? quæ una profecto plus custodibus omnibus et cautionibus ad servandam probitatem valet). Tamen non permittitur eos viros exstare : nam prodiga corruptoris nefarii malitia audet ipsos parentes muneribus sollicitare; adeo certa spes in largitionibus adest! nullus tyrannus puerum jam puberem, si deformis fuerit, in arce dira castravit: et Nero ingenuum ac nobilem nunquam rapuit, si distortis pedibus aut scrophula laborantem, si ventre pariter ac gibbo turgentem invenerit. Vade nunc, et gaude juvenis tui pulchritudine, quem exspectant majora pericula! fiet publicus omnium matronarum adulter; et omnem timebit ultionem, quam irati earum mariti repetere volent : neque felicior erit, quam ipse deus Mars, ita ut nunquam in adulterio deprehensum nexiles involvant laquei : porro ille mariti læsi dolor pœnas exigit majores, quam lex ulla possit dolori concedere. Hic gladio perimit; ille sanguinolentis ictibus mœchos con-

Verberibus; quosdam mœchos et mugilis intrat.
Sed tuus Endymion dilectæ fiet adulter
Matronæ; mox quum dederit Servilia nummos,
Fiet et illius, quam non amat : exuet omnem
Corporis ornatum : quid enim ulla negaverit udis
Inguinibus, sive est hæc Oppia, sive Catulla?
Deterior totos habet illic femina mores.
— Sed casto quid forma nocet? — quid profuit immo
Hippolyto grave propositum? quid Bellerophonti?
Erubuit nempe hæc, ceu fastidita, repulsa;
Nec Sthenobœa minus, quam Cressa, excanduit; et se
Concussere ambæ : mulier sævissima tunc est,
Quum stimulos odio pudor admovet. Elige, quidnam
Suadendum esse putes, cui nubere Cæsaris uxor
Destinat : optimus hic, et formosissimus idem
Gentis patriciæ, rapitur miser exstinguendus

cidit; nonnulli sæpe mugilem adulteris per vim immiserunt mariti. Sed tuus filius, æque pulcher ac Endymion, matronas tantum formosas et amatas stuprabit; immo vero etiam illas quas non diliget, et deformem ipsam Serviliam, modo pecuniam dederit : hæc nihil filio tuo denegabit, omniaque offeret corporis ornamenta, ut eum sibi devinciat : nulla enim mulier, sive Oppia, sive Catulla, quum ardent libidine madida illius inguina, pretium recusat suis adulteris, ut desideria expleat. Femina in aliis rebus pessima, omnem industriam, omnes corporis et animi nervos ad hunc finem intendit. — Verum, inquies, quid obest forma, si quis pudicitiam retinere omnino decreverit. — Decreverat istud quidem Hippolytus; decreverat Bellerophon; quam gravibus uterque nihilominus periculis et exitiis objectus est! Phædra se repulsam ab Hippolyto videns, et contemptam, pudore simul et odio ad ultionem exarsit. Nec leviores quam Phædra concepit iras Sthenobæa, Bellerophontis fastidium et probitatem non ferens : itaque ambæ ad castissimorum adolescentum perniciem totis animis incubuerunt. Nihil est muliere crudelius, quum ad odium pudor et infamiæ metus accessit. Age, quid consilii capiendum esse putas Silio, cui nubere Cæsaris uxor constituit? Adolescens egregie probus, formosus, nobilis et patricio loco

Messalinæ oculis : dudum sedet illa parato
Flammeolo, Tyriusque palam genialis in hortis
Sternitur, et ritu decies centena dabuntur
Antiquo; veniet cum signatoribus auspex.
Hæc tu secreta, et paucis commissa putabas?
Non, nisi legitime, vult nubere : quid placeat, dic;
Ni parere velis, pereundum erit ante lucernas :
Si scelus admittas, dabitur mora parvula, dum res
Nota Urbi et populo contingat principis aures.
Dedecus ille domus sciet ultimus : interea tu
Obsequere imperio; sit tanti vita dierum
Paucorum : quidquid melius leviusque putaris,
Præbenda est gladio pulchra hæc et candida cervix.
— Nil ergo optabunt homines? — Si consilium vis,
Permittes ipsis expendere numinibus, quid
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.

natus, abripitur, ut in conspectu Messalinæ juguletur, si ejus nuptias respuat. Exspectat illum procax mulier, nuptiali veste induta, paratur in hortis publice purpureus lectus, præsidi nuptiarum genio sacer; pro dote centena sestertiorum, antiquo more, millia numerabuntur : non deerunt auspices, atque signatores tabularum et contractus. Credebas matrimonium istud clam agitari, et paucis consciis testibusque adhibitis : atqui servatis omnibus legibus et ritibus matrimonii, nubere Messalina decrevit : tecum expende, Sili, quid eligas. Si morem gerere abnuis, mortem tibi, antequam sol occidat, paratam scito : si tanto scelere te obstringis, non diu eodem lætabere, donec nimirum facinoris jam tota civitate pervulgati fama Cæsaris aures allabatur : ille omnium postremus innstam domi suæ ignominiam resciet. Interea morem gere, Sili, si tanti æstimas brevem usuram lucis ac vitæ : quidquid demum statuas levius et tibi utilius, obeunda mors erit, ac tuum illud caput venustum et elegans gladio demetendum.

346. — Hæc si se ita habent, inquiet aliquis, nihil ergo erit optandum hominibus. — Si consilium petas, Deos ipsos dijudicare sines, quid nobis expediat nostrisque negotiis conducat. Pro iis enim rebus, quas voluptate ducti concupiscimus, utiles largientur;

Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt dî :
Carior est illis homo, quam sibi. Nos animorum
Impulsu, et cæca magnaque cupidine ducti
Conjugium petimus, partumque uxoris : at illis
Notum, qui pueri, qualisque futura sit uxor.
Ut tamen et poscas aliquid, voveasque sacellis
Exta et candiduli divina tomacula porci,
Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.
Fortem posce animum, mortis terrore carentem,
Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoscumque labores,
Nesciat irasci, cupiat nihil, et potiores
Herculis ærumnas credat sævosque labores,
Et Venere, et cœnis, et pluma Sardanapali.
Monstro, quod ipse tibi possis dare : semita certe
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.
Nullum numen habes, si sit prudentia; nos te
Nos facimus, Fortuna, deam, cæloque locamus.

quippe quibus cariores, quam nobis ipsi, simus. Nos cæco et præcipiti quodam animorum impetu et cupiditate impulsi matrimonium expetimus, et conjugis partum : at norunt Superi, qualis uxor, qualis filius futurus sit. Attamen ut poscas aliquid, et ut templis viscera tomaculaque divina candiduli porcelli voveas, petendum ab illis hoc unum, ut mente sana simul et sano corpore sis : postula fortitudinem et robur animi, qui nullo mortis metu perturbetur; qui vitæ tempus ultimum inter naturæ beneficia numeret; qui ferendis quibuscumque laboribus par; qui potens iracundiæ cupiditatisque sit; qui Herculis ærumnas laboresque, voluptatibus, epulis, et mollibus Sardanapali stratis anteponat. Doceo te felicitatem cujus tu artifex tibi esse possis : unica ratio traducendæ per summam tranquillitatem vitæ est virtus. O Fortuna, nullam vim divinam habes, si regamur prudentia; nos te Deam facimus; nos te inter superos collocamus.



VARIÆ LECTIONES

ET NOTÆ

IN SATIRAM DECIMAM.

Notæ. 1—6. Fons primum et caussa votorum vulgarium, quæ plerumque est falsa opinio de veris bonis mente concepta, declaratur. Alcibiades apud Plat. Alcib. II, pag. 156, ed. Nürnbergeri : Ἐκεῖνο οὖν ἐννοῶ, ὅσων κακῶν αἰτία ἡ ἄγνοια τοῖς ἀνθρώποις· ὁπότε, ὡς ἔοικε, λελήθαμεν ἡμᾶς αὐτοὺς διὰ ταύτην καὶ πράττοντες, καὶ, τόγε ἔσχατον, εὐχόμενοι ἡμῖν αὐτοῖς τὰ κάκιστα, etc. Et Socrates, ibid. p. 180. Δοκεῖ μοι, ὥσπερ τῷ Διομήδει φησὶ τὴν Ἀθηνᾶν Ὅμηρος (Iliad. ε, 127) ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν ἀφελεῖν τὴν ἀχλὺν, Ὄφρ' εὖ γιγνώσκοι ἡμὲν θεὸν ἠδὲ καὶ ἄνδρα, οὕτω καὶ σοῦ δεῖν ἀπὸ τῆς ψυχῆς πρῶτον ἀφελόντα τὴν ἀχλὺν, ἣ νῦν παροῦσα τυγχάνει, τοτηνικαῦτ' ἤδη προσφέρειν δι' ὧν μέλλεις γνώσεσθαι ἡμὲν κακὸν ἠδὲ καὶ ἐσθλόν. — *A Gadibus*, extremo occidente, *usque* ad *Auroram*, orientem (ut Græc. ἠώς), *et Gangen*, ab una orbis terrarum tunc cogniti parte ad alteram; ut apud Anacr. XXXII, 25, Ἐκτὸς Γαδείρων, Τῶν Βακτρίων τε κ' Ἰνδῶν. *Gades* (hodie *Cadix*) extrema Europæ insula versus occidentem; unde *hominum finis*, apud Sil. I, 141, cujus vide nostram Editionem, vol. I, pag. 23. Ed. — *Ganges*, maximus Indiæ fluvius, etiam major Indo, unde *India intra et extra Gangen*. — *Aurora et Ganges* designant orientem. Conf. Ovid. Metam. I, 61.

Variæ Lectiones. 2. *Gangen* pro *Gangem* recepi e 17. — *Dinoscere*, 17, 24, 49, 55, 82, 65—99, 71—73. Ita scribi jubet Serv. ad Virg. Georg. II. *Cognoscere*, 21. *Discernere*. 7, 11, 14, 20, 22, 29, 45, ex interpretat.

Not. 2. *Pauci dignoscere possunt vera bona atque* ab *illis multum diversa*, bona opinata, vel quæ bona nobis videntur, sed mala sunt. « Res fallunt, illas discerne : pro bonis mala amplectimur; optamus contra id quod optavimus; pugnant nostra vota cum votis, consilia cum consiliis. » Senec. Epist. 54.

Not. 3. *Remota erroris nebula*, sine errore ac mentis cæcitate vel ignorantia. Similiter ἀχλὺς, apud Plaut. loc. laud. et *nubes*, *nubila*, *tenebræ*, *caligo mentis*, *invidiæ*, etc. dicuntur.

Not. 4. *Quid enim ratione* recta ac bona *timemus*, aut timere possumus ac debemus, ut malum, *aut cupimus*, ut bonum?

Var. 5. *Concutis*, 24 a m. pr. *concupis*, 10—12, 14—19, 21—23, 31,

33, 45, et XVI Codd. Paris. Sed modo præcessit *cupimus*, et nostra lectio exquisitior est. In verbis tamen *quid tam dextro pede concipis* mendum latere videtur. Vulgo ea sic interpretantur : *quid concipis* voti (nam *concipere* est vocab. propr. de votis, quæ vel mente, vel formula quadam concipiuntur), quid optas tam felici auspicio atque conatu? neque ignoro tali sensu dici : *dextro* et *sinistro pede ire*, *proficisci*, *venire*. Sed quis unquam dixit : *dextro pede concipere* votum?

Not. 5. Socrates, apud Platon. loc. laud. pag. 140 : Οὐκοῦν δοκεῖ σοι πολλῆς προμηθείας γε προσδεῖσθαι, ὅπως μὴ λήσεταί τις αὐτὸν εὐχόμενος μεγάλα κακὰ, δοκῶν δ' ἀγαθά· οἱ δὲ θεοὶ τύχωσιν ἐν ταύτῃ ὄντες τῇ ἕξει, ἐν ᾗ διδόασιν αὐτοὶ ἅ τις εὐχόμενος τυγχάνει; pag. 148. Εὑρήσεις δὲ καὶ τῶν νῦν ἔτι πολλοὺς, οὐκ ὀργῇ κεχρημένους, ὥσπερ ἐκεῖνον (τὸν Οἰδίπουν) οὐδ' οἰομένους κακὰ σφίσιν εὔχεσθαι, ἀλλ' ἀγαθά. Ἐκεῖνος μὲν, ὥσπερ οὐδ' ηὔχετο, οὐδ' ᾤετο· ἕτεροι δέ τινες εἰσὶν, οἳ τἀναντία τούτων πεπόνθασιν; et pag. 154 : Οἱ πολλοὶ οὔτε ἂν τυραννίδος διδομένης ἀπόσχοιντο ἂν, οὔτε στρατηγίας, οὐδ' ἑτέρων πολλῶν, ἃ παρόντα βλάπτει μᾶλλον ἢ ὠφελεῖ· ἀλλὰ κἂν εὔξαιντο ἂν γενέσθαι, εἴ τῳ μὴ παρόντα τυγχάνει· ὀλίγον δὲ ἐπισχόντες, ἐνίοτε παλινῳδοῦσιν, ἀνευχόμενοι ἅττ' ἂν τὸ πρῶτον εὔξωνται. Conf. Hom. Odys. I, 32 seq. — *Quid tam dextro pede concipis*. Vide Var. Lect. — Hunc locum etsi viri docti exagitent, equidem Juvenali non abjudicarem; nam quod nemo id dixerit, num ideo primus dicere Noster non potuit? Metaphorice *dextro pede* adhibetur, ut *dextro omine*, et illud poeta junxit cum simplice loquendi forma, *concipere* votum : sæpe, credo, audaciora protulit. Ed.

Var. 7. *Operantibus* (scilicet sacris, hoc est, sacrificantibus) *ipsis*, vetus Cod. Rittershus. Male ! — *Illis*, 22.

Not. 7—8. Conf. vs. 111 ; Senec. Ep. 60, 101 et 109 ; Valer. Maxim. VII, 2, extr. 1. — *Ipsis optantibus faciles*, votis ipsorum, qui ea conceperant, annuentes. *Facilis* proprie dicitur argilla et cera, quæ facile fingi et tractari potest; hinc deus vel homo ejusque animus, qui facile flecti ac moveri potest, et facile, quod optamus et precamur, facit, commodus, comis, benignus, εὐκίνητος, ut contra *difficilis* est inexorabilis, durus, pertinax, morosus, ἀργαλέος, δύσκολος, χαλεπὸς, δυσχερής. [1]

Var. 8. *Et nocitura petuntur*, 22, 45.

Not. 8. *Toga* et *militia*, in pace et bello, pacis et belli temporibus. — *Toga* insigne pacis, ut ait Cic. Pis. 30, qua Romani utebantur tempore pacis, unde pro ipsa pace hoc loco, et VIII, 240.

Var. 9. *Et torrens*, 10—12, 15—27, 45—50, 54, 55, 57—63, 65—69, 71—73.



[1] Vetus Schol. « *Dî faciles* satirice, ad mala peragenda faciles; vel ideo *faciles*, quia preces stultas audiunt. »

Not. 9. *Torrens dicendi copia;* vide ad III, 74. — *Facundia*, votis expetita a diis, *mortifera*, exitiosa *est multis*, ut Demostheni, Ciceroni et aliis. Conf. vs. 114 seq.

Not. 10. *Viribus ille confisus periit*, ut Milo Crotoniates cujus, quum (jam grandis natu) arborem manibus scinderet, brachia occupata sunt, et a lupis consumptus est; vet. Schol. *De admirandis lacertis* ac *viribus* hujus athletæ miserandaque ejus morte vid. Pausan. VI, 14; Strab. VI, pag. 403; Ælian. V. H. II, 24; XII, 22; Athen. X, 2 (4), pag. 412, 413; Gell. XV, 16; Ovid. Ibis, vs. 609, 610; Plin. VII, 20; XXXVII, 10; Philostr. Vit. Apoll. IV, 9; Valer. Max. IX, 12, ext. 9, et Suidas.

Var. 11. Ultima syll. verbi *periit* producitur, ut vs. 118, et in Ovid. El. de Morte Drusi, vs. 235, ob contractionem vel hiatum. Conf. ad I, 151. — *Admirandusque*, 16, 18.

Not. 12 seq. Conf. Prop. III, 7, 1 seq. Senec. Ep. 88, et 115, de Ira, III, 32, et de Tranquill. Vit. I, 8. — Eamdem sententiam ex Hispano quodam carmine, affert doct. *Achaintre :*

« Riquezas no se deseen,
« Que son malas de alcançar,
« Y peores de guardar
« Las vezes, que se poseen. » Ed.

Not. 13. *Strangulat*, macerat, *nimia cura*, qua *congesta* est et custoditur, vel potius facit, ut jugulentur a furibus aut tyrannis, qui opibus eorum inhiant. [1]

Var. 14. *Quantum*, 16, 21, 22.

Not. 14. Metaphora in Tiberium et divites; vet. Schol. *Balæna Britannica*, propter multitudinem et magnitudinem balænarum in oceano Britannico. Maximas tamen in Indico mari reperiri monet Plinius; quem vide de *balænis*, lib. IX, 3—7, et de *delphinis*, ibid. c. 8. *Exsuperans*, sc. *tanto*, quod sæpius ante *quanto* omitti, vel tironibus notum est.

Var. 15. *Duris*, 19 a m. pr.

Not. 15. *Temporibus diris*, quibus Nero imperabat inhiabatque divitum opibus.

Var. 16. *Longinum..... clausit*, dura dictio. Legendum, opinor, *Longini et..... Senecæ hortos clausit*. Conf. tamen Comm.

Not. 16. Vulgatam lectionem judice Hein. bene defendit et explica-



[1] Lubinus et alii respici putant fabulam de Mida; qui cibo in aurum converso strangulatus sit; unde Diogenes cynicus in Ep. ad Chrys. Μίδου τὴν κακίαν ζηλώσας, λιμώττων πλουτεῖς, βρόχοις ὥσπερ χρυσοῖς ἀπαγχόμενος.

vit Burm. ad Prop. I, 1, 24, his verbis: «Amant veteres unúm tantum verbum ponere, licet duas res diversas memorent, alterumque ex sensu supplendum omittere; quem loquendi modum multis Græcorum et Latinorum exemplis illustravit *d'Orville* ad Char. p. 395 seq. et patruus meus ad Claud. de Cons. Stil. II, 16. Vide, quæ notavi ad Lotich. I, 2, 9, et adde insigne ejusmodi βραχυλογίας exemplum in loc. Juven. X, 16, ubi supplendum est: «*Longinum* mori coegit *et Senecæ hortos clausit.*» Enimvero non ignoro (quod et a me ipso passim ad Sil. VI, 179; XI, 65; Tac. Annal. II, 20, 2; Liv. I, 33, 7; XII, 12, 8; XXIV, 5, 7, et a viris doctis, quos ad hæc loca laudavi, notatum est), a scriptoribus tam Græcis quam Latinis sæpe duobus pluribusve membris unum jungi verbum, cujus plena significatio ad unum modo membrum referri possit: sed tum ex hoc verbo generalis vel cognata, non plane diversa et dissimilis notio petenda est et tranferenda. Cf. Var. Lect. — C. Cassius *Longinus*, celeberrimus JCtus et rector Syriæ, pulsus est a Nerone, et a Vespasiano revocatus. Vid. ad Tac. VI, 15. Alium Cassium *Longinum* mori jussit Nero, teste Sueton. c. 37. — *Magnos Senecæ prædivitis hortos;* vid. Tacit. Annal. XIII, 42; XIV, 52—56, 65; XV, 56, 60—65, et Xiphil. in Nerone. *Senecæ hortos clausit tota cohors*, ut apud Tacit. Annal. XIV, 60, «*Villam* Senecæ *globus militum sepsit*, etc.[1]»

Not. 17. *Egregias Lateranorum ædes;* vide ad Commentar. VIII, 147.

Not. 18. *Rarus*, raro, jussu tyranni, *miles venit ad cænacula* pauperum, qui a tyrannorum insidiis tuti sunt. De *cænaculis;* vid. ad III, 199, et VII, 118.

Var. 19. *Puti* conj. Voss.

Not. 19 seq. Pulchra sententia et egregie expressa: si in itinere vel *pauca* portaveris *vascula argenti puri*, *timebis gladium contumque*, hoc est, insidias impetumque latronum; *viator* autem *vacuus*, qui nihil argenti aut pretiosi secum portat, *cantabit coram latrone*, liber omni metu et cura. Conf. Boethius, Consol. philosoph. lib. II; Ovid. de Nuce, vs. 43, 44; Senec. Epist. XIV, Palladæ Epigram. CX, in Brunck. Anal. tom. II, pag. 429, ibique Jacobs. ad Anthol. Græc. vol. II, part. III, pag. 253. *Argentum purum*, ad extenuationem dici putabat Lubinus, quoniam illud non tanti sit, quanti cælatum. Confer ad IX, 141. — *Contus* proprie hasta dicitur prælonga, ponderosa et amentata. Vid. ad Sil. XV, 687.

Var. 21. *Umbras*, 11, 17, 18. 20, 22, 45.

Not. 21. Præclare de summa formidine, quæ facit, ut vel *umbram*

[1] Henninius monet, subtiliter tangi divitias Senecæ invidendas, quas inter facillime de Vita beata, de animi Tranquill. etc. scribere potuerit; eum tamen excusari a Lipsio in Proleg. ad Senec. et a se ipso Vit. beat. c. 17.

arundinis expavescamus, tanquam latronis umbra sit. Sic τὴν αὑτοῦ σκιὰν φοβεῖσθαι dixit Plato in Phædone.[1] — *Ad lunam*, ad lunæ splendorem.

VAR. 22. *Cantabis*, 10, 11, recte forsan. *Cantabat*, 13, 16.

NOT. 22. *Vacuus*, inops omnium rerum, ut *inanis* apud Cic. Att. XIV, 3, et Plaut. Bacch. III, 4, 10. — *Cantabit*, vide ad VII, 55.

NOT. 23 seq. Cf. Pers. II, 44 seq. *Templis*, in quibus vota concipiuntur.

VAR. 24. *Ut crescant opes*, 10, 15; *crescant et opes*, 22. *Divitiæ, crescant opes*, 17—19, a pr. m. *Divitiæ ut crescant, ut opes*, 61—69, 71—73, 77. *Divitiæ ut crescant et opes*, 16 forte rectius et receptum ab Ach. nisi doctior est lectio nostra: *Prima fere vota*, hoc est, votorum argumenta sunt *divitiæ*, etc. Minus mihi arridet sententia Jacobsii, qui putat, legendum esse *Divitiæ, et crescant ut opes*, binaque indicari vota, pauperum, divitias sibi exoptantium, et divitum, qui precentur, ut divitiæ crescant.

NOT. 24. *Divitias* et *opes* bene separavit poeta : nam *divitiæ* possunt esse sine *opibus*, quoniam cum opibus semper aliqua jungitur potestas; Ach. « Expetuntur DIVITIÆ, ut utare; OPES, ut colaris; honores, ut lauderis, » Cic. de Amic. c. 6.

NOT. 25. *Maxima arca in foro* feneris et argentariæ faciendæ caussa, vel apud argentarios, seu numularios, mensarios, trapezitas. Conf. ad XI, 26, 27, et XIV, 260, 261. Vetus Schol. « Usque ad Cerealem præfectum in *foro* Trajani *arcas* habuerunt Senatores, in quibus argentum aut pecunias tutius deponebant. Propterea et locus ipse, in quo erant *arcæ* positæ, *Opes* dictæ sunt. » Idem ad XIV, 261. « Antea solebant arcas æratas facere, et ibi mittere pecuniam suam Senatores, et sic in foro *Martis* ponere. Verum per noctem a furibus exspoliatæ sunt arcæ, et cœperunt ex eo ad templum *Castoris* ponere. Ideo dicit, *Mars ultor galeam perdidit.* » Plathnerus : « Loculis, inquit, tantum minora æra, majora *arcis* tenebantur. Rara tamen potentioribus circa illa cura, dispensatoribus domesticas ordinantibus expensas, majores summas argentariis. Plerasque enim pecunias in foro habebant apud Trapezitas duplicem ob caussam, feneris puta et custodiæ. De fenere noster intelligendus hoc loco, et I, 105; IX, 140, de custodia Ulpian. lib. 30, ad Edict. et L. 7, § 10, ff. Depos. » — Vide notam Crammeri, ea fuse explicantis, p. 380 seq. ED.

NOT. 25 seq. At non pauperibus, sed divitibus veneficia aliaque pericula sunt timenda. Conf. Sen. Herc. OEt. II, vs. 652 seq. et Thyest. III, 1, 448—454. — *Aconita*, venena ; vide ad I, 158.

NOT. 26. *Fictilibus* poculis pauperum, ut mox *gemmata* divitum. Conf. ad V, 39, et 41.

[1] Confer Virgil. Æneid. II, 755, ad Stat. Theb. VI, 158 seq. et ad intpp. Horat. Od. I, 23, 5 seq. Barth. Claud. in Eutrop. II, 451.

Not. 27. *Setinum* vinum; vide ad V, 34. — *Ardebit*, quoniam splendet *in auro*, hoc est, aureo poculo (ut V, 39), vel veneno mixtum est, vel potius austerum et calidum est, ut Falernum, de quo vide ad IV, 138, 139, et Mitscherl. ad Horat. Od. II, 7, 21, ubi comparat verba Epigr. in Brunck. Anal. tom. III, pag. 166. Ἀποστίλβωσον τὸ κύπελλον (forsan terge poculum, ut splendeat), quæ exponit: fac ut ardeat, resplendeat, impleatur poculum scil. vino, quales κρητῆρες οἴνοιο ἐπιστεφεῖς, Hom. Il, θ, 232, dicuntur.

Var. 28. *Nonne*, 16. — *Laudes*, 16, 17, 19, 20, 23, 45.

Var. 29. *A limine*, 10—12, 15—27, 45—50, 54, 55, 57—63, 65—69, 71—73.

Var. 30. *Contrarius alter*, 10, 12, 15—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et XXXII MSS. Paris. prob. Ach. *auctor* 1, cod. Put. et duo alii Paris.

Not. 28—30. Cur itaque magni æstimas opum affluentiam et ostentationem, quæ *alteri de Sapientibus*, antiquis philosophis, risum, *alteri* contra fletum movere solebat? Sed præstat forte hoc loco ita exponere: Nonne itaque probas, quod philosophorum alter (Democritus Abderites) perpetuo ineptias riserit hominum, alter (Heraclitus, non Diogenes cynicus, vel Anacharsis Scytha) stultitiam eorum et miserias semper defleverit.[1] — *Auctor contrarius*, hoc est, contrariæ sententiæ, scilic. deflendas esse ineptias hominum et miserias.

Var. 31. *Cui vis*, 15, 16. *Rigidi cuivis*, al.

Not. 31, 32. Facete dicit: facile est ridere, sed mirum, unde Heraclito tanta lacrymarum copia suppetierit. Quidam eo respici putant, quod ex hydrope mortuus dicatur Heraclitus. — *Censura*, vituperatio ineptiarum, expressa *cachinno*. — *Rigidi*, duri, acerbi; sed proprie *censura* est *rigida*. Conf. ad XI, 91, in Var. Lect.

Not. 33 seq. Democritus perpetuo ridebat illis temporibus ac locis (*urbibus* Thraciæ, Abdera et aliis), quibus nondum tam ridicula erat vanitas ornamentorum et magnificentiæ; quanto magis risisset, si vixisset nostra ætate et Romæ? Conf. Horat. Epist. II, 1, 194 seq. — *Pulmonem agitare*, vexare, concutere, *risu* solutiore. Vetus Schol. «quia ex splene risum dicunt gigni.[2]»

Var. 34. *Esset in*, 19 a m. pr. *Essent* pro *esset* revocavi ex 11, 15—17, 19—22, 61—63, 76.

Var. 35. *Prætextæ trabeæ*, 11, 15, prob. Schurzfl. qui putabat, librarios male geminasse literam primam vocis *trabeæ*.

---

[1] De qua fabula vid. Sen. de Ira, II, 10, et de Tranq. animi, 15; Lucian. βίων πρᾶσις, et de Sacrif. extr. Koenig. ad Claud. XVII, 90; Suid. Laert. et al.

[2] Conf. Hard. ad Plin. XI, 37, seu 80, et Casaub. ad Pers. I, 12.

Nor. 35. *Prætexta* palmata; vet. Schol. Conf. vs. 99. — *Trabeæ;* vide ad VIII, 259. De *tribunali* vide Ernesti clav. Cic.

Var. 36. *Si prætorem vidisset*, 22. — *Victorem* pro *prætorem* conj. Schrader. — *In curribus,* 16, 25, 27, 45—50, 55—69, 71—74, 77, et quidam Codd. Paris. Sed omissio præpositionis Juvenali solennis; aut librariis sæpe tribuenda.

Nor. 36 sqq. Describitur pompa Circensis ornatusque prætoris, vel consulis (nam idem magistratus, vs. 36 *prætor,* et vs. 41 *consul* vocatur, et *prætor* olim consulis propriumque *ducis* nomen fuit),[1] ludis habitu triumphali (de quo hic locus classicus est) præsidentis:[2] unde infra XI, 192, *similis triumpho*, triumphanti, *prætor sedet* in circo et curru. De habitu triumphali vide Liv. XXX, 15. Sed conf. Var. Lect. — *Quid* scil. sensisset dixissetque, et quantopere risisset.

Var. 37. *Medii*, 10, 11, 15—17, 20, 21, 24, 56, 59, 60, 65. — *Sublimem pulvere,* 10, 11, 15, 17—24, 45. *Sublimem e pulvere,* 16. *Sublime pulvere*, 12. — *Sublimem pulvere Circi,* Cod. Thuan. teste ac probante clar. *Boissonade*, ad Herodiani Partitt. pag. 297. Ed. Equidem totum fere versum ab ingenio interpolatoris, pompam Circensem cum triumphali confundentis, profectum crediderim : quo deleto omnia ad pompam habitumque triumphalem referri possunt. Prætorem certe hoc habitu ludis præsedisse, nusquam alibi, nisi hoc loco, et infra XI, 192 (qui locus forte ad similitudinem tantum utriusque pompæ spectat), memoratur; etsi non ignoro, multis triumphalia ornamenta, seu insignia esse concessa.

Nor. 37. *Exstantem*, eminentem.— *Sublimem*, in *curribus altis,* in *curru alto*, formam rotundæ turris habente. — *Medio*, medii, *in pulvere Circi;* nam pompa Circensis a Capitolio ad medium ducebatur Circum. Vide loc. class. Dionys. Hal. VII, 72.

Nor. 38. *Tunica Jovis,* palmata, e Capitolio accepta, æque ac *toga picta*, quæ propria triumphantium insignia fuere et *Jovis optimi maximi ornatus* dicuntur Liv. XX, 7.[3] — *Crammer* huc citat statuam togatam prætoris mappam mittentis apud Ruben. Elect. c. 30, et ex eo apud Ferrar. in Anal. c. 34. Ed. — *Pictæ* acu. — *Sarrana*, Tyria (nam *Sarra*, צר, priscum Tyri nomen), hoc est, purpurea. — Sic apud Virgilium *Sarrano ostro*, Georg. II, 506, ubi vide notam. Ed.

Nor. 39. *Aulæa togæ* lepide pro toga laxa et ampla, quemadmodum molles dicuntur *velis amicti, non togis*, Cic. Catil. II, 10.

[1] De quo vide Perizon. Dissert. de Prætorio, pag. 8.

[2] Confer Lipsium ad Taciti Annales, I, 15, et Salmasium ad Solinum, pag. 465.

[3] Vide Ruben. de Re vest. I, 21.

Var. 40. *Quantum*, 15, 16, 18—20, 23, 24, 45. — *Una*, 20.

Not. 40. *Quanto*, cui ferendo.

Not. 41. Coronam auream *tenet* supra triumphantis caput et ab ejus tergo *servus publicus*, *sudans* præ labore, sub pondere; isque, *ne Consul sibi placeat*, nimis se efferat superbiatque tali honore, *eodem curru portatur.*[1] De *Servis publicis*, vide Lips. Elect. I, 22.

Not. 43. *Da*, adde præterea. Triumphator manu tenebat *eburneum sceptrum* seu scipionem (σκῆπτρον), imperii insigne, cujus summo seu capitulo insculpta erat *volucris*, aquila, præcipuum signum militare.[2] — *Surgit*, est, exstat. Conf. ad VI, 529.

Not. 44 seq. De hac pompa triumphali conf. Appian. Pun. 66; Jos. Bell. Jud. II, 17, et Plutarch. Vit. Æmil. Paul. — *Cornicines*, χορὸς κιθαριστῶν τε καὶ τιτυριστῶν, etc. apud Appian. loc. laud. *Præcedentia* currum riumphalem, *longi agminis officia*, longus ordo ministrorum et clientium, *officii* caussa (vide ad II, 132) præcedentium; ut τὰ καθήκοντα apud Lucian. in Somn.

Not. 45. *Quirites*, cives (vide ad VIII, 47), inprimis clientes et ministros, *ad frena*, ad equos vel currum euntes, *niveos*, alba vel potius candida (ab arte, creta a fullonibus adhibita) toga indutos.[3]

Not. 46. Facete de clientibus, *quos sportula* (vide ad I, 95 seq.), emolumentum, non verus amor, *fecit amicos*. — *Defossa in loculis*, velut in terra, quasi nunquam exinde egressura sit: facete et satirice in avaros; Grang. Itaque, quæ olim *defossa* erat *in loculis* patronorum et parce ab iis data est clientibus.[4]



[1] Vide Plin. XXII, 4; XXVIII, 4; XXXIII, 1; Tertull. de Corona milit. c. 13; Joseph. Ant. VII, 24, et al. Henninius: « Quæ, inquit, Tertull. Apoll. c. 33, ex eoque Zonaras et Panvinius de mortalitatis admonitione a servo suggesta referunt (eum scilic. triumphanti idemtidem acclamasse: *Respice post te; hominem esse te memento*), illa gratis dicta et ex Philippi historia traducta videntur. — Stulta mortalium vota circa triumphos ea ratione damnat Juvenalis, quod vel ipsa triumphi pompa quemvis doceat Fortunæ vicissitudinem; hinc obiter mentionem servi illius facit, quem respiciens triumphator Fortunæ inconstantiam considerare poterat, quum cuivis contingere possit, quod cuiquam. »

[2] Vide Dionys. Hal. III, 61; Appian. Pun. 66; Liv. XXX, 15; Isidor. II, 18; Wernsdorf. ad Himer. p. 219; Vales. ad Ammian. Marc. XXIX, 2, 15; Salmas. ad Script. Hist. Aug. t. II, pag. 358 450; Fabric. Ind. in Prudent. in Symm. I, et intpp. Claudian. I, 205; XXII, 363.

[3] Vide Plut. l. l. Lips. Elect. I, 13, et Mannt. Quæsit. per Epist. III, 1.

[4] An *defossa* a clientibus, qui amicitiam divitum sectantur, ut colligant sportulas, iisque marsupia sua impleant? Sic Bahrdt reddidit: *beigesteckte Sporteln*. Sed vox *defossa* huic rationi minus convenit.

VAR. 47. *Tunc* pro *tum* recepi ex 1, 15, 16—19, 24, 25, 45—47, 49, 50, 55, 57, 58, 60, 64—67. — *In omnes*, 18, 19, 25, 46—49, 54—60, 65.

NOT. 47. *Tunc* temporis, illa ætate, qua summa erat morum simplicitas, non tanta vanitas magnificentiæ.[1] *Invenit*, scil. Democritus. Conf. sup. vs. 28 seq.

NOT. 48 seq. Democritus, Abderitanus, exemplo est, *summos viros et magna exempla daturos*, qui aliis exemplo esse possunt, eximia ingenia (Germ. *Originalgenies*), *nasci posse in* Thracia, *patria vervecum*, stupidorum hominum (ut nostrum *Schöps*), *et sub crasso aere* Thraciæ, ut apud Horat. Epist. II, 1, 244:

Bœotum in crasso jurares aere natum.

Nam Bœoti, æque ac Thraces et in primis Abderitæ, stupidi habebantur, quod notum est ex Wielandi Abderitis, multisque proverbiis locum[2] dedit.

NOT. 52, 53. Fortunam, quam tot homines colunt, et cujus vim timent, contemnebat, et, si vel mala ipsi minari videretur, irridebat, ut quæ nocere non posset sapienti recteque viventi. Summus, hoc loco, contemptus duplici dictione proverbiali exprimitur. Nam *laqueum mandare* et *suspendium* (ut apud Apul. Met. IX, p. 234, 12, edit. Elmenh. « Potens juvenis ad extremam insaniam vecors suspendium sese legibus et ipsis pauperis amicis ac propugnatoribus mandare proclamans, » hoc est, eos contemnere et irridere) alicui dicitur, qui eum usque adeo despicit, ut, si vel laqueo suspendat se, id nihil curet, vel eum abire jubeat, et se

---

[1] Quum hæc, quæ in Urbe fiunt, necdum essent reperta; id est, major severitas et minor vanitas esset; Schol.

[2] Sic *Abdera* Cicer. ad Att. IV, 16, dicitur Roma propter stuporem senatorum, *Abderites*, Cic. Nat. Deor. I, 23. Ἀβδηριτικὸν, Cic. ad Att. VII, 7. *Abderitanæ pectora plebis*, Martial. X, 25: « Abderitana mens, Abdera pulchra, Diomedis equi, Teiorum colonia, Bœotica auris, Molchus resonat quid Bœoticum, etc. » Britannicus notat, hæc dicta esse ex stomacho in superbiam eorum, qui orti sanguine romano ceteros contempserint, et ex Heracliti (etiam Hippocratis aliorumque) sententia, qui affirmet, animam ibi esse prudentiorem, ubi aer sit siccior, ut Athenis, et hebetiorem, ubi crassior sit aer, ut Thebis. Henninius: « Recte, inquit, Curtius observat, VIII, 9 (ubi vide Freinshem.), *ingenia hominum ubique formari situ locorum*. Ratio in promptu; aer, qui omnia perspirat, varie se habet pro ratione climatum. Certum vero est, subtiliorem aerem multum conferre ad spiritus subtiliores, hos vero multum ad agilitatem et ad subtilitatem conceptuum. Hinc videas, plerosque Italos, Seras, Gallos, etc. præpollere ingenio Sarmatis, Hunnis, et Moschis. Potentissima tamen hæc caussa multum variatur ab institutione, educatione, diæta, itineribus, cultura pertinaci ingenii, conversatione, commerciis. Maximum quoque hac in re momentum confert *bene esse natum*, quod paucissimi expendunt. »

suspendere. (Hic dicere solet *restim cape et suspende te*, ut Plaut. Pers. V, 2, 34, et nos *Geh zum Henker!* unde *res ad restim rediit* apud Terent. Phorm. V, 4, 4.) Ἔρανον αἰτήσαντί μοι ὀρέξας τὸν βρόχον, Lucian. in Tim. cap. 45, et cap. 20: Ἀγχόνη τὸ πρᾶγμα γένοιτο αὐτοῖς..... οὐδὲ ὀβολὸν, ὥστε πρίασθαι βρόχον, ἐσχηκότας, pauperes. Aliud vero indicium contemptus, derisionis et contumeliæ erat, *medium* alicui *ostendere unguem*, vel, ut Martial. II, 28, 2, dicit, *medium porrigere digitum*, qui *infamis* dicitur Pers. II, 33 (ubi vide Casaub.); *impudicus* Martial. VI, 70, 5; καταπύγος Arrian. Epict. III, 2; quia extentus ille digitus, reliquis contractis, pudendam speciem exhibet, eoque cinædi vel molles designabantur. Hinc probrosa ejus porrectio facta.[1]

VAR. 54. *Supervacua aut perniciosa* omnes Codd. etiam Paris. et edd. antt. nisi quod *et* pro *aut* exstat in 11, et 21, unde lectionem hanc restitui cum Ach. *supervacua hæc aut perniciosa*, edd. recentt. ut metro consuleretur. Sed vide ad I, 151, *supervacua aut et perniciosa* non male emend. Schurzfl.

NOT. 54. *Ergo*, quæ quum ita sint, vel quia pauci vera bona et mala dignoscunt (sup. vs. 2 seq.) *petuntur* aut *supervacua* aut adeo *perniciosa* bona, quæ nobis bona videntur, inprimis opes et divitiæ, de quibus inde a vs. 12 agitur.

VAR. 55. *Templa* pro *genua*, 16. — *Mos* legendum crediderim pro *fas*, quod alienum ab hoc loco videtur.

NOT. 55. *Fas est*, vide Var. Lect. — *Genua incerare deorum*, hoc est, vota ad deos concipere eorumque se reum facere, ut ἐπισφραγίζεσθαι Philostr. Her. I, 17; *votum in statuæ femore adsignare* vel *alligare*, Apul. Apol. I, et forte *incerat lapides fumosos idololatris religio*, et

. . . . Saxa illita ceris
Viderat unguentoque Lares humescere nigros.

Prudent. Hamart. vs. 405, et c. Symm. I. Namque vota olim concipiebantur in *cerea* tabula et hæc imaginibus deorum, inpr. genibus earum, *cera* affigi solebat. Hinc et natam esse loquendi formulam Θεῶν ἐν γούνασι κεῖται de re desperata, pro qua suscipiantur vota solumque deorum auxilium exspectetur, monet C. Valesius.[2] Cf. Gonzal. ad Petr. p. m. 47, 48.

ANAL. 56—113. Alii summos honores, tanquam verum bonum, votis expetunt, qui tamen hominibus quandoque perniciosi sunt; quod vs.

[1] Confer ad I, 161; Petron. 131; Burm. Anth. Lat. t. II, p. 528; Schott. Obss. V, 3, et Alex. ab Alex. IV, 24.

[2] *Incerare genua deorum*, precando prehendere deorum genua, qui habitus est misericordiam implorantium, et quidem toties prehendere genua, ut sudore incrassentur et cera quasi inducta videantur; RAMIRES. ad Martial. I, 93. Cereis candelis oblatis illinere, vel cereos offerre diis et eorum genibus affigere; TURNEB. Adv. XXX, 19. Deorum simulacra illinere cera; PRAT. Vota insculpebantur, aut

61—107 exemplo Sejani, et vs. 108 seq. Crassi, Pompeii ac Cæsaris ostenditur. Socrates apud Plat. Alcib. II, pag. 150 edit. Nürnbergeri: « Πολλοὺς ἂν ἔχοιμεν εἰπεῖν, ὅσοι τυραννίδος ἐπιθυμήσαντες ἤδη καὶ σπουδάσαντες τοῦτ' αὐτοῖς παραγενέσθαι, ὡς ἀγαθόν τι πράξοντες, διὰ τὴν τυραννίδα ἐπιβουλευθέντες τὸν βίον ἀφῃρέθησαν, etc. Conf. Plin. VII, 40—45, ubi plura fortunæ variantis exempla memorantur. Ceterum totus ille de Sejano locus eximia cum arte elaboratus est, et potissimum repentina summæ venerationis in acerrimum odium conversio, a servili metu tyranni mobilique vulgi ingenio profecta, præclare declaratur.

Not. 56. *Præcipitat* in exitium. *Potentia subjecta*, obnoxia, exposita, magnæ invidiæ, quam ob causam minus quoque optabilis est. Cf. Horat. Sat. I, 6, 26 et 6, 47.—*Mergit*, hoc loco idem quod *præcipitat*, ut contra *emergere se ex malis*.[1]

Var. 57. *Mersit*, 16. *Mergat*, 11, unde *mersat* conj. Schurzfl. — *Longa*, *aut*, 12, 17, 19, 45.

Not. 57. *Longa honorum pagina*, tot honorum tituli, ut vix una eos capere possit pagina. — Vetus Schol. « Ænea *pagina*, quæ ante imaginem eorum stans omnes eorum gradus honorum inscriptos continet; quam nunc dicunt *tabulam patronatus*. » Non male, judice Ach. — Hujusmodi plures exhibent hodieque veteres lapides, quorum aliquos retulit Onufr. Panvin. in Comm. Fast.; ejusmodi quoque lapidem *Crammer* memorat apud Gruterum MXI, 1, et alterum singulari Dissertatione illustratum a P. Pollidoro, in *Calogeræ Raccolta d'Opusc. scientifici e filolog.* tom. VII, pag. 412 seqq. Ed.

Not. 58. *Descendunt*, ex basi vel bigis (vs. 59) deturbantur, *statuæ* nonnunquam potentissimorum, *restemque sequuntur*, injecta reste detrahuntur, vel raptantur per urbem. Vide ad VIII, 18. — *Restis sequi* et contra *duci* dicitur, ut *ensis* et *cera*.[2] — Illud et nos oculis ipsi vidimus, quum viri, qui omnem Europam terrore concusserat, ænea effigies ex alto columnæ triumphalis vertice deturbata est. Ed.

Var. 59. *Intacta securis* alios olim legisse, intelligitur ex vet. Schol. « Si *intacta*, nova: *si impacta*, percussa. »

Not. 59, 60. Conf. ad VIII, 18. *Rotas bigarum* vel quadrigarum, in quibus triumphales erant statuæ. — *Caballis*, equis æneis, statuis equestribus. Conf. ad III, 118. — *Immeritis*, salse; nam innuit epitheton,

inscribebantur in cera genibus statuarum; *incerabant* igitur deorum genua, qui votum susceptum signabant, seque voti reos constituebant; Ach.

[1] Conf. XIII, 8; Lucret. V, 1006; Sil. VIII, 285, et Virg. Æneid. VI, 512, ubi vid. Heyne in Var. Lect.

[2] Vide Heins. ad Valer. Flacc. I, 122. Conf. Lucian. Cataplus, seu Tyrannus, cap. II.

potentes potius hac pœna dignos fuisse. Furor simul vulgi designatur, qui ne his quidem rebus parcit. — Gallic. *qui n'en peut mais*. Ed.

Anal. 61 seq. Versus præstantissimi aptissimique ad pingendam vulgi mobilitatem, simul et fortunæ inconstantiam, atque pericula aulicis imminentia; Ach.

Var. 61. *Stridunt* pro *strident* recepi ex 10, 12, 16, 17, 19—21 a m. pr. 22—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et XXVIII Codd. Paris. Conf. Heins. et Heyne ad Virg. Georg. IV, 262, 556, et Æneid. II, 418; IV, 689; VIII, 420; XII, 691.

Not. 61. *Jam strident ignes*, quibus æneæ Sejani statuæ funduntur.[1] — *Caminis*, fornacibus.

Not. 62. *Ardet*, igni consumitur.—*Adoratus a populo et ingens Sejanus et toto orbe secundus*, præfectus prætorio, et secundus a Tiberio Imper. « cujus statuis sacra faciebant, quemque Tiberii collegam appellabant non in consulatu, sed in orbis terræ imperio, » ut utar verbis Xiphilini in Tiberio, quibus conf. Tac. Ann. IV, 2 extr. et Suet. Tib. 48, 65. — *Ex facie toto orbe secunda*, ex statua hominis toto orbe secundi. Sic Rutilius Gallicus præfectus urbi, Germanico *proxima cervix ponderis immensi* dicitur, Stat. Silv. I, 4, 6. — Veteris interpretis nota est: « Sejanus fuit Tiberio usque adeo carus amicus, ut nihil esset quod ei a Tiberio petenti negaretur; usque adeo de eo cogitaverit necem, ut dispositis conjurationis sociis occiso Tiberio ipse regnaret. Quum hoc cognovisset Tiberius, super ejus nomine epistolam ad senatum misit, et sic per consules damnatus est cum omni progenie sua, usque adeo ut filiam ejus virginem juberet senatus a carnifice stuprari, et sic occidi, ut jure videretur fuisse occisa. » De supplicio hujus virginis longa est dissertatio Crammeri. pag. 388 seq. Ed.

Var. 64. Cl. *Boissonade* ad Herodiani Partitt. p. 295: « *Metellæ* Cod. Thuan. pro *patellæ* scribo *matellæ*, et ipsa Satirici manum restituisse mihi videor. »

Not. 64. *Urceoli, pelves*, etc. hoc est, vasa vilia cujusque generis. Plin. Paneg. 52, imagines Domitiani dicit « excoctas flammis, ut ex illo terrore et minis in usum hominum ac voluptates ignibus mutarentur. » De iisdem Xiph. in Nerva pr. συνεχωνεύθησαν καὶ ἐξ αὐτῶν μεγάλα χρήματα συνελέγη.

Anal. 65—88. Præclare finguntur *sermones et secreta murmura vulgi* (infra vs. 89), ad Sejanum eo tempore, quo unco ad scalas Gemonias trahebatur, conspiciendum insultandumque undique accurrentis, cujus et lætitia et curiositas et levitas potissimum metusque tyranni egregie adumbratur. Conf. verba Livii XXIV, 25: « Hæc natura multitudinis est; aut servit humiliter, aut superbe dominatur: libertatem, quæ media

[1] Vetus Schol. « Conflatur statua, ut pecunia inde fiat. » At vide vs. 64.

est, nec spernere (nisi leg. sperare) modice, nec habere sciunt; et non ferme desunt irarum indulgentes ministri, qui avidos atque intemperantes plebeiorum animos ad sanguinem et cædes irritent.»

Not. 65—67. Hæc sunt verba vel populi, Tiberio gratulantis de oppresso illo hominis monstro, vel quæ plures secum colloquuntur et quæ quisque sibi dixit, exsultans lætitia ad primum nuntium de cæde ac pœna Sejani ad se perlatum. Conf. simil. loc. VI, 47—52. — *Pone domi lauros*, vide ad VI, 51. — *Duc in Capitolia.... bovem*, nam maxima hostia summoque deo mactanda est in tanta lætitia, tam publica quam privata; ut in triumpho. Vetus Schol. monet, Juvenalis menti obversatum esse versum Lucretii:

Cretatumque bovem duci ad Capitolia magna.

— Hic versus *Lucretio* pro *Lucilio* perperam, ob nominis vicinitatem, transcriptus videtur. Conf. *Douza* in Lucil. Reliq. pag. 139. Doct. *Achaintre*, in notis ad Juvenalem, Lucretio hunc adscribit; sed in fine Satirarum Persii, eum inter Lucilii fragmenta refert, pag. 314. Ed.—*Duci* verbum proprium, tam de victimis, quam, ut mox vs. 66, de noxiis. [1] Ἐμφατικῶς bis hoc loco ponitur. — *Capitolia*, vide ad XIV, 91. *Cretatum*, non creta immolationi designatum (quod putabat Saubert. de Sacrificiis, cap. 18, pag. 427 seq.) sed niveum, candore similem cretæ, qualis hostia diis superis, inpr. beneficis ac Jovi, et in magna lætitia, mactari solebat. Conf. Virg. Æn. IX, 627, 628; Ovid. ex Ponto, IV, 9, 50 al. Nota Ach. est: « *Cretatus* dicitur potius bos ille, quia, quum sæpe satis albos boves non invenirent, maculas eorum creta dissimulabant; unde Persius V, 177, *cretatam ambitionem* metaphorice dixit. » — *Unco*, in collum vel mentum fixo, perduelles damnati ad scalas Gemonias trahebantur: quod supplicium satis notum est. Sic quoque Sejanum e scalis illis præcipitatum et triduo post in Tiberim projectum esse, tradit Dio, LVIII, 11. Quæ Tacitus de ejus morte ac pœna memoriæ prodiderat, intercidere. — *Spectandus*, spectaculo futurus ac ludibrio.

Var. 67. *Herba* pro *labra*, 16.

Not. 67—70. Verba populi redeuntis ab hoc spectaculo, et Sejanum insectantis, non tam ex vero odio, quam ut suspicionem familiaritatis cum eo contractæ a se dimoveat, et Tiberii vitet insidias. — *Quæ labra*, quam distorta ac deformata? — *Quis vultus*, quam sævus ac dilaceratus? — Hunc locum ita intelligit inter alios complures *Achaintre*, cujus notam transcribere pretium operæ videtur: « Conf. hæc verba cum variis populi « Parisini colloquiis, cumque maledictis et subsannationibus quibus la- « cessebat damnatum istum atque ad supplicium tractum *Maximilianum* « *Robespierre*, quem idem populus, paucos ante dies, ad cælum prope

[1] Vide Heins. ad Ovid. Met, XV, 114.

« tulerat honoribus et præconiis. Eumdem audio dicentem populum de « nostro δημάρχῳ : *quæ labra ! quis illi vultus !* et reipsa illi vulnus erat « ingens in maxilla inferiore, quod, ne vivus caperetur, sibimet breviori « sclopeto intulerat. » Recentissimus autem Juvenalis interpres cl. *Baillot* locum metaphorice interpretatus est, ut *labra* sint, non secus ac *supercilium*, indicatio superbiæ, et ita vertit : « *La fierté, l'insolence étaient peintes sur son visage*. Forsan et hic sensus cum sequentibus *nunquam amavi hunc hominem*, melius connectitur. Quæ suppliciorum spectacula Gallice vocamus, *les Tragédies du peuple*. Ed.

Nor. 69—89. Hæc omnia sub specie dialogi inter duos cives legi debent; Ach. *Quo cecidit sub crimine*, vide ad IV, 12.

Var. 70. *Judicibus*, 10. *Indiciis* restitui ex 11, 17, 23—27, 45—50, 54—63, 65—69, 71—74, 77, et multis Codd. Paris. *Indicia* hoc loco sunt argumenta, quæ indicant et ostendunt, crimen non fictum esse, sed verum. Ita nihil deest eorum, quæ in judicio capitali requiruntur. *Indicibus*, 14, 16, 19—22, 64, 70, 75, 76, 82, et Codd. Paris. optimi et antiquissimi. Sed hi vix differunt a *delatoribus* : nisi forte conscii sunt sceleris et socii, qui secretam rem et conjurationem prodiderunt. — *Probarat*, 22.

Nor. 70. *Quibus indiciis ?* vide Var. Lect. — *Quo teste probavit* Tiberius crimen ? — Non Tiberius, sed *delator*, quicumque sit. Is enim qui hic alterum interrogat, nescit Sejanum a Tiberio accusatum fuisse. Ed. — Abrupta oratio et tam brevitas quam multitudo interrogationum curiositati et affectui sciscitantis plebis consentanea est.

Var. 71. *Nihil*, 73. — *Horum est*, 15.

Nor. 71. *Nil horum.... Capreis*, videntur esse verba vel occultorum Sejani amicorum, vel civium prudentiorum, eorumque qui rem omnem probe cognitam habebant. Responsio cujusdam e plebe, forsan amici Sejani ; Ach. — *Nil horum* factum est et cognitum, quæ in judicio capitali fieri ac cognosci et solent et debent. *Verbosa* tantum *et grandis epistola* Tiberii *venit*, in qua is multa de aliis rebus, et pauca de Sejano, nihil vero aperte de damnatione ejus scripserat, veritus ne ita tumultus concitaretur. Nervus Sertorius Macro, qui a Tiberio in locum Sejani, præfecti prætorio, substitutus, et cum his literis ad senatum missus erat, veram Imperatoris mentem ac voluntatem clam declaraverat. Vid. Suet. Tib. c. 65, et Dio, LVIII, 4—8. — *Capreæ* (hod. *Capri*) insula ad sinum Neapolit. et Sirenum scopulos, ex adverso Surrenti, ubi villa fuit Jovis et arx Tiberii, qui, relicto Romæ Sejano, secesserat eo, ut libidinibus [1] indulgeret.

[1] Conf. vs. 93 ; Plin. III, 6 ; Strab. I, p. 15 ; V, p. 171 ; VI, p. 178 ; Tac. Ann. IV, 67 ; Suet. Tib. c. 40, 43, et 65 ; Cluver. Ital. ant. IV, pag. 1168 ; Heyne ad Apollod. pag. 312, et Exc. VIII, ad Virg. Æneid. VII, 733 seq.

— Hunc Juvenalis locum laudat nostras *Boileau*, *Art poétique*, *chant II* :

»Soit que sur un écrit arrivé de Caprée,
«Il brise de Séjan la statue adorée, etc.» Ed.

Var. 72. Henninius comma post *bene* posuit, ut hæc vox simpl. posita sit, quemadmodum apud Apuleium, in Apoll. (*Bene*, *quod integras epistolas matris Pontianus asservavit* : *bene*, *quod vos festinatio judicii antevertit*, et *habet* absolute pro *periit*. Est quidem hoc *habet* nota formula, inpr. gladiatorum, de vulnere inflicto. Vid. Cerda ad Virg. Æneid. XII, 296, et Macrob. Sat. II, 21. Sed *habere* non simpl. pro *perire* ponitur, neque hoc loco satis convenit. Vide Comm.

Not. 72 seq. *Bene habet.... Remi*, verba ejus, qui causam condemnationis cognoscere cupiebat. *Bene* se *habet* res, καλῶς ἔχει, jam omnem rem teneo ac probo, germ. *wohl! gut!* Formula gratulantis sibi aut aliis de bono rei eventu, vel rem probantis et contenti, ut apud Cicer. Mur. 6; Liv. VIII, 6 al. Conf. Gruteri Inscript. pag. 339; Barth. ad Stat. Theb. XI, 557; XII, 338; Passerat. ad Propert. IV, 11, 97. Egregie de homine, curioso quidem, sed veram sententiam metu tyranni occultante; ut et illa *nil plus interrogo*, quorum sensus est : hæc damnationis causa satis mihi idonea videtur ac proba; vel, nolo curiosius scrutari consilia factaque Imperatoris, quod nefas est. Sic *nil ultra quæro plebeius* ap. Hor. Sat. II, 3, 188, ubi vid. Bentl. — *Sed quid* facit, vel fecit, vel sentit *turba Remi*, plebs Romana, a Romulo et Remo oriunda.[1] *Remus* vel Romuli frater, vel potius alius quisquam, a quo urbem fuisse dictam fama tradiderat. Conf. Plutarch. in Romulo pr. Vulp. ad Prop. II, 1, 23; IV, 1, 9, et Kœnig. ad Pers. I, 73. *Turba Remi* contemptim dicitur, fæx populi, eaque in factiones divisa, ut *mobilium turba Quiritium* apud Horat. Od. I, 1, 7. Conf. Var. Lect.

Anal. 73—81. Præclare adumbratur ingenium et indoles plebis, vel fæcis potius Romanæ, qualis sub Imperatoribus, et jam inde a bellis civilibus fuit, et primum quidem vs. 73—76, animi levitas et inconstantia, deinde vs. 77—81, ignavia et servilis animus plebis, quæ libertatem ac jura pristina sibi omnia eripi patienter fert, et duas tantum res anxie optat, *panem et Circenses* ludos. Conf. ad vs. 65.

Var. 73. *Turba Remi*, 17, 31 a. Cod. Put. et Pith. 70, 75, 76, 81, 82. *Turba tremens* (amici Sejani, vel populus pavens et ignavus), 10—12, 14—17 ad marg. 18—21, 23 a m. pr. 24—27, 45—50, 54—69, 71—74. XXXIII Codd. Paris. forte et vet. Schol. cujus glossa ad vs. 81 est : Iterum sibi loquitur populus pavens. *Remi* est vividius ac magis satiricum; Ach. *Turba fremens* (in



[1] Sic *Remi plebs*, *terra*, *regna*, *domus*, *nepotes*, *culmina*, *signa*, apud Martial. X, 76, 4; Catull. LVIII, 5; Stat. Sylv. II, 7, 60; Prop. IV, 6 80. Ἄστυ Ῥέμοιο in Diodori Epigram. Anthol. lib. I.

gratiam Tiberii, ne Sejano favisse videatur), 22, 24 a m. sec. 32. *Turba Remens*, 83, prob. Heins. ad Ovid. Fast. III, 131, qui Romanos putabat dici *Remenses* a *Remo*, ut *Rhamnes* vel *Rhamnenses* (Horat. Art. Poet. 342; Liv. I, 13) a *Romulo*, *Titos*, vel *Titienses* (Liv. loc. laud. et Pers. I, 20) a *Tito Tatio*.

Not. 73. *Sequitur Fortunam* secundam (conf. Bentl. ad Horat. Od. I, 35, 22), favor ejus eodem, quo Fortuna, se inclinat, atque cum fortuna mutatur, et stat, vel cadit; unde *turba mobilium Quiritium*, et *ventosæ plebis suffragia* apud Horat. Od. I, 1, 7, et Epist. I, 19, 37. Conf. Horat. Od. I, 35, 25 sequent. Cicer. ad Herenn. IV, 17, 48 similiaque loca Ovidii aliorumque.

Var. 74. *Nursia* revocata a nobis ex 2, 4, 9, 10, 14—22, 24—27, 45—48, 50, 58, 64, et plerisque MSS. Paris. Ita quoque in aliquot Codd. Liv. VII, 3, et Tertull. Apol. c. 23 et 24, legitur. *Nurscia* edd. Farnab. Prat. et meliores libri (nescio qui), teste ac prob. Lips. ad Tac. Ann. IV, 1. *Norcia*, 66, 67. *Nortia*, 56, 59—63, 65, 68, 69, 71—74, et optimæ edd. Livii loc. laud. quibus favet vetus inscriptio apud Steph. Forcatulum in Gallorum Philos. pag. 514. Sed *Nortia* Sutrinorum potius Dea apud Tertull. loc. laud. non Volsiniensium, popularium Sejani. *Nyrtia*, 1, 77. Vetus Scholion est: « Fortunam vult intelligi poeta, quæ apud *Nyrtiam* colitur, unde fuit Sejanus. » *Nurtia*, 23, 70, 75, 76, 81, 82. *Murcia*, 31 b. 55. *Murtia*, 49, 54, 57. *Mursia*, 5, 11. *Nersia*, apud Tertull. loc. laud. in quibusdam libris.

Not. 74 seq. Eadem plebs, si Fortuna adspirasset Sejani cœptis, *et secura senectus Principis*, hoc est, Tiberius, senio jam confectus, (vid. ad IV, 39 et 81) et nihil tale ab amico imperiique consorte metuens, *oppressus foret* a Sejano regnandi cupido (non morte), *hac ipsa hora*, qua Tiberius occisus esset, *Sejanum diceret Augustum*, creasset, vel salutasset Imperatorem. Præclare sic levitas vulgi notatur. (Conf. Salmas. Exerc. Plin. pag. 328.) — Malim intelligere *hac ipsa hora*, qua nunc loquor, qua Sejanum probris incessit, et corpus ejus omni contumeliarum genere dilacerat: sic res pulchrius opponuntur. Ed. — *Nursia*, Etruscorum et Volsiniensium dea. Vide Liv. VII, 3, et Tertull. Apolog. c. 24. (*Asculanorum dea Ancaria*, *Volsiniensium Nursia*, *Ocriculanorum Valentia*, *Sutrinorum Nortia.*) Conf. Var. Lect. — *Tusco*, Sejano, alumno suo, genito Volsiniis seu Vulsiniis (vide Tac. Ann. IV, 1), quod Etruriæ oppidum est, et hodie *Bolsena* dicitur.

Var. 76. *Ac* pro *hac*, 14, 16, 17, 19, 24, 25, 47, 49, 50, 54, 57, 58. — *Ipsum*, 22.

Var. 78. *Effugit curas*, 6, 7, 10—12, 17—27, 29, 45—50, 54—63, 65—69, 71—74.

Not. 77—78. Populus Romanus, jam dudum et otio, et jugo imperioque Cæsarum adsuetus, ac pristinæ libertatis immemor, hujus recupe-

randæ occasionem, interfecto Tiberio, non arripuisset.—*Ex quo suffragia nulli candidato vendimus*, σαρκαστικῶς pro, ex quo suffragia comitiaque nobis adempta sunt: nam suffragia olim venalia plerumque erant; unde tot leges de ambitu latæ.[1] — *Jam pridem*, jam inde a Julii Cæsaris temporibus, qui comitia cum populo partitus est. Ejus institutum reduxit Augustus, et ambitum multiplici pœna coercuit. Tiberius autem, animis Romanorum fractis jam, et servitio adsuetis, comitia prorsus e Campo in curiam transtulit, neque ea exinde populo reddita sunt.[2] — *Curas*, omnem curam reipublicæ administrandæ, creandorum inprimis magistratuum legumque sciscendarum, *effudit*, dimisit; quod εἰρωνικῶς dictum est, quasi otii amore ac sponte, vel adeo libenter, sua jura Cæsari et Imperatoribus concesserit.[3] — Hæc verba in mentem reducunt viri facundia et acumine præstantis responsum ad quemdam, qui Gallici populi vim et ἐνέργειαν nuper elatius jactabat: *Il y a long-temps que le peuple souverain a donné sa démission.* Ed.

Not. 79. *Imperium* summum, et quidem tam civile, *fasces* (dictaturas, consulatus, præturas), quam militare, *legiones*. Vox *omnia* separatim capienda.[4]

Not. 80. *Continet se*, modeste coercet cupiditates suas, nihil amplius cupit, quam *panem et Circenses ludos*, quos tamen *anxius*, anxie, cupide, optat: contentus est, dummodo et facilem habeat victum, et voluptatem. Confer Tacit. Annal. I, 2. — *Panem*, sportulas et congiaria vel tesseras largitionesque frumentarias; vide ad VII, 174.[5] — *Circenses*, vide ad III, 223.

Var. 81. *Pan*, 11, 14—25, 45, 46, 49, 55. Valla τὸ πᾶν irrisorie, vel *Pan* pro *Pana* dictum putabat. *Pana*, 2, 3, 5, 18 a m. sec. 50, 61—64, 66—68, 71—74, et multi Codd. Paris. probb. Britann. et Pulm. ut intelligantur Lupercales ludi in honorem Panos acti. *Panem*, 4, 31 b. Cod. Put. et Thuan. 1. *Panum*, 27. *Pannum*, 30, 32, 47, 48, 54, 56—60, 65, 69, et quidam

[1] Conf. Lucan. I, 178; Petron. de Mutat. reipubl. Rom. vs. 39 seq. ibique Wernsdorf. in Poet. Latin. min. tom. III, pag. 31, 32.

[2] Vide Casaub. ad Sueton. in Cæs. 19, 41, et in Aug. 40; Tacit. Ann. I, 15, ibique Excurs. Lips.

[3] Similiter *effundere curam sui*, *verecundiam* et *odium* dixere Sen. de Ira, II, 35, in Epist. II, et Cicer. ad Divin. I, 9, § 54. Confer Vernsdorf. Poet. Lat. min. tom. IV, pag. 340.

[4] Vide Burm. ad Sulpic. Satir. vs. 38, lib. et ad Phædr. IV, 23, 5.

[5] *Panis* etiam civibus pro frumento datus, sed forte non ante imperium Trajani (vide Lips. Elect. I, 8): nisi hujus rei auctor potius Hadrianus fuit, quod probabile fit ex ejus edicto apud Cujac. Obss. XXI, 6. Inde Plathnerus colligebat, hanc satiram sub Hadriano scriptam esse. Sed *panis* etiam hoc loco de frumento accipi potest et forsan debet, quia effinguntur sermones plebis eo tempore viventis, quo Sejanus periit.

Codd. Paris. probb. Mancin. Ascens. et Calder. Ita designaretur insana ludorum Circensium spectandorum cupiditas, qua Romani ardebant. Conf. quæ de *panno* dicemus infra ad XI, 496, in Comm. Sed male sic synonyma, *pannus* et *Circenses*, jungerentur hoc loco, ubi sermo est de populo, *duas res* præ reliquis optante. Nostra lectio aptior et venustior est ceteris, et hæ ex compendio scripturæ ortæ.

Nor. 81 sqq. Responsio aliorum civium, quorum animus servilis, et metus tyranni egregie declarantur. *Multos* Sejani amicos, vel suspectos certe de amicitia ejus.[1]

Nor. 82. Verba *Nil dubium*, *magna est fornacula*, tribui etiam possunt aliis civibus respondentibus.—*Magna est fornacula*, in qua Sejanus ardet, et quæ magnam hominum multitudinem capit. Conf. vs. 61 seq.[2] Poeta autem ludit antithetis *magna* et *fornacula;* Lub. et Ach. — *Pallidulus*, metu mortis. Lepide ponitur diminutiv.

Var. 83. *Bruttidius*, 20. *Butridius*, 45. *Buttidius*, 17 a m. pr. — *Ad Martis fugit ocyus aram*, in ea præsidium inventurus, conj. *Dorléans*.

Nor. 83. *Brutidius* Niger, Ædilis, rhetor et historicus, de quo vide Tac. Ann. III, 66, et Senec. Suasor. VII. *Meus* amicus. Schol. in Cod. Alex. est : « *Brutidius* amicus Sejani, cum illo interfici jussus; et est vox populi : *obvius fuit mihi Brutidius*, quum duceretur ad mortem. » *Ad aram Martis* forte Ultoris, cujus ædes fuit in foro Augusti, vid. Suet. Aug. 29. In vicis atque foris aræ erant exstructæ sine templis, ut *ara maxima* Herculi dicata ; Ach.

Nor. 84, 85. *Quam*, quantopere, *metuo*,[3] ne Tiberius, *male* se et majestatem suam a senatu et civibus *defensam* ratus et arguens, ira furens *pœnas* de iis *exigat*, æque ac *Ajax*, Telamonis filius, qui, quum in judicio super armis Achillis habito, *victus* esset eloquentia Ulyssis ac *male defensus* a Græcis, testibus virtutis suæ (vide ad VII, 115), ex dolore et ira in rabiem versus, gladio et flagello in pecudes irruit, ratus se in plebem ac principes Græcorum sævire : de quo vid. Sophoclis Αἴας μαστιγοφόρος, et infra ad XIV, 286. Præclara comparatio Tiberii, qui post interitum Sejani, immanis belluæ hominisque furibundi instar, in omne civium genus crudelissime sæviit (vide Suet. Tib. cap. 61 et 62), cum Ajace furente. Forte etiam satiricus poeta respexit tum stultam ignaviam, tum innocentiam Romanorum, quos insectatus est tyrannus, tanquam *pecora* essent, non homines.[4] — Vetus Schol. sic explicat τὸ *victus* : « Si

---

[1] Vid. Dio Cass. LVIII, 7, 8, et Suet. Tib. c. 61.

[2] Alii exponunt : ira imperatoris incensa est et æstuat. Britannicus : magnum est incendium, hoc est, res maximi excidii et furoris moventur.

[3] Vide Heins. ad Ovidii Metamor. VIII, 64.

[4] Minime certe mihi probanda videtur vulgaris interpretatio : Quam ti-

scierit se a nobis fuisse contemptum.» *Male defensus* sibi videri poterat Tiberius, quum nefaria meditantem Sejanum, ipse accusasset, non vero Senatus, qui tamen principis saluti invigilare debebat. Ed.

Var. 85. *Ut* pro *et* 24.

Anal. 85—88. Præclara imago plebis servilis, quæ sequitur Fortunam, et temporum illorum, quibus servi etiam delatores dominorum erant.

Not. 86. *Dum jacet in ripa* Tiberis, antequam in fluvium projiciatur. Cf. ad vs. 66. — *Cæsaris hostem,* Sejanum occisum, *calcemus* pedibus; quod contemptus, odii et insultationis signum est, ut λὰξ ἐν στήθεσι βαίνων ap. Homer. Il. ν, 618; ἐχθροῖσιν ἐπεμβῆναι ποδὶ, vel θανόντι προσεμβῆναι ap. Sophocl. in Electra et Ajace; unde πατεῖν pro καταφρονεῖν.[1]

Not. 87. *Sed videant servi* nostri, *ne quis* eorum *neget,* nos id fecisse, et nos accuset, vel deferat tanquam Sejani amicos. Ἤρκει γὰρ μόνον πρὸς κατηγορίαν τινὸς τὸ τοῦ Σειανοῦ φίλων ἢ γενέσθαι ἢ δόξαι, Xiphil. in Tiber. «Decreta accusatoribus præcipua præmia, nonnunquam et testibus: nemini delatorum fides abrogata: omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumque verborum;» Suet. Tib. 61. Servorum adversus dominos testimonium etsi non alias, tamen in crimine majestatis valebat. Vide Tac. Ann. II, 28, pr. leg. *famosi* D. ad L. Jul. majest. et lib. 6, 7. *Vix certis* D. de judiciis. Olim servis, qui dominum, res novas molientem, detulissent, libertas præmii loco dabatur. Ad hanc vero consequendam criminis quoque confictio sufficiebat regnante Tiberio aliove tyranno, v. c. Domitiano, unde Nerva edicto servos crimen in dominos deferre vetuit, de quo vid. Dio, LXVIII, pag. 769, et Bach. Trajanus, pag. 73 seq.

Var. 88. *Astricta*, 10, 14—24, 27, 46—50, 54—56, 59—65, 68, 69, 71—74.

Not. 88. Notum est, iis, qui in jus vocati non irent, manus laqueosque injici, eosque vi, *obstricta*, constricta laqueis, *cervice* seu collo obtorto *in jus trahi,* vel rapi potuisse.

---

meo, ne Brutidius aliique cives, *victi* a delatoribus in judicio vel damnati ac *male defensi*, propter iniquitatem judicum, *pœnas*, ab imperatore metuendas, de se ipsi *exigant*, vel (ut Plathnerus, male coll. vs. 187 et 313, aliisque locis) sustineant, perferant, ad exitum et effectum agant, hoc est, mortem sibi consciscant (quod multos fecisse tradit Suet. Tib. c. 61), exemplo Ajacis, qui *victus* ab Ulysse postremo pectus sibi gladio transfixit. Sic non bene hæc verba cum iis, quæ sequuntur, cohærent; et quam duræ, ne quid gravius dicam, sunt explicationes formularum *exigere pœnas* (qua nemo usus est illo sensu), et *ut male defensus!*

[1] Verb. causs. apud Anacr. XLVI, 6: Σοφίη, τρόπος πατεῖται, et apud Aristoph. Equit. vs. 596: Βουλὴν πατήσεις καὶ στρατηγοὺς κλαστάσεις.

Var. 90. *Haberi tantumdem* (hoc est, tanti æstimari, in tanto honore esse) non male 21 a m. sec. aliique Codd. teste ac prob. Heins. ad Ovid. Trist. I, 9, 44. Notiones tamen honoris vel potentiæ et divitiarum bene hoc loco junguntur, et illa, non hæc, reliquis continetur verbis.

Not. 90. Quæ quum ita sint, quis optabit eosdem honores habere, quos habuit Sejanus, et eadem pati, quæ ille passus est? — *Salutari*, coli: nam clientes patronis officia præstare vel honorem habere solebant salutando, occurrendo, sectando, deducendo, etc. — *Habere tantumdem*, scilicet divitiarum et potentiæ. Conf. Var. Lect.

Var. 91. *Ulli*, 14, 17, 22. — *Summas*, 1, 70, 75, 76, et quidam Codd. Paris. *Sellas donare curules*, 10—12, 14—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et omnes fere Codd. Paris. haud dubie e glossa. Hanc tamen lect. revocavit Ach.

Not. 91. *Illi*, huic, alteri. *Curulis* sella primum fuit regum, deinde magistratuum majorum, puta consulum, censorum, prætorum et ædilium curulium. Hinc *summæ curules*, scilicet sellæ, vel summi curules honores et magistratus sunt consulatus, ut *major curulis*, apud Stat. Silv. I, 4, 82.

Not. 92. *Tutor*, defensor et vicarius *Principis* et imperii: nam Tiberius, quum *Capreas* secessisset, imperium Sejano tradiderat. Conf. ad vs. 71. Sed *tutor Principis* hoc loco dici videtur per ludibrium Tiberii, qui ad Sejani arbitrium nutumque se totum fingebat, et pupilli instar in ejus tutelam venerat, vel sponte se tradiderat. — *Rupe Caprearum*, nam Tiberius « Capreas se contulit, præcipue delectatus insula, quod uno parvoque litore adiretur, septa undique præruptis immensæ altitudinis rupibus et profundo maris; » Suet. Tib. c. 40. De *Capreis* vid. ad vs. 72. — *Sedentis*, præclare; non tam regni sedem quasi habentis, quam consumentis otium et quidem tam segne (nam *sedere*, ἧσθαι et καθῆσθαι de ignavo otio et obscura vita sæpe adhibentur, de quo vide Klotz. ad Tyrt. pag. 143), quam diuturnum (per septem vero annos usque ad vitæ finem Tiberius Capreis commoratus est), forte et turpissimum, quum in ganeis, popinis et lupanaribus ventri libidinique indulgeret sedens: nam poeta simul innuisse videtur, quod memorat Suet. Tib. cap. 43: « Secessu Capreensi etiam sellariam excogitavit sedem arcanarum libidinum, etc. » Confer intpp. Mart. V, 71, 3. — *Angusta in rupe*, vide Var. Lect.

Var. 93. *Augusta*, 1, 10, 21—27, 54, 56, 62, 64, 69—76, 82, et quidam Codd. Paris. hoc est, quæ sedes quasi regni fuit, a Roma illuc translati; vel imperatoria ac sancta (vide Ovid. Fast. I, 609 seq.) et venerabili, quoniam principis fuit secessus. Sed hæc notio jam exprimitur verbis *principis sedentis*, et venustius mordaciusque est epitheton *angusta*, quod restitui ex 11, 14—20, 45—50, 55, 57—61, 63, 65—68, 77, et optimis MSS. Paris. probb. Scalig. ad Manil. p. m. 42; Voss. Etymolog. pag. 30; Lindenbr. et Ach. Finge tibi imperatorem Romanum et Augustum, in parva ac petrosa insula *sedentem*. Conf. Comm.

VAR. 94. *Vis ducere pila* emend. Scioppius Verisim. IV, 10. *Vis certæ pila cohortis* (hoc est, primipilatum), 60, 65. prob. Mancin. Neutra lectio vulgatæ præferenda videtur. Hæc vero verba cum affirmantis, tum interrogantis esse possunt.

NOT. 94. *Cum grege Chaldæo*, cum mathematicis : nam ὁ Τιβέριος ἐμπειρότατος τῆς διὰ τῶν ἄστρων μαντικῆς ἦν, Dio LVIII. Conf. Sueton. Tiber. cap. 14 et 69. — *Vis certe*, optasne saltem? cuperes certe imperium militare. — *Pila*, pilos et quidem primos centurionum pilos, hoc est, primipilatus : qui militiæ gradus et altus erat, et valde quæstuosus; vide ad XIV, 197. Vulgo *pila* dicuntur tela Romanorum propria, tam majora (quorum et lignum et ferrum tricubitale erat) quam minora.[1] — *Cohortes* puto hoc loco dici tribunatus militum. Vide ad I, 58.

NOT. 95. *Egregios Equites*, munus et dignitatem *Equitum illustrium* et *laticlaviorum*. Ita sub imperatoribus, quorum temporibus tribunatus erat militia equestris, dicebantur tribuni militum, qui, clara equestri familia geniti, censum habebant senatorium, et hinc lato clavo utebantur. Vid. ad VII, 89.[2] — *Castra domestica*, prætoria, a Sejano constituta, qui dispersas per urbem cohortes prætorianas una in castra (ad ipsam urbem, juxta portam Viminalem, posita, de quo vide ad VIII, 43) conducendo vim præfecturæ intendit.[3] *Castra* autem hoc loco pro munere eorum, qui illis præsunt, hoc est, pro præfectura prætorii.

NOT. 96, 97, Summam potestatem etiam ii, qui nolunt ea abuti, habere cupiunt optantque, ut magis colantur, aut certe timeantur.

VAR. 97. *Tantum*, 10, 11, 14—17, 19, 20, 22—24, 27, 45, 59, 60, 64, 65, 69, et plerique Codd. Paris. non improb. Schurzfl. ut dicat poeta : quænam usque adeo bona sunt, ut non mala habeant admixta? Eodem sensu interpp. tantum non omnes vulgatam quoque lectionem ceperunt. Ita vero mox *ut non* dicendum erat, non *ut*. Hanc difficultatem sensisse videtur Lubinus, qui emendabat *Ut* (hoc est, quum) *rebus lætis par est mensura laborum*. Præstiterit : *Quam rebus lætis par sit mensura malorum*, vel *quæ præclara et prospera tanta* (sunt), *Ut rebus lætis par sit mensura malorum*, ut iis tantum mali, nec potius plus junctum sit?

NOT. 97, 98. *Sed quæ*, quænam, *præclara et prospera tanti* æstimanda sunt, ut ea exoptes, *ut*, hoc est, quamvis, *rebus lætis par sit mensura malorum*, non minus mali atque infortunii admistum sit. Confer Varias Lectiones.

---

[1] Vid. Lips. Mil. Rom. III, 4, et nos, ad Sil. IV, 550, vol. I, p. 266. ED.

[2] Interpretes hoc loco vel tacent, vel *egregios equites* existimant vocari prætorianos, ad custodiam imperatoris selectos : quo potius *castra domestica* spectant.

[3] Confer. Taciti Annales, lib. IV, cap. 2; Sueton. Tiber. cap. 37; Dio et Xiphil.

Not. 99. *Hujus* Sejani, *qui trahitur* unco; vid. ad vs. 66. — *Prætextam*, summos honores et magistratus, qui cum maximo periculo solent esse conjuncti. Vide ad I, 78, et Ferrar. R. V. II, 3, qui monet, præfectos prætorio in prætexta fuisse, licet jus clavi non habuerint.

Not. 100. *Fidenarum Gabiorumque*, minorum oppidorum municipiorumque Latii. Vide ad VI, 56, 57, et conf. Horat. Epist. I, 11, 7 seq. *Potestas*, magistratus (ut apud Cic. Tusc. I, 30; Suet. Cæs. cap. 17, et Claud. 23). — *Esse*, hoc est, honoribus fungi, qui minores quidem sunt, sed securi et a magno periculo tuti.

Var. 101. *Mensuris*, 11. — *Uis* pro *ius* (*jus*), 10, 15, 18, 19, 27, 45—49, 54—60, 65, facili errore.

Var. 102. *Vacuisque*, 11, 17, 18, 20, non improb. Schurzfleisch. modo *pannosis* reponatur.

Not. 101, 102. *Ædiles* municipiorum et coloniarum, quod vel ex hoc loco probabile fit, similes Ædilibus plebis Romanorum et infimi erant magistratus (conf. III, 162), qui et præerant *mensuris* ac ponderibus, quæ, si *minora*, iniqua essent, ab iis *frangebantur*.[1] Ad dignitatem per se parvam quam maxime minuendam valet delectus oppiduli, quod *vacuum* incolis, seu male habitatum (non plane desertum, nam Ædilem habuit), et cujus Ædilis hinc *pannosus* est, hoc est, pannis vestitus. — *Ulubræ*, tenue oppidum Latii vel Campaniæ in agro Pontino, juxta paludes. Cf. Horat. Epist. I, 11, 30. — *Vacuis*, vide ad III, 2.

Not. 103. Ex his intelligitur, Sejanum, æque ac maximam hominum partem (vs. 2 seq.), ignorasse, quæ vera sint bona et hinc exoptanda.

Not. 105—107. Sejanus ad altissimos adscendebat honoris gradus, et ita graviorem sibi casum ruinamque parabat, similis ei, qui, modicis ædibus non contentus, turrim multorum tabulatorum exstruit, *unde altior est casus et immane præceps*, præcipitium, *ruinæ* (dat.) ad casum et violenter *impulsæ*, hoc est, unde superiores turris partes magna cum vi ruere vel decidere possint. Conf. Horat. Od. II, 10, 9 seq. Claudian. in Rufin. I, 21 seq. ubi Kœnig comparavit verba Luciani (Contempl. 14, pag. 510, tom. I, edit. Reitz.) ἐν τοσούτῳ δὲ ἐπαίρεσθεν, ὡς ἂν ἀφ' ὑψηλοτέρου ἀλγεινότερον καταπεσούμενοι.

Not. 108 seq. Conf. ad vs. 56 seq. et Senec. Epist. 94. *Crassos*, M. Licinium Crassum cum P. Crasso filio interemptum in bello Parthico, quod gloriæ aurique Parthici cupiditate incensus moverat.[2] — *Pompeios*,

[1] Vide Casaub. ad Pers. I, 130, et Wernsdorf. Poet. Latin. min. tom. V, pag. 609.

[2] Vide Appiani Historiam Parthorum, cap. 22—65, nec non Plutarchum in Crassi Vita.

Cn. Pompeium Magnum, duosque filios, Cnæum et Sextum.[1] Crassi vero et Pompeii quales et quanti fuerint viri, vel tironibus notum est.[2]

Not. 109. Non Sylla designatur, neque Augustus[3] (nam neutrum *evertit* nimiæ potentiæ cupiditas) nedum Cinna, sed Jul. Cæs. qui viginti tribus in senatu confossus vulneribus periit, postquam *Quirites domitos deduxerat ad sua flagra*, hoc est, in servitutem quasi redegerat, oppresseratque dominatu. Hæc notio graviter ita et præclare expressa est : nam liberæ reipublicæ temporibus servos tantum, non cives Romanos virgis, nedum flagellis, cædere fas erat. Conf. VI, 479 seq.

Not. 110. *Summus nempe locus petitus,* immoderata honorum regnandique cupiditas, scil. eos evertit. — *Nulla non arte,* omni arte ac modo, per fas ac nefas.

Not. 111. Conf. vs. 7 et 8. *Magna vota,* quibus magna fortuna, res magnæ expetuntur. — *Numinibus malignis,* quæ specie indulgendi nocent et faciunt compotes malorum, quæ dant imprudenter roganti, quo pereat; quæ sunt verba Gron. Obss. III, 15 ; Senec. Epist. 60 : « Eo, inquit, vota inimiciora, quo cessere felicius : inde maligni dii, qui nos exaudierunt, ut, quum ad summa erecti, in profundum detruderent. » — Eamdem sententiam expressit magnus *Racine, Phèdre,* act. V, sc. 3 :

« Craignez, Seigneur, craignez que le ciel rigoureux
« Ne vous haïsse assez pour exaucer vos vœux.
« Souvent dans sa colère il reçoit nos victimes :
« Ses présens sont souvent la peine de nos crimes. » Ed.

Var. 112. *Ac vulnere,* 16, 24. *Sine cæde et sanguine* (ἀναιμωτὶ, apud Homer. et Oppian.) 77 ; Serv. ad Virg. et Joh. Salisbur. in Policratico, II, 15, probb. Schurzfl. et Heins. ad Claudian. in Cos. I ; Stilic. II, 19, qui *vulnus* pro glossemate habebant. Sed *sanguis* potius interpretamentum *vulneris* aut certe *cædis* esse videtur (nam *cædes* et φόνος sæpe pro sanguine et αἵματι ponuntur), et Servius permulta veterum scriptorum loca memoriter laudavit.

Not. 112. *Ad generum Cereris,* ad Plutonem, qui Proserpinam, Cereris filiam, rapuit, hoc est, ad inferos, *descendunt,* moriuntur. — *Reges,* vide ad I, 136. — *Morte sicca,* vet. Schol. recte : « incruenta, ac per hoc naturali, morte sua. » (αὐτομάτῳ θανάτῳ.) *Ferrum Marte cruentum, siccum pace,* dixit Claudian. XXII, 16, ubi vid. Kœnig.

Var. 114. *Ac famam* pro *aut famam*, quod minus aptum auribusque



[1] De quorum morte vide Appian. Bell. civ. II, 81—86, 104 sq. V, 142 sq.

[2] Perierunt etiam alii et Crassi et Pompeii in bello civili ; vide Appian. loc. cit. lib. I, c. 56, 63, 72 ; lib. V, 70. Ad hos tamen poeta non respexit.

[3] Fuere enim qui putarent, menti poetæ obversatum esse somnium Ciceronis de Jove flagellum tradente Augusto puero. Vide Suet. Aug. c. 94.

hoc loco ingratum est, restitui ex 10, 14—27, 45—50, 54—63, 65—69, 71—73, et plerisque MSS. Paris. — *Ac Ciceronis*, 19.

Anal. 114—132. Alii votis summam expetunt eloquentiam, quæ perniciosa fuit multis; quod probatur exemplis *Demosthenis* et *Ciceronis*, summorum oratorum.

Not. 115. *Quinquatrus* majores (nam et minores vel minusculæ erant, quæ idibus Jun. celebrabantur) dies festi, ab omnis generis artificibus artiumque studiosis in honorem *Minervæ*, præsidis artium, acti et sic dicti, quod vel quinque diebus continuis, vel a die quinto post Idus Martias (XIV cal. Apr.) agitabantur. Vid. Ovid. Fast. III, 809 seq. VI, 651 seq. intpp. Gell. II, 21, et Suet. Dom. 4; Charisius, 1. «*Quinquatrus* a *quinquando*, id est, lustrando, quod eo die arma Ancilia lustrari sint solita.» His Quinquatribus discipuli feriabantur (Horat. Epist. II, 2, 197), novique discipuli stipem (*minerval*) solvebant magistris, qui exiguum hoc munus *Minervæ* dedicare solebant. (Vid. Heinsius ad Ovid. Fast. III, 829.) Hinc discipulum, *qui adhuc uno asse partam*, emptam, *colit Minervam*, dici puto tirunculum, qui præceptoribus non nisi semel illam dedit mercedem, adeoque elementa adhuc artium discit. Plathueri nota est: Discipuli ab *asse* denominati, ut, qui prima juris elementa discebant, *dupondii* olim vocabantur, quod scilicet nullius pretii essent, de quo vide Justin. Orat. de method. Jur. doc. § 2, et Cujac. Observ. XII extr. Conf. Var. Lect.

Var. 116. *Parcam.... Minervam* (qua puer parce adhuc imbutus est) ingeniose conj. Heins. ad Ovid. Fast. III, 829; coll. Virg. Æneid. VIII, 409, ibique Servio, qui simili sensu *Minervam tenuem, rudem, pinguem, crassamque* dixere. Sed poeta etiam bene dixit junxitque *adhuc uno asse partam* Minervam, primam artium cognitionem institutione unius anni partam.

Not. 117. *Quem* puerulum, ad scholam euntem, *sequitur vernula, custos capsæ*, servus, *capsarius*, qui libros fert in capsa seu cistula; vid. intpp. Suet. Ner. 36; Pignori de Servis, pag. 119; Ulpian. l. si collectaneus, D. de Manumiss. vindicta, et Böttigeri Sabin. pag. 71 et 88. Ab eo differunt *pædagogi* (*Paggio, pagen*) de quibus vide Böttiger. loc. laud. pag. 302. Epitheton *angustæ* et diminut. *vernula* ad infantiam discipuli designandam spectant.

Var. 118. *Perit;* vide supra ad vs. 11.

Not. 118. *Eloquio*, eloquentia, qua Demosthenes adversus Antipatrum et Macedonas, Cicero adversus *M. Antonium* triumvirum (vs. 123) usus est, *uterque periit*, ille hausto veneno, hic manu C. Popilii tribun. mil. Vide Plut. vit. utriusque et Quintil. Declam. CCLXIX.

Not. 119. Conf. vs. 9, 10, et ad III, 74.

Not. 120. *Ingenio* facete pro, Ciceroni, viro tanti ingenii, vel propter ingenium.

Not. 120, 121. Ciceronis *manus*, quæ Philippicas scripserat (vel dextra vel utraque, de quo vide Senec. Suasor. VII et Wernsd. Poet. Lat. min. tom. IV, pag. 222), et *cervix*, caput, jussu Antonii, a Popilio, quem ipse olim in causa capitis defenderat, abscisa et affixa *Rostris*, e quibus orationes illæ erant dictæ. Hæc facta non essent, si Cicero *pusillus*, vilis, *causidicus*, nec tantus fuisset orator.

Anal. 122—126. Facete exprimitur hæc sententia, quæ et vera et acuta est: Cicero non ita periisset, si tam malus orator fuisset, quam malus poeta fuit.

Not. 122. Lepide et apte inseritur notissimus hic Ciceronis versus, quo de oppressa a se Catilinæ conjuratione ipse gloriabatur. Hunc versum merito propter κακοφωνίαν, ut et omnem Ciceronis poesin Virgiliique prosam, irriserunt etiam Senec. Declam. III; Quintil. IX, 4, 4; XI, 1; Senec. de Ira, III, 37; Diomed. II, et alii.[1] *Natam*, simpl. expono factam.[2] — Alludebat ad nomen *patris patriæ*, quod ipsi senatus decreverat. Ed.

Var. 123. *Pocuit gladios*, 49.

Not. 123. Poeta transtulit et sic perstrinxit verba Ciceronis, Phil. II, 46: « Contempsi Catilinæ gladios, non pertimescam tuos. » Conf. ad Tac. Ann. II, 34, 6, et intpp. Horat. Epod. IV, 16. — *Potuit*, potuisset. Sc., tam male, incondite, inepte.

Var. 124. *O jam dixisset*, 11. Hinc *Trojam* pro *Omnia* conj. Schurzfl. ut innuat poeta, ideo Antonium Ciceroni fuisse infensum, quod ejus eloquio Roma sit tuta reddita ac fortunata. Sed idem recte monet, verbis suis non inconsultius fidem esse habendam, quum Ciceronis *poemata ridenda* mox dicantur.

Not. 124—126. *Ridenda poemata* scripsisse *malo*, quam *divinam* illam orationem *Philippicam*, *quæ proxima a prima*, post primam, *volvitur*, sequitur, legitur, hoc est, quæ secunda est. Hac oratione Cicero omnia Antonii flagitia commemorat, et acerrime eum insectatur, unde hæc ei præcipua mortis causa fuit. Notum autem est (vel ex ipso Cic. ad Att. II, 1) eum orationes XIV in Antonium non *Antonianas*, sed *Philippicas* inscripsisse, tanquam argumento et libertate dicendi similes Philippicis, a Demosthene in Philippum, regem Macedonum, habitis.

[1] Male eum defendere conabatur Turneb. Adv. VII, 19, putans, veteres in deliciis habuisse iterationem earumdem syllabarum, et posteritatem, multis in rebus ineptias lascivientem ludentemque, perperam fastidire, quæ de industria, ut venusta, affectaverint antiqui.

[2] Henninius: « maximo periculo elapsam, meis auspiciis conjurationi Catilinariæ exemptam; quemadmodum *cælo mitti*, *ex orco redire*, *nasci*, etc. dicebantur res, quæ desperatæ pæne, nihilominus ceu quadam ἀποκαταστάσει felicem sortiebantur eventum. »

Nor. 126. *Illum*, Demosthenem, qui, ne Antipatro traderetur, venenum hausit.

Nor. 127. *Exitus*, finis scilicet vitæ, ut apud Lucret. III, 1099.

Nor. 128. Præclara et justa laus Demosthenis. *Torrentem*, vide ad III, 74.—*Moderantem frena theatri*, Athenienses in concionibus, quo volebat, flectentem : metaphora frequens, petita ab equis, qui frenis vel habenis flectuntur. — *Theatrum* autem passim concio pópuli dicitur, quoniam ibi consultare Græcis mos erat.[1]

Nor. 129 seq. Fortuna adversa ita tulit, ut clarissimus orator evaderet Demosthenes, qui multo felicior fuisset, si patris frequentasset officinam, non scholas rhetorum; si faber ærarius fuisset, non orator. *Diis adversis* (ut alibi *iratis*) *genitus fatoque sinistro*, ut apud Pers. IV, 27, et Horat. Sat. II, 3, 8, 123; II, 7, 14.

Nor. 130 seq. Conf. XIII, 44, 45, ibique not. *Pater* Demosthenis fuit faber ærarius, vel, ut Plutarchus (in Vita Demosth. Opp. tom. I, p. 847. Cf. edit. Francof.) tradit, ἦν μὲν τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν ἀνδρῶν, ὡς ἱστορεῖ Θεόπομπος· ἐπεκαλεῖτο δὲ Μαχαιροποιὸς, ἐργαστήριον ἔχων μέγα καὶ δούλους τεχνίτας τοῦτο πράττοντας. Eidem tamen si fides habenda, mortuo demum patre filius ad rhetorem a matre missus est. Idem tradunt Valer. Max. III, 4, ext. 2, et Sidon. II, 23 et 188. — *Lippus fuligine ardentis massæ;* nam « opifices, per quorum manus sterile terræ genus et informe perpurgatur, multa fuligine oblinuntur, » ut utar verbis Sen. Epist. 94.

Var. 131. *Forcipibus* (quasi *foricipibus*, Heransnehmer, Zangen, Pelicane) recte omnes, quos vidi, libri, non *forficibus*, quod passim substituitur. Vid. Heins. ad Ovid. Metam. VI, 556, ad Virgil. Æneid. VIII, 453; XII, 404; Oudend. ad Suet. Aug. 75, et Böttiger. in Sabina, pag. 267, 268, ed. pr.

Nor. 131. Ab officina ferraria ad scholas rhetorum pater filium misit, ut hic animum non ad artem quam ipse tractabat, sed ad studium eloquentiæ appelleret.

Var. 132. *In luteo*, 68. *Luto*, 64, 73, ex emend. Britann. et al. ut sit idem quod *luteo*, prima syll. longa, et sic metro consulatur. At vide Comment. *Tuto Vulcano* conj. Jacobs coll. Claudian. in Eutrop. II, 456 seq. quia *tutam* artem, quæque nihil minaretur periculi, exercuerit Demosthenis pater, et contra filius, *tuto Vulcano* relicto, ad rhetorem missus, arte illa, unde sibi petierit gloriam, misere perierit. Quidam male colori *luteo* attribuunt hanc vocem, quam auroræ

[1] Vide Ernesti clav. Cic. Lipsium ad Tacit. Hist. II, 80, et Harles. ad Corn. Nep. Timol. c. 4. Hinc et Sidon. lib. XXIII, 136 seq. « Qui Pandioniam movebat arte Orator caveam tumultuosus, Seu luscum raperetur in Philippum, Causam seu Ctesiphontis actitaret, Vir semper popularitate crescens, Et juste residens in arce fandi. »

Virgilius: hic agitur de fumosa et squalida crassitie, quæ velut *lutum*, *la boue*, vultus inquinat. Ed.

Not. 132. *Vulcano*, fabro ærario (nam poeta ad officinam Vulcani in Lemno vel Lipara ins. respexisse videtur), *luteo*, fuligine obsito, atro, squalido, deformi: fabrorum enim vultus manusque fumo ac fuligine squalere et nigrari solent. Conf. vs. 130 et XIII, 45.[1] — *Ad rhetora* Isæum, non Isocratem, *misit*, ob paupertatem, ad quam et fraude et negligentia tutorum redactus erat. Vide Plut. loc. cit. pag. 847, 848.

Anal. 133—187. Alii adspirant ad rei militaris gloriam, quæ cupiditas tum summis imperatoribus, v. c. Alexandro et Hannibali, tum patriæ exitiosa fuit. Singula vero δεινῶς expressa.

Var. 133. *Trophæis*, 17—19, 21—27, 45—50, 54—67, ut et nostri poetæ vulgo *Trophäen* dicunt. Sed τρόπαιον, vel τροπαῖον dicitur monumentum τῆς τῶν ἐχθρῶν τροπῆς, conversionis, hoc est, fugæ hostium, quod victoriæ significandæ causa in ipso pugnæ loco erigebatur, a τροπὴ et τροπάω.

Not. 133, 134. Tropæum designatur, vel *bellorum exuviæ*, seu spolia e tropæis suspensa; et vs. 135 seq. triumphus, vel spolia hostium in triumpho ducta, et quidem prælio tam terrestri, quam navali capta. Ad tropæa non referri possunt hoc loco omnia, certe non *arcus*. *Tropæa* (vide Var. Lect.) dicuntur *trunca*, a prisca eorum forma: nam detruncatis arboribus, vel earum truncis spolia victorum hostium affigebantur.[2]

Var. 134. *Bucula*, 11, 21, 22.

Not. 134. *Buccula*, περιγναθὶς, lamina flexilis, *de casside pendens* eique affixa ad malas utrasque, quæ *buccas* auresque tegebat, et vinculis constringebatur sub mento vel loris, quæ Suidæ ὀχεῖς vocantur: unde Sidonius, III, Epist. 3, pag. 64, « Alii, dicit, de concavo tibi cassidis exituro flexilium laminarum vincula diffibulant. »[3]

---

[1] Alii exponunt: igne coloris lutei. Sed *lutum*, si prima syllaba, ut hoc loco, corripitur, est ideo quod cœnum, seu limus; si producitur, est herba flavi coloris, qua tingitur. De ea vid. Broukhus. et Heyne ad Tibull. I, 8, 52; Heyne et Voss. ad Virg. Eclog. IV, c. 44; Harduin. ad Plin. XXXIII, 5, seu 26, et interpp. Gell. II, 26.

[2] Vid. Heyn. ad Virg. Æneid. XI, 6 seq. Ernesti clav. Cic. et ad Sueton. Cæs. 11; Potteri Archæol. Gr. III, 12.

[3] Vide ad Sil. lib. XIV, 158, 163, et Schlichtegroll. in *Abbildungen Ægypt. griech. und roem. Gottheiten*, P. III, p. 135, ubi et ab his bucculis non diversa fuisse existimat φάλαρα; quæ tamen laminæ potius, vel scutula erant levigata (unde φάλαρα a φαλὸς, splendidus), sæpe tria vel quatuor (unde τρυφάλεια, vel τριφάλεια et τετραφάληρον), quæ variis galeæ partibus, desuper et utrinque, nec nisi ornatus causa affigebantur. Confer ad XI, 103. *Jen Allg. Lit. Zeit.* ann. 1796,

Not. 135. *Jugum*, currus bellicus. *Curtum*, decurtatum, mutilatum, avulsum, carens *temone*. Conf. ad III, 270.

Var. 136. *Applustre*, 10. *Amplustre*, 64. *Amplustre*, 16, 24, 25, 27, 45—48, 58, 60, 65, ut in quibusdam Codd. Sil. X, 324, et al. Festus: « Aplustria, inquit, navium ornamenta, quæ, quia erant amplius, quam erant necessaria usui, etiam amplustria dicebantur. » — *Aplustra* forte 1. Vetus Scholion est: « *Aplustra*, tabulatum ad decorandam superficiem navis appositum: alii dicunt rostra navis, ornamentum puppis, ἄφλαστα. » — *Summa tristis captivus in arce*, 6.

Not. 136. *Aplustre*, seu aplustrum, ἄφλαστον, seu ἄπλαστον, ornamentum puppis, tabulatum, in quo post diætam erigebatur baculus (στηλίς), e quo pendebat velum (hoc est, linteum seu fascia, ταινία, *Flagge*), quo motus venti indicabatur.[1] — *In arcu* triumphali, qui primum lateritius, mox lapide quadrato et demum marmoreus fuit, et quidem in superiori ejus parte erant spatia quædam, in quibus cum victoribus currus erant ære expressi, et sub pedibus ducum *captivi* habitu *tristi*; Grang. coll. Prudent. adv. Symm. II:

Frustra igitur currus summo miramur in arcu
Quadrijuges, stantesque duces in curribus altis,
Fabricios, Curios, hinc Drusos, inde Camillos,
Sub pedibusque ducum captivos poplite flexo
Ad juga depressos manibusque in terga retortis.

Poeta autem respexit forte obiterque perstrinxit ridiculam ambitionem Domitiani, qui, ut verbis Suet. c. 13, utar, « Janos arcusque, cum quadrigis et insignibus triumphorum, per regiones Urbis tantos ac tot exstruxit, ut cuidam græce inscriptum sit, ΑΡΚΕΙ. »

Var. 137. *Ad hæc* (scil. bona) revocavi ex 22, 24 a m. sec. 25, 27, 46—50, 54—69, 71—74, et tribus MSS. Paris. *Ad hos*, 11, 12, 16, 21 a m. sec. 23, 24 a m. pr. 45. *Et huc*, 77. *Ad hoc*, 1, 10, 14, 17—21 a m. pr. 70, 74, 75, 82, et XXXII Codd. Paris. quos secutus est Ach. Vet. scholion est: « *Ad hoc*, id est, non propter virtutem posse volunt, sed propter famam et gloriam: cujus causa etiam imperium adsumptum est. »

Not. 137. Hæc *creduntur* esse *bona humanis majora*, summa ac veluti divina. *Ad hæc* bona eorum spem *se erexit*, animum intendit, adspiravit, *endoperator*, imperator (vide ad IV, 29), *Romanus*, ut Marius, Sylla, Crassus, Pompeius, Cæsar et alii. — *Graius*, verb. caus. Pausanias,

N. 105, p. 6; Lennep. Etym. p. 1044; Intpp. Hesych. tom. II, c. 1492, 29, et Sil. Ital. XIV, 158, 163; Kœppen. et Heyn. ad Hom. Iliad. ι, 743; Lips. Mil. Rom. III, 5.

[1] Vide ad Sil. lib. X, cap. 324, et Böttigeri Archæol. Mus. Fasc. lib. I, pag. 23. — Confer quoque Crammeri notam ad hunc locum, pag. 397. Ed.

Lysander, Alexander, Perseus, et al. — *Barbarus*, Hannibal, Antiochus, Xerxes, Jugurtha, Mithridates, et al.

VAR. 138. *Et* pro *ac*, 10, 14—18, 20—22, 24, 45. *Seu* pro *ac*, 12, 23. *Endoperator* scripsi pro *induperator*. Vide supra ad IV, 29.

NOT. 139. Cupiditas gloriæ causa fuit, cur tot pericula adirent et labores.

NOT. 140. *Sitis* et *fames* pro cupiditate, ut *auri fames*, apud Virgil. Æneid. III, vs. 57. ED.

NOT. 141, 142. Nemo facile virtuti studet, quoniam per se pulchra est, et propter rei bene actæ conscientiam, sed ob spem gloriæ et emolumenti. Conf. Ovid. ex Ponto, II, 3, 7—18, al. *Obruit* multis magnisque malis, afflixit, oppressit, in perniciem traxit. Vide ad Liv. VI, 14, 6.

NOT. 143. *Gloria paucorum*, verbi causa Marii, Syllæ, Pompeii, Cæsaris, Crassi, Antonii, Octaviani. — *Cupido tituli*, inscriptionis, in saxis tumulorum vel sepulcrorum, in quibus mortuorum *cineres* et ossa, urnis inclusa, condebantur. Vide Kirchm. de Fun. Rom. III, 8, et de *titulo* supra ad VI, 230.

NOT. 144. *Hæsuri saxis*, inhæsuri sepulcro, quo memoriam suam rerumque a se gestarum diu conservatum iri sperant: unde sepulcra etiam *memoriæ* et *monimenta* vocantur. Quæ spes quam vana sit, et quam sæpe eos fallat, ostenditur vs. 145, 146, quibus docet poeta, stultam esse ambitionem hominum, qui gloriam affectent sempiternam eamque se adepturos putent ex titulis sepulcrorum, qui tamen cum ipsis sepulcris aut vetustate, aut alia quamvis levissima re deleri possint. *Ad quæ* saxa *discutienda*, dissolvenda, *valent*, jam sufficiunt, *robora sterilis ficus*, hoc est, caprificus, cujus ea natura est, ut in commissuris saxorum innata erumpat, eaque scindere ac disjicere possit; unde *mala*, improba, noxia.[1] — *Robora*, vires, *ficus*; vel simpl. ficus.

VAR. 145. *Fici*, 10, 21, 64. Nil interest.

NOT. 146. Conf. Prop. III, 2, 19 seq. *Fata*, interitus, ut *mors*, apud Prop. loc. laud. et Auson.

. . . . Monimenta fatiscunt,
Mors etiam saxis nominibusque venit.

— *Sepulcris*, etiam marmoreis, et mausoleis. — Sic apud Lucan. lib. IX, vs. 969: *etiam periere ruinæ*. ED.

NOT. 147 seq. *Expende Hannibalem*, ejus ambitionem et fata, vel potius pende libra seu lance ejus cineres: *quot libras in duce summo*, quam



[1] Conf. Prop. IV, 5, 74; Plin. X, 2, 9; Horat. Epod. V, 17; Pers. XVI, 19; Isidor. XVII, 6; Martial. I, 24, ubi vide Casaub.

parvi ponderis cineres et reliquias tanti ducis *invenies?* (ὁ πᾶσι μακαρτὸς, φεῦ, τόσσης γαίης ὅσσον ἔχει μόριον; Leonid. Epigr. LXIX, 6, in Brunck. Anal. tom. I, pag. 238. Confer Prop. II, 7, 51; IV, 11, 14; Ovid. Met. XII, 615, 616; Plin. II, 68) et tamen *hic est* ille, cujus animus tantus erat, ut imperio Africæ non contentus esset; augusta urna nunc eum capit, quem, quum viveret, non capiebat Africa; et quidem tanta orbis terrarum pars, quæ a *Mauro*, Africano, *Oceano*, ab Atlantico mari (ut apud Horat. Od. II, 6, 3), hoc est, ab Occidente, ad *Nilum*, fluvium Ægypti, patet. (Nam Ægyptus a Geographis veteribus, vel tota, vel magna ex parte, Asiæ, a Strabone autem I, pag. 60 seq. Arabico sinu inter Asiam Africamque termino constituto, Africæ adjungitur, et ad orientem, ut Mauritania ad occidentem extremum Africæ sita est).

Not. 148. *Quem non capit Africa*, etc. ut apud Claudian. in Rufin. II, 155: « Non orbita solis, Non illum natura capit. » Conf. infra vs. 168 seq. — *Percussa*; vide mox Var. Lection. *admota*, propinqua. — *Nilo tepenti*; vide ad VI, 527.

Var. 149. *Perfusa* (irrigata, ut apud Plin. IV, 12; V, 29 al.), 24, 25, 27, 44—49, 54—69, 71—74, 77, et Cod. Putean. Nostra lectio præferenda videtur, magis tamen in epico poeta, quam in satirico. — *Percussa Oceano* est ejus fluctibus pulsata, seu verberata. — Distinctionem majorem posui post *elephantos*, non post *tepenti*, ut hic quoque versus ad superiora et ambitum finesque Africæ referatur. Henninius et alii hunc versum connectunt cum seqq. ut sensus sit: Æthiopiæ et *elephantis*, hoc est, Mauretaniæ, seu Africæ *rursus*, adhuc, *additur*, adjungitur Hispania. Sed non bene sic Africa designatur, et vox imperiis additur. *Versus* pro *rursus* conj. H. Vales. hoc sensu: ad Æthiopiam versus, aut adversus Æthiopiam et terram elephantorum. Ego olim suspicabar legendum esse *prorsus*, plane. Sed vide Comment. — *Aliosque elephantos* exhibent, 10, 14—27, 45—50, 54—74, ut epitheton ad diversitatem vel terrarum Libyæ, in quibus elephanti sint, vel elephantorum in Mauretania et Æthiopia, seu Æthiopia occidentali et orientali, vel ipsorum Æthiopum spectet. De hac vide Comm. eamque significari putabant Grangæus, Rigalt. et alii, ut *alii* propr. non *elephanti* sint, sed Æthiopes. Confer Stat. Theb. X, 85. Multo probabilior videtur emendatio Plathneri, qui *albosque* conjiciebat coll. verbis Ptolemæi: *Juxta Libyam magna Æthiopum regio, in qua elephanti, albi omnes, et rhinocerotes, et tigres sunt.* Elephanti vulgares sunt fere cinerei (*grau*), rariores rubri, seu rufi, et rarissimi candidi; unde in regnis *Pegu* et *Siam* de solo titulo *regis candidi elephanti* cruenta olim bella orta esse memorat *M. le Blanc* in Itinerar. Hac emendatione recepta totus hic versus ad Æthiopiam denotandam pertinet. Sed in Æthiopia *omnes* elephantos fuisse candidos, quis sibi persuaderi patiatur? Et *albi* apud Ptolem. sunt forsan *cani*, seu cinerei. Aptiores quoque hoc loco sunt *alti elephanti*. Vide Comm. quæ Ill. Jacobs hæc adnotavit: « Legendum *Furvos Æthiopum ad populos* (vide ad XII, 104) *albosque elephantos Additur imperiis Hispania.* Elephantum genus Æthiopiæ finibus pro-

primum requiri, jam intellexit Plathnerus, et Ptolemæus in Æthiopia elephantos *albos omnes* tradidit, an ex rei veritate, necne, nihil ad rem.»

VAR. 150. *Elephantes*, 22.

NOT. 149, 150. *Africa*, ab oriente, *admota* est *Nilo*, *rursus*, deinde, *ad Æthiopum populos* supra Ægyptum, usque ad sinum arabicum (a quibus diversi sunt Æthiopes hesperii seu occidentales et Atlantici, in interiore Africa, ad occidentem et mare Atlanticum), et ad *altos elephantos*, hoc est, ad Indiam, in qua maximi sunt elephanti,[1] et ad quam Indiam veteres poetæ et geographi Æthiopiam quoque, Arabiam partemque Ægypti referunt.[2] Nota Ach. est : *Africa Mauro percussa Oceano* est occidua ejus pars, *Nilo admota* orientalis, *ad Æthiopum populos* interior. Interpretatio autem Heineckii ceteris forte præferenda : «Ne Africa quidem sufficiebat Hannibali, quamvis maxima sit : nam adluitur oceano Mauro, extenditur usque ad Nilum, *rursus*, prætereaque, ad Æthiopiam, ubi magni elephanti sunt, ut apud Manil. IV, 667 :

Et vastos elephantes habet sævosque leones,

quamquam Bentleius hunc versum spurium esse judicat : nescio, quam vere. Similis locus est Manil. IV, 596—602, quem Juvenali ante oculos fuisse puto :

Ipsa natat tellus pelagi lustrata corona,
Cingentis medium liquidis amplexibus orbem,
Inque sinus pontum recipit, qui vespere ab atro
Admissus dextra Numidas Libyamque calentem
Alluit et magnæ quondam Carthaginis arces;
Litoraque in Syrtes revocans sinuata vadosas
Rursum usque ad Nilum directis fluctibus exit.

Apud Manilium quidem voci *rursum* adjectum est verbum *exit*, et apud Nostrum desideratur verbum. Sed ex verbo *admota* assumendum est *extensa*. Talia non inusitata. Conf. Periz. ad Sanct. IV, 8. Tum desideratur copula, ut sæpe.» Conf. ad XII, 76.

VAR. 151. *Hesperia*, 21.

NOT. 151. *Additur imperiis*, regno Pœnorum, *Hispania*, cujus pars Hannibalis expugnata est armis. *Imperiis*, vasto Africæ imperio; Ach. Sed neque Hannibal, neque Pœni magnam Africæ partem expugnarunt. — *Pyrenæum* montem, quo Hispania a Gallia dirimitur, *transilit*, Hannibal celeriter ex Hispania in Gallias victor transiit : nam verbum *trans*-

[1] Vide Polyb. V, 84; Appian. Syr. 31; Plin. VIII, 11 : «Elephantos fert Africa ultra Syrticas solitudines et in Mauritania : ferunt Æthiopes et Troglodytæ; sed maximos India.»

[2] Interpretes *altos elephantos*, vel ad Mauritaniam, vel ad Æthiopiam, vel ad totam Libyam referunt, et sive lectionem, sive distinctionem mutant.

silire velocitatem transitus significat. Ceterum hæc ex Liv. XXI, 5—23, notissima.

VAR. 152. *Apposuit*, 16.

NOT. 152 seq. E Galliis Hannibal victricia arma in Italiam transtulit. Præclare difficultas transitus Alpium adumbratur. Similem notionem, sed minus sublimi gravitate, expressit Horat. Od. I, 3, 21 seq.

Nequidquam Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impiæ
Non tangenda rates transiliunt vada.

Locum vero nostrum imitatus est Rutil. Itin. II, 33 seq.

Excubiis Latii prætexuit (*Deus*) Apenninum
Claustraque montanis vix adeunda viis.
Invidiam timuit natura parumque putavit
Arctois Alpes opposuisse minis, etc.

Tempora etiam præs. *Transsilit*, *diducit*, *rumpit*, *tenet*, *tendit*, ad sublimitatem augendam valent. *Natura* quidem ipsa itineri Hannibalis *opposuisse* videbatur insuperabiles difficultates, *Alpem*, montem altissimum inviumque exercitibus, unde Plinius in Procem. lib. XXXVI, *in portento*, dicit, *prope majores habuisse Alpes ab Hannibale* (primum tamen a Gallis, de quibus vide Liv. V, 34, et XXI, 30, unde fabulam de Herculis, a Gallis culti, transitu natam suspicabatur Lefeb. ad Sil. XI, 217), *exsuperatas et postea a Cimbris;* præterea *nivem* mollem et præaltam, qua omnia erant oppleta, de qua vide Liv. XXI, 35—37; Sil. III, 518 seq. *Alpem* poet. sing. pro plur. ut passim (vide ad Sil. XIII, 741). Quanam vero parte Hannibal Alpes transierit, ne inter antiquos quidem scriptores constitit. Vid. Liv. XXI, 38; Lips. Epist. ad Belgas Cent. I, Epist. 93; Opp. tom. II, pag. 826 seq. et *Folard* ad Polyb. —Cf. quoque excursum quem subjunximus editioni nostræ Livii, tom. IV, pag. 473 et seq. ED.

VAR. 153. *Diducit*, 14, 15, 17—24, 70, 75, 76, et duo MSS. viri docti in Miscell. Obss. Crit. Vol. V. tom. II, pag. 298. In iisdem legitur *rupit*, ut in 18—21, 25, 27, 45—50, 54—69, 71—74. *Diduxit*, 10, 16, 24—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77. *Deducit* quidam, solenni permutatione; vide infra ad XIII, 132, et Misc. Obss. loc. laud.

NOT. 153. *Diducit*, dissolvit, *et rumpit montem*, pervium facit, viam aperit, *aceto:* nam Hannibal struem lignorum ingentem succendit, atque saxa ardentia putrefecit infuso aceto, quod notum ex Liv. XXI, 37, et Appian. Bell. Hannib. cap. 4.[1] — *Rumpere*, perrumpere, *montem*, ut

[1] Conf. Plin. XXIII, 1, et ad Sil. III, 640, in Add. Hæc historia propter silentium Polybii, difficultatem aggerendarum arborum, quæ in superioribus Alpium jugis frustra quæruntur, aliasque rationes in dubium vocata est

rumpere iter, cursum, aditus, quo difficilis simul rei molitio[1] exprimitur.

NOT. 154 seq. Hannibal non contentus, descendisse in Italiam magnamque ejus partem per XVI annos expugnasse, voluit et ipsam Romam, caput orbis terrarum, capere. De irrito consilio Romæ oppugnandæ, vide Liv. XXVI, 7—11. Magna vero in verbis inest vis et sententia tanto duce digna. — *Portas* Romæ.

VAR. 155. *Acti, inquit, nihil est*, 12, 20, 24, aliique Codd. MSS. teste ac prob. Heins. ad Ovid. Ep. Her. VIII, 104. Sed *actum* hoc loco conjungendum cum *est*. Confer ad IX, 88. — *Nil*, 14, 16, 17, 20. — *Ni*, 16, 17, 20, 23, 24, 61—63, 68, 71—73.

VAR. 156. *Suburra*, 18, 24, 27, 45—50, 58, 61—64, 66—59, 71—73. Vide supra ad III, 5.

NOT. 156. *Vexillum* victor ingressus Romam pono in *media Subura*, hoc est, Urbe, ut III, 5, ubi vide not.

ANAL. 157—167. Locus præclarus, magna sententiarum gravitate et affectibus salibusque, rei aptissimis, insignis.

NOT. 157, 158. Deridentur deformitas temeritasque Hannibalis, qui Apenninum transgressus, et propiore, quæ in Etruriam ducit, via per paludem et profundas Arni fluminis voragines *Gætula* (Afra, Libyca) *bellua*, hoc est, elephanto vectus, vigiliis et nocturno humore palustrique cælo gravante caput, et quia medendi nec locus nec tempus erat, altero oculo captus, vel *luscus*, seu unoculus factus est. Vide Liv. XXII, 2; Polyb. III, 79, et Nep. Hannib. c. 4. — *O qualis*, quam ridicula, *facies* Hannibalis lusci, *et quali tabella*, pictura (*caricature*), *digna*, quam digna, quæ pingeretur. — Hunc sensum fere omnes exhibent interpretes, sed cl. *Guyardin* et *Raoul*, hanc Juvenale indignam derisionem judicant, locumque ita intelligunt: « O quam tremenda facies ! quam nobili digna tabella ! » Equidem huic opinioni adsentior, neque cum doct. *Achaintre*, locum video « salibus rei aptissimis refertum. » Non enim ii erant Romani qui clades suas salibus ulciscerentur, et ille qui ad Cannas vicerat, nullo tempore ridendus ipsis visus est. Præterea sensum, quem prætulimus ipsa verba sqq. indicare existimo. Poeta enim, postquam Hannibalis vim et præclare gesta vivide adumbravit, exclamat: « O victorem tremendum ! o dignum, qui omnium oculos in se convertat ! et tamen quis fuit exitus ? » Statimque Hannibali victori opponit Hannibalem victum, et fugientem. Ea sic melius connecti arbitror. ED.

VAR. 158. *Belua* pro *bellua*, 17, 23, 24, 45—48, 59, 60, 64, 65. Vide ad IV, 121.

a Matthiæ in Obss. ad Liv. XXI, pag. 40 seq. sed defensa a Böttigero in Ephem. Brunswic.

1 Conf. ad Sil. I, 54; N. Heins. et Drakenb. ad Sil. XI, 135, et Burm. ad Val. Fl. VI, 139, 140.

VAR. 159. *Ausculta*, pro, *o gloria*, 16.

NOT. 159. *Exitus*, finis tot victoriarum et vitæ Hannibalis. — *O gloria*, quam vana, brevis et fallax! ejusque cupiditas quam stulta ac perniciosa est!

VAR. 160. *Et* abest ab 16, 47, 64. — *Præceps abit*, 4, 7, 14, 15, 17, 18, 20, 22, 25, 27, 46—49, 55—60, 65, et recentt. Codd. Paris. — *Ita* pro *ibi*, 22.

VAR. 161. *Sedit*, 16.

VAR. 162. *Bythino*, 49, 56, 60, 65. *Bithynio*, 50, 64. *Bithinio*, 10, 18—21 a m. pr. 46—48, 58. *Bitineo*, 45. *Bithynico*, 21 a m. sec. *Bythinico*, 25. Vide supra ad VII, 15. — *Jugulare*, 21 a m. sec. 27, 45, 47, 58, 65. Verbum autem *vigilare* non modo satirici poetæ ingenio (vide Comm.), sed historiæ etiam (nam Prusias non jugulavit Hannibalem) multo convenientius est.

NOT. 160 seq. *Vincitur idem*, ipse ille Hannibal, imperator tantus et toties victor, a Scipione (Liv. XXX, 29—37), *et*, accusatus Carthagine a Romanis, *in exsilium præceps fugit* (Liv. XXXIII, 47), et primum ad Antiochum Syriæ (Liv. XXXIII, 48, 49; XXXIV, 60, 61; XXXV, 14, 19; XXXVI, 7, 15), deinde ad Prusiam, *Bithyniæ regem*, profugit (Liv. XXXIX, 51): *atque ibi*, in exsilio, *magnus mirandusque cliens ad regis* Prusiæ *prætoria*, prætorium, hoc est, regiam vel palatium (vide ad I, 75), et in ejus atrio, *sedet*, quovis mane, ut regi, patrono suo, ad ministeria mandataque præsto sit, vel certe officium salutando præstet, præstolans, *donec tyranno*, regi, *libeat*, placeat, *evigilare*, et clienti aditum concedere. Sarcasmi vim facile senties. — Ea expressit feliciter vir clar. *F. Didot*, in nobili fabula, quam inscripsit: *Annibal*, act. III, sc. 8:

« . . . . Dois-je encore une fois,
« Par mes vœux contre Rome épouvantant les rois,
« D'un nom long-temps fameux prostituer la gloire?
« Et, de mes longs travaux leur rappelant l'histoire,
« Aller, vil courtisan, au retour du soleil,
« D'un indolent monarque attendre le réveil? » ED.

NOT. 163. *Finem*, mortem. *Animæ*, homini. *Miscuit* cæde, armis perturbavit.

VAR. 164. *Non tela*, 10, 14—18, 20—27, 45—47, 49, 50, 54—58, 60—69, 71—74.

VAR. 165. *Ac tanti* pro *et tanti* revocavimus ex 25, 27, 45—47, 49, 50, 54, 55, 57, 58, 60—63, 65—69, 71—72, ne copula *et* toties occurrens fastidium creet auribus.

NOT. 165, 166. Annulus fuit *vindex et ultor Cannarum ac tanti sanguinis*, tantæ cædis seu cladis apud Cannas Romanis illatæ, totque annulorum, Romanis ibi equitibus detractorum: nam Hannibal periit hausto veneno, quod sub annuli gemma multo ante præparatum habebat. Conf.

Liv. XXXIX, 51; Plut. Hannib. Opp. tom. I, pag. 380; Victor, Vir. ill. cap. 42. Quidam vero «sub gemmis venena cludunt, sicut Demosthenes, summus Græciæ orator, annulosque mortis gratia habent,» Plin. XXXIII, 1, seu 6.

Var. 166. *A demens* (saltem *ah demens*) 14, 16. *O demens, i, sævas.* etc. 11, prob. Schurzfl. *I, demens! i, sævas,* conj. Burm. ad Anthol. t. I, p. 510, quod impense placet Hein. quodque edidit Ach. cujus nota est: «Ita habent omnes fere Codd. nostri; quidam *O demens et sævas*, et duo *ah demens.*» Mirum et vix credibile, MSS. Paris. hoc tantum loco a meis discrepare. — *Scævas*, 49.

Not. 166, 167. Amara irrisio Hannibalis aliorumque gloriæ militaris nimis cupidorum. — *I, demens;* vide ad VI, 306. — *Sævas*, asperas et nive oppletas.

Var. 167. *Placeas pueris*, 24.

Not. 167. Ut pueris materiam declamationis præbeas in rhetorum scholis.[1] Conf. VII, 161 seq. *Ut declamatio*, hoc est, argumentum declamationis, *fias*, ut aiunt *fabulam fieri*, *sermonem*, *rumorem* et *jocum esse.*[2]

Not. 168 seq. Quam perniciosa sit nimia gloriæ cupiditas, etiam Alexandri Magni, et vs. 173 — 187, Xerxis probatur exemplis. — *Pellæo juveni*, Alexandro Magno ita dicto a *Pella*, Macedoniæ urbe et regia.

Var. 169. *In limine*, 24.

Var. 170 *Chiraræ*, 16. *Giari* et *Gyari*, 10, 53, 80, quod recepit Ach. Recte, opinor. *Gyara* certe non nisi hoc loco dicitur insula, et *Gyari* sup. I, 73, alibi semper Γύαρος, *Gyarus*. Sic Tac. Ann. III, 68, 69; Plin. IV, 12, seu 23; VIII, 29, seu 43, 57, seu 82; Strab. X, pag. 485; Mel. II, 7; Cicer. ad Att. V, 12; Steph. et Suid. Sed nomina oppidorum variant et ita quoque mutanda esset lectio I, 73. — *Parvave* emend. H. Vales. Recte, opinor.

Not. 168—170. Insatiabilis simul et *infelix* gloriæ cupiditas, qua Alexander flagrabat, præclare adumbratur.[3] Non uno orbe contentus

---

[1] Vetus Schol. «Ut de re pueri studentes dicant in scholis, deliberativa: *Hannibal utrum de Alpibus recederet?*» Immo, *Utrum Alpes ei transcendæ fuerint?* — «Si Hannibale ad Alpes constituto, in deliberativa est, utrum recedat ab iis et in patriam revertatur, per se patet deliberandum quoque esse, an potius ulterius pergat et Alpes transcendat. Igitur nihil deest, nec male argumentum expressum videtur.» Hæc Crammerus notat pag. 401. Ed.

[2] Conf. Heins. et Burm. ad Ovidii Am. I, 13, 36; III, 1, 21, et Art. Am. II, 561; Passer. et Vulp. ad Prop. I, 5, 26; Corte ad Plin. Ep. VIII, 18, 11, et supra ad I, in Variis Lectionibus.

[3] Conf. ignoti poetæ carmen in

erat, et *infelix* ille *æstuabat*, angebatur (similes mari in angusto æstuanti, vel homini incluso in arcto loco, qui nulla fere spiramenta habet), in toto terrarum orbe non minus se coarctatum putans, quam si parva clausus esset insula. Conf. vs. 148 seq. Sen. Philos. Ep. 91 et 119; Val. Max. VIII, 14, ext. 2; Plutarc. et Curt. De *Gyara*, vel *Gyaro* (conf. Var. Lect.) et *Seripho*, vide ad I, 73, et VI, 563 seq. — Multi scriptores in Alexandrum invecti sunt, satirici inprimis. Ipse quoque Lucanus Persarum victorem vehementer insectatur, Pharsal. lib. X, vs. 20 sqq. Nostras *Boileau*, Sat. XII, vs. 100 :

«.... Cet écervelé, qui mit l'Asie en cendre;
«Ce fougueux l'Angely, qui, de sang altéré,
«Maître du monde entier s'y trouvait trop serré.
«L'enragé qu'il était, né roi d'une province,
«Qu'il pouvait gouverner en bon et sage prince,
«S'en alla follement, et pensant être dieu,
«Courir comme un bandit qui n'a ni feu ni lieu,
«Et, traînant après soi les horreurs de la guerre,
«De sa vaste folie emplir toute la terre.» ED.

NOT. 171. *Urbem a figulis munitam*, Babylonem, quam Semiramis condidisse muroque e cocto latere cinxisse dicitur.[1] In hac urbe Alexander eadem die, qua Diogenes Corinthi, mortuus est.[2]

NOT. 172. Vetus Schol. «Quem vivum mundus non ceperat, mortuus exiguo loco contentus est.» *Contentus erit* et esse debet. *Sarcophagus* hoc loco sepulcrum vel urna, proprie lapis vocatur, qui circa Assum Troadis urbem fissili vena scinditur, et corpora defunctorum condita in eo, exceptis dentibus, intra XL diem consumit, unde σαρκοφάγος. Ita Plin. II, 96; XXXVI, 17 s. 17, et Diosc. V, 142.[3]

VAR. 173. *Sunt*, 10, 27, 23, 24, 46—48, 58. — *Hominis*, 14, 17, 19.

NOT. 172, 173. *Mors fatetur*, ostendit, indicat, docet (vide ad II, 17), quam pusilla hominum corpora, et quam parvi sint ipsi, qui vivi cupiditates animorum explere nequeant. Conf. vs. 147 seq.

VAR. 175. *Cum stratum*, 27, 46—56, 55, 57, 58, 61—63, 65—69, 71—73.

VAR. 177. Pro *amnes* malim *lacus*, ne eadem res bis exprimatur, et quoniam Herodotus memorat, non fluvios modo quatuor ab exercitu Xerxis siccatos exhaustosque esse, sed *lacum* quoque XXX stadiorum.

---

eum, in Wernsdorf. Poet. Lat. min. tom. III, pag. 421, 422.

[1] Vide Diod. II, 7; III, 4; Herod. I, 178, 179; Justin. I, 2; Curt. V, 1; Ovid. Met. IV, 57 seq. Misc. Obss. vol. III, pag. 435.

[2] Vide Diog. Laert. VI, 2, 11; Plut. Alex. Opp. tom. I, pag. 705—707, ed. Francofurt. Arrian. Exp. Alex. lib. VII; Justin. XII, 13 seq. Senec. Suasor. IV.

[3] Cf. Salmas. Exerc. Plin. p. 1203; Scalig. Exerc. 291, sect. II, et Böttigeri Sabina, pag. 83, 84, ed. pr.

NOT. 174—178. Merito poeta perstringit ridiculas Græcorum fabulas (*portentosa Græcorum mendacia,* dixit Plin. V, 1) de Xerxe, quas, gloriæ suæ amplificandæ causa, commenti sunt. (Conf. XIV, 240). Fabulantur enim Xerxem decies septies centena millia peditum armasse, naviumque habuisse decem μυριάδας; *Athon*, altissimum Macedoniæ montem, a continenti abscissum, perfossum marique immisso *velificatum*, hoc est, classibus transnavigatum (*remige Medo sollicitatus Athos*, apud Claudian. III, 336); *iisdem classibus constratum*, opertum, *mare*, vel viam per mare stratam, *et solidum* totum Hellespontum, constructo navibus ponte junctum vel contabulatum esse, et *subpositum rotis*, curribus, quibus ex Asia in Europam exercitus sit transmissus (conf. Lucret. III, 1042 seq.); *alta flumina* (Scamandrum, Onochonum, Apidanum et Echedorum apud Herodot. VII, 42, 196) *epota defecisse*, cessasse, *prandente* ac bibente *Medo* Persicoque exercitu; *et quæ* alia *cantat*, fingit, comminiscitur (vide ad IV, 35), *Sostratus.* Conf. Herodot. VII, 20 seq. VIII, 1 seq. (qui epotum quoque tradit lacum xxx stadiorum) Diodor. XI, 2—5; Isocr. Panathen.; Æschyl. Pers.; Strab. XIII; Plutarch. Themist. et Aristid. aliosque scriptores.[1]

VAR. 178. *Quæ cantat*, 45.

NOT. 178. *Sostrati* olim fuere varii, v. c. Gnidius architectus (Plin. XXXVI, 12 s. 18; Strab. XVII, 791), chirurgus (Cels. VII, 4, 14), sacerdos Veneris (Tac. Hist. II, 4), Macedo, conjurationis auctor (Curt. VIII, 6), et alii. Quem vero *Sostratum* hoc loco poeta perstringat, parum constat. Vet. Schol. « Sostratus, inquit, poeta fuit, qui Xerxis regis facta descripsit. *Madidis* autem *alis* ideo, quia omnis, qui cum sollicitudine recitat, viri necesse est, ut alæ sudent. Sic Horatius: *Sudor ad imos Manabat talos.* » — *Madidas alas* nonnulli, vet. Schol. prætereunte, ad sudorem recitantium, alii ad furorem poetarum vel vatum, quo concitus et quasi ebrius Sostratus nimis alte volans, veritatem fidemque historiæ excesserit, alii vero ad veram ebrietatem, quæ eumdem produxerit effectum, referunt: nam *madidus* seu *madens* et βεβρεγμένος passim dicitur ebrius. Vide ad XV, 47. Sensus horum verborum planior foret et certior, si constaret, qualis homo fuerit Sostratus, utrum malus declamator, an poeta, an vates, an aretalogus. *Alæ* tamen seu axillæ madidæ cur tribuuntur vatibus furore divino correptis? et cur ebriis? Probabilior est interpretatio Hein. « *Madidæ alæ* sunt, quibus tendere non licet in altos nubium tractus (Horat. Od. IV, 2, 27), quia nimis aqua premuntur, quæ volatum impedit; igiturque Sostratum malum fuisse poetam, certissime colligi posse puto. »

[1] Quos laudant Barth. et Kœnig. ad Claudian. in Rufin. lib. I, 336 seq. lib. II, 120 seq. interpp. Justin. lib. II, 10, et Virgil. Culic. 29 seq. Conf. et Wernsdorf. ad Himer. Or. lib. II, pag. 408.

VAR. 179. *Rediit qualis*, 18.

NOT. 179. *Ille tamen barbarus* rex, Xerxes, *qualis*, quam turpi fuga, *rediit* in regnum suum; *Salamine relicta*, victus ad Salamina a Themistocle (vid. Herodot. VII; Nepos; et Plut. in Themist.): ille stolidus ac superbus rex (*cujus in nomine superbia et impotentia habitat*, Valer. Max. IX, 5 ext. 2), qui antea, quum audivisset, pontem, quo junxisset Hellespontum, tempestate solutum esse, jusserat, *Coro* atque *Euro*, hoc est, ventis, trecenta infligi verbera, et binas in mare injici compedes, glorians, sibi non modo in ventos ac maria, sed in ipsum quoque *Ennosigæum*, Neptunum, *compedibus* a se *vinctum*, imperium esse; vide Herodot. VII, 34, 35; qui tamen in mare Xerxem, non in ventos sæviisse flagellis narrat. Conf. Senec. de Const. Sap. c. 4, et Valer. Max. III, 2, ext. 3.

NOT. 180. *Corum* et *Eurum*, ventos contrarios, bene posuit poeta, tanquam tempestatem excitantes: *Corus* etiam, seu Caurus (ἀργέστης, *Nordwest*), ventus vehementior, unde in tempestatum descriptionibus mentio ejus fieri solet.

VAR. 181. *Hæc*, 25, 27, 46—49, 54, 55, 57—60, 64, 65.

NOT. 181. Facete poeta dicit, ventos a rege suo Æolo non tam male ac crudeliter tractari, quam a fatuo Xerxe: unde etiam *barbarus* hoc loco non tam peregrinus, externus rex (vulgare epitheton Xerxis apud Herodot. Thucyd. et Nepot.), quam rudis, inhumanus, sævus. — *Æoli carcer*, sedes et imperium vel tironibus nota ex Virg. Æn. I, 51 seq. ubi confer Heynii Exc. Hic mythus simul hoc loco rideri videtur, magis tamen stoliditas Xerxis.

NOT. 182. *Ennosigæus*, Ἐννοσίγαιος, vel propr. Ἐνοσίγαιος (nam metri causa litera ν geminatur), hoc est, ὁ ἐνόθων, quatiens, movens (ἔνοσις, κίνησις Hesych.), τὴν γαῖαν, epitheton Neptuni (apud Hom. Iliad. θ, 201), ut Ἐνοσίχθων, ὁ ἐνόθων τὴν χθόνα (Hom. Iliad. θ, 208; λ, 750; υ, 13, 405; Odys. γ, 6). Σεισίχθων, ὁ σείων τὴν χθόνα, et Ἐλελίχθων, ὁ ἐλελίζων τὴν χθόνα (Pind. Pyth. VI, 49), vel ὁ κινητὴρ γᾶς (Pind. Isthm. IV, 32), quæ epitheta Neptuno propterea videntur tributa esse, quod mare in magnis terræ et præcipue regionum maritimarum, quas Græci potissimum incolebant, tremoribus vehementi motu agitatur. [1]

VAR. 183. *Est* pro *et*, 15, 16. Præstiterit: *Mitius id sane, quam quod vel*

[1] Aliam rationem affert Gellius, II, 28: «Quænam esse causa videatur, quamobrem terræ tremores fiant,...... compertum non est; ventorumne vi accidant specus hiatusque terræ subeuntium, an aquarum subter in terram cavis undantium fluctibus pulsibusque, ita uti videntur existimasse antiquissimi Græcorum, qui Neptunum ἐννοσίγαιον καὶ σεισίχθονα appellaverunt.» Conf. Senec. Nat. Quæst. VI, 6—8; Koeppen. ad Homer. Il. VIII, 201, et Hermanni Mythol. t. I, pag. 123; tom. II, pag. 164.

stigmate, aut potius, quod Hein. conjicit, *Mitius id sane*, *quandoque et stigmate dignum Credidit.* His certe conjecturis favet historia; quæ quum librariis ignota esset, hæc verba corrupisse videntur. Conf. Comm.

NOT. 183. Immo audi Herodotum, VII, 35: Ἤδη δὲ ἤκουσα, ὡς καὶ στιγέας ἀπέπεμψε στίξοντας τὸν Ἑλλήσποντον. *Stigmata*, στίγματα, literæ (non una, sed plures, quod probabile fit ex Petron. VI, 8, et Valer. Max. II, 29) (*epigrammata* apud Petron. 103), quæ fronti servorum fugitivorum aliorumque ignominiæ causa inurebantur; vide ad XIV, 24. Lepide autem irridetur vesana Xerxis superbia, saltem ineptiæ Græcorum, qui talia procuderunt mendacia. Cf. ad vs. 174. Eodem spectant verba sqq.

VAR. 184. *Crederet*, 12, 14, 17, 19—21, 23, 24. — *Hinc*, 57, 59. — *Voluit*, 18.

NOT. 184. *Huic*, tam vecordi crudelique domino, *quisquam deorum servire vellet?* Confer verba Xerxis apud Herodot. VII, 35: Ὦ πικρὸν ὕδωρ, δεσπότης τοι δίκην ἐπιτιθεῖ τήνδε, ὅτι μιν ἠδίκησας, etc. Vetus Schol. « Quia pontem mari superposuit, finxerunt illi *servisse Neptunum*, quemadmodum Laomedonti regi Phrygiæ; vel propter Apollinem, quia servivit Admeto. » Præstiterit forte *servire* dictum accipere pro inservire, favere, opem ferre. *Marshall* acrem monet ironiam in hoc loco inesse, si legatur sine interrogatione, ut sensus sit: merito deorum aliquis (non vero *quisquam*) illi serviret tanquam domino clementi, quoniam Neptuno Stigma non inussit. — Versus 183 et 184 parenthesi possunt includi; nec tamen necesse est. Poeta ob nimiam Xerxis vesaniam vel ineptias Græcorum ab his salibus immiscendis non poterat sibi temperare, et nunc demum vs. 185 quæstionem supra vs. 179 propositam repetit.

VAR. 185. *Namque* pro *nempe*, 16.

VAR. 186. *Et*, 11, 16, 22. *At*, 17.

NOT. 185. *Una nave*, piscatoria scapha, *cruentis fluctibus* sanguine suorum a Græcis cæsorum, *ac prora*, nave, *tarda*, tarde, lente progrediente, *per*, propter et super, *densa cadavera*. Conf. Herodot. VIII, 115—119; Justin. II, 13; Nep. Themist. cap. 5, et alii, qui tamen non ea memorant, quæ vs. 186 ad augendam rei fœditatem poeta adjecisse videtur; nisi credideris designari hoc loco *cadavera* Persarum, quos, quum navis Phœnissa, qua Xerxes veheretur, ob nimiam vectorum multitudinem vehementius tempestate jactaretur, rogatu regis in mare desiliisse, fuerunt qui traderent; vide Herodot. VIII, 118, 119.

NOT. 187. *Has* et hujusmodi *pœnas toties*, nimis, *optata gloria*, nimia gloriæ cupiditas, *exigit* a Xerxe, vel potius ἀορίστως, ab ambitiosis exigere solet: sic nimia ambitio punire et affligere solet homines, hoc est, ita homines ambitiosi puniri solent propter stultitiam suam et calamitate affligi, ut Hannibal, Alexander et Xerxes.

VAR. 188. *Da multos*, 16.

ANAL. 188—288. Non minus stulta sunt vota eorum, qui longam sibi exoptant vitam. Senectutis incommoda more suo vivis poeta adumbrat coloribus, forsan tædio confectus, quum ipse ea sentiret. Juvenes comparent Luc. Dial. Mort. VI, 2 (τὸν ὑπέργηρων, ὀδόντας τρεῖς ἔτι λοιποὺς ἔχοντα, μόγις ὁρῶντα, οἰκέταις τέτρασιν ἐπικεκυφότα; κορύζης μὲν τὴν ῥῖνα, λήμης δὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς μεστὸν ὄντα, οὐδὲν ἔτι ἡδὺ εἰδότα, ἔμψυχόν τινα τάφον, ὑπὸ τῶν νέων καταγελώμενον): Maximiani Eleg. I, in Wernsdorf. Poet. Lat. min. tom. VI, pag. 269 seq. Plin. VII, 50, et Horat. Art. Poet. vs. 169 seq. sed et ea, quæ contra disputavit Cicero in Catone majore.

VAR. 189. *Hoc altus cælumque tuens, hoc pallidus optas*, 4, 29, haud dubie ex interpretam. — *Hæc et pallidus optas*, 12. *Tu* pro *et* 20. — *Optat*, 27, 47.

NOT. 189. *Hoc solum*, tanquam summum bonum, *optas* orasque, et *recto*, erecto, *vultu*, *et pallidus*, hoc est, et lætus et tristis, vel et sanus et ægrotus: nam læti ac sani vultum adtollere, tristes et ægroti demittere solent. Possis et exponere: sine et cum pudore ac metu (vide ad VI, 401) quod tamen minus verbo *optare* convenit. Quidam interpretantur: *recto vultu*, aperte, non clam, quia hoc orare non pudet (conf. Pers. II, 8 seq.), *et pallidus* præ nimio tum desiderio, tum metu non obtinendi quod anxius precaris.

NOT. 191 seq. Tristis, sed apta senectutis imago.

NOT. 192. *Dissimilem sui*, non qualis olim fuerat in juventute. Conf. Horat. Od. IV, 10, 2—8. *Pellem deformem*, rugosam, macilentam, exsanguem et asperam, *pro cute*, loco cutis teneræ, vivæ ac nitidæ. *Cutis* juvenibus ac vivis, *pellis* senibus ac mortuis tribuitur; ut illis χρὼς et his δέρμα vel ῥινὸς ab Hom. Od. XIII, 480 seq. et Apollon. II, 200. Conf. Wakef. ad Lucret. VI, 1268 et Mitscherl. ad Horat. Epod. XVII, 22. Plerumque tamen inter illas voces nihil interest. *Pendentes genas*, pendulas, macilentas et flaccentes, quas alii *fluentes buccas* et *malas labentes* dicunt.[1]

VAR. 193. *Et aniles aspice rugas* conj. Heins. prob. Burm. ad Anthol. Lat. tom. I, pag. 516. Non opus, judice Hein.

VAR. 194. *Qualis*, 60. — *Tabraca*, 1, 10—12, 14, 17—21. 25, 26, 27, 45, 47, 49, 50, 54, 55, 58, 61, 62, 63, 65—77, 81, 82. *Trabaca*, 16. *Thabraca*, 56, 59, 60, 65. *Trabraca*, 64. *Tabacra*, 23. *Trabacha*, 15. *Tabrata*, 46, 48, 57. *Tabracha*. Farnab. et al. Conf. Plin. V, 3, ubi eadem fere lectionis varietas est, et in quibusdam libris etiam *Trabracha* et *Tacabracha* legitur. *Tabathra* dicitur Steph. et Θάϐρακα Ptolem. IV, 3. Conf. Bocharti Geogr. Sacr. pag. 519.

[1] Vide interpp. Sueton. August. cap. 99; Gronovium, ad Senecæ Hippolytum, vs. 364, et Ernesti clav. Cic. vid. *fluere*.

Not. 193—195. Festive de rugis senum. Nota quoque sunt Ennii verba apud Cic. Nat. Deor. I, 35:

Simia quam similis, turpissima bestia, nobis?

de quo conf. Plin. VIII, 54 s. 80, et XI, 44 s. 100. — *Tabraca*, urbs maritima Numidiæ, quæ etiam nunc vetus retinuit nomen. Conf. Var. Lect. *ubi pandit Tabraca saltus Umbriferos*, ubi densa se pandit, late patet, silva prope Tabracam, in ora maritima Libyæ; in qua silva Posidonius multas vidit simias, teste Strab. lib. XVII, et Herodot. lib. IV. — *In vetula bucca*: nam genæ etiam simiarum senectute corrugantur.

Var. 197. *Atque iste alio; multo hic robustior illo*, emend. H. Vales. *Multo*, 25, 56, 59, 60, 65.

Not. 196, 197. Juvenes plurimum inter se differunt forma ac robore.

Var. 198. *Labra* pro *membra*, 15, 18, 61, 62, 63, 68, 71—74. *Verba* al. *Membra* ac *verba* sæpe permutari docent Scalig. ad Prop. I, 13, 17, et Schrader. Emendatt. pag. 126.

Not. 198. *Vox*, loquela senum *tremens* et vacillans, ut et membra. Vide Lucian. Dial. Mort. VI, 2.

Var. 199. *Leve*, 17—20. Recte. *Læve* ceteri. Vide ad II, 22.

Not. 199. Sic Lucian. Dial. Mort. IX, 2, dixit γέροντα καὶ φαλακρὸν καὶ λημῶντα προσέτι καὶ κορυζῶντα, et Dial. Mort. VI, 2, κορύζης μὲν τὴν ῥῖνα μεστὸν ὄντα. — *Caput leve*, calvum ac glabrum. — *Madidi infantia nasi* festive dicitur destillatio narium in senectute, ut in infantia, vel nasus, ex quo senibus, æque ac infantibus, abundans defluit humor, et dependet: nam senectus est secunda infantia. Conf. ad vs. 233.

Var. 200. *Miseris*, 12, 14, 15, 16, 45, 47, 54, 64.

Not. 200. *Gingiva inermi*, carente dentibus; quæ sunt arma, a natura homini data. Sic *ora exarmata* dixit Sidon. carmen 13, et epistol. VII, 14.

Var. 201. *Atque*, 60, 65, 77.

Not. 201, 202. Facete poeta dicit, senem decrepitum omnibus, etiam cognatis, et sibi ipsi, molestum esse, et quidem tam molestum et intolerabilem hominem, ut ne Cossus quidem heredipeta eum ferre possit, quum tamen hoc hominum genus senes omni officiorum genere delenire studeat, et vel indignissima ab iis æquo patiatur animo, ut, si non omnem hereditatem, certe partem ejus adipiscatur. De *captatore* vide ad V, 98.

Not. 203. Non eadem voluptas a senibus, quæ a juvenibus, capitur e potu et cibo, quia *palatum* illis *torpet*, sine sensu et sapore est, non sentit suavitatem cibi ac potus. Sic *non sapit palatum*, apud Ciceronem, Fin. II, 8.

Not. 204. *Nam* de Venerea voluptate vix est quod aliquid dicam; jam diu non amplius eam sensit senex, vel, si denuo quoque ea captus conetur coire, ad rem Veneream inhabilis est. — *Si coneris*, senex, coire; nisi malis *si coneris*, quisquis es, cum sene concumbere. Sed vide Var. Lect. — *Jacet*, dependet, non arrigitur. Conf. ad VI, 196; Martial. III, 75, 1 seq. et Jacobs ad Anthol. Gr. tom. II, part. I, pag. 276. — De *ramice* vid. ad VI, 326, et de *nervo* ad IX, 34.

Var. 205. *Conetur* (scil. senex coitum, seu coire), 13, quod et mihi in mentem venit.

Not. 206. Conf. Petron. 20, et Martial. III, 75, 1 seq. XI, 23, 3 seq. 30, 1 seq. 47, 1 seq. XII, 99, 6 seq.

Not. 207. *Inguinis ægri canities*, senectus, debilitas; vel inguen *ægrum* est debile et canum, hoc est, senile aut senis.

Not. 208. *Suspecta libido*, quia fellatorem prodit vel irrumatorem. Conf. vs. 237 seq. Martial. IV, 40, 2, et Suet. Tib. cap. 44.

Not. 209. *Adspice nunc*, expende, respice porro, *damnum*, jacturam, *partis*, sensus, *alterius*, scilicet auditus, cujus voluptate senes carent.

Not. 210. *Nam quæ voluptas* a sene surdo percipitur? *cantante, sit licet eximius citharœdus*, vid. Var. Lect. *Seleucus*, musicus haud dubie eximius, etsi non constat, qualis fuerit; forte nec citharœdus, nec tibicen, a quibus discerni hoc loco videtur.

Var. 211. *Citharœdus sitve Seleucus* restitui ex 10, 11, 12, 14—27, 45—50, 54—69, 71—74, et omnibus fere Codd. Paris. *Citharœdo, sive Seleuco*, 70, 75, 76, 82. Hæc lectio haud dubie substituta ab iis, qui structura verborum offendebantur. Sed *cantante, sit licet eximius citharœdus* docte dicitur pro: *cantante citharœdo, licet sit eximius*. Ita fere mox vs. 253. *Quærit ab omni, Quisquis adest socius*. — *Sive*, 45.

Var. 212. *At*, 45. *Mos est decurrere palla*, 64.

Not. 212. Designantur tibicines, qui æque ac citharœdi histrionum actionem moderabantur et magnifice vestiti prodire solebant. Conf. Cic. ad Herenn. IV, 47; Horat. Art. Poet. vs. 215, et Ferrar. de Re Vest. III, 13.

Not. 213. Si vel proxime canentibus sederit, nihil audiet.

Var. 214. *Exaudiat*, 10, 11, 12, 14, 17—20, 22, 25, 27, 45—50, 54, 55, 57—69, 71, 72, 73, et longe plurimi Codd. Paris. unde illud pro vulg. *exaudiet*, quod tamen et ipsum bene habet, restitui cum Ach.

Not. 214. Vix cornicinum tubicinumque acerrimum audit sonitum. Conf. ad VI, 250.

Not. 215. *Ut auris* senis *sentiat*, audiat, percipiat.

Not. 216. *Pueri* vel servi in forum mitti solebant ad solarium, ut vi-

derent nuntiarentque hero, quota diei *hora* esset: nam nemo facile solarium habebat domi suæ.[1]

VAR. 217. *In corpore alii.* Sed delevi nunc illud *in*, quod abest a 13, 16, 18, 19, 25, 27, 45—50, 55—61, 63—67, 74, 77.

NOT. 217, 218. Conf. Virg. Æn. V, 395, 396; Martial. III, 93, 17; Sen. Epist. 68. Senes sunt exsangues, nec nisi in morbo vel æstu febrili calent.

NOT. 218, 219. Conf. ad VI, 293. *velut agmine facto* (ut *febrium cohors* apud Horat. Od. I, 3, 31) verba Virg. Georg. IV, 167, et Æn. I, 82 (de ventis ruentibus), 434; VIII, 595. Conf. supra III, 162.

VAR. 220. *Hippia.* Vide ad VI, 82.

NOT. 220—226. Festivæ comparationes et ingeniosæ, quibus poeta, velut aliud agens, multos perstringit; sed tam ambitiose etiam exaggeratæ, ut vanæ eruditionis ostentatione et declamatione luxuriante vis satirica infringatur. Poetam tamen defendere conatus est Rigalt. Conf. Sil. VII, 362 seq. Ovid. Trist. V, 2, 23, 28, et similia loca, ut appareat, quomodo poeta satiricus ab aliis differat in exprimenda rerum multitudine. *Promptius expediam*, etc. forma loquendi, ut *citius Scyllam crediderim*, etc. XV, 19 seq. et *citius falsum producere testem possis*, etc. XVI, 32 seq. De *Hippia* vide VI, 82 seq.

VAR. 221. Abest a 22 et 222, 223 ab 25. — *Hyrrus*, 17, 19, 23, 45. *Irus*, 27, 47, 48, 54, 55, 56, 58—60, 64, 65, 77. *Hyrus*, 57. *Yrrus*, 22. *Hirrsus*, 12. *Yrcus*, 24. *Hircus*, 46. Conf. Comm.

NOT. 221. *Themison* Laodicenus Syrus, medicus clarissimus, qui et novam medicinæ condidit sectam; vide Athen. VII, 10; Plin. XXIX, 1 seu 5, ibique Harduin. in Indice Auctorum. Hoc loco, pro quovis medico, a quo *ægros occidi* salse dixit poeta. Sic in Molieri comœdia, *le Malade imaginaire*, novo medicinæ doctori a collegio medico datur potestas *impune occidendi per totam terram*. — *Auctumno*, in quo frequentiores sunt morbi; vide ad IV, 56, et VI, 517. — Hunc locum sic transtulit Nostras *Boileau*, Sat. IV, vs. 31.

« Il compterait plutôt combien, dans un printemps,
« Guénaud et l'antimoine ont fait mourir de gens,
« Et combien la Neveu, devant son mariage,
« A de fois au public vendu son pucelage. » ED.

[1] Vid. Ernesti ad Suet. Dom. 16, inpr. ej. Dissert. de solariis in Opusc. phil. crit. pag. 21—32; intpp. Mart. VIII, 67; Burm. ad Petron. cap. 26, pag. 93; Beckmann. *Beitr. zur Gesch. d. Erfind.* tom. IV, pag. 125, et Boettigeri Sabina, pag. 440, 441, edit. princ.

Not. 222. *Basilus*, advocatus eo tempore, prævaricator; vet. Sch. prob. *Dorléans*, ut poeta *socios* dixerit clientes, quod causidicum comitati sint, vel quod Basilus non modo extraneos, sed et sibi conjunctissimos prævaricatione prodiderit. Utraque tamen ratio dura est. Conf. VII, 145 sq. ubi tamen Basilus laudatur. Alii forte rectius præfectum et spoliatorem provincialium significari putant, coll. Lucan. IV, 415 seq. qui tamen locus parum ad rem facit. Possit etiam designari magister societatis, qui *socios*, publicanos, dolis circumvenerit. — *Hirrus*, tutoris fraudulenti nomen nobis ignotum. Conf. Var. Lect.—*Circumscribere*, ut *circumvenire*, *circumducere* et *circumire* pro decipere, defraudare. Conf. inf. XIV, 237, et XV, 136.

Var. 223. *Absorbeat*, 1, ut supra VI, 126, unde forsan hæc lectio desumpta.

Not. 223. *Exsorbeat viros*, vide ad VI, 126, et IX, 59. — *Longa*, procera. Nota Ach. est: *Longa*, potius pro macilenta, Gall. *efflanquée*, ut expressit *Dusaulx;* nam in feminis vis Venerea eas macilentas eoque longas efficit.

Var. 224. *Hamillus*, 1, 11, 14, 15, 16, 50, 54, 70, 75, 76, 77, 82. *Amilus*, 47. *Amillus*, 10, 17—27, 45, 46, 48, 49, 55—69, 71—74, 81, ut vulgo legitur apud Martial. VII, 61.

Not. 224. De *Maura*, vide VI, 307 seq. — *Hamillus* seu *Amillus* (vide Var. Lect.) corruptor et pædico; vide Martial. VII, 61. — *Inclinet*, ut IX, 26.

Not. 225, 226. Conf. ad I, 24, 25, ubi idem legitur versus. — *Percurram citius*, ut vs. 220 *promptius expediam*, et XIV, 27, *contexere cursu.*

Var. 227. *Cossa*, 25, 27, 46, 48, 49, 56—59. *Ossa*, 47.

Not. 227 seq. Alia recensentur senectutis incommoda. Conf. Senec. Epist. 101. — *Luscis*, unoculis, *invidet*, qui plane cæcus est, tanquam multo felicioribus. Verbum *invidere* apposite hoc loco dici, quoniam proprium id senum sit, monet Lubin.

Var. 229. *Capiunt*, 16, 25, 27, 46, 47, 49, 50, 54—58, 61—69, 71—74, 77. *Digitis accipiunt alienis*, 11, metro adversante. *Digitis capiunt alienis*, recte, opinor, emend. Schurzfl.

Not. 229. Quidam senes alienis digitis uti coguntur, propter chiragram vel paralysin. Conf. Var. Lect.

Var. 230. *Ille*, 22. — *Deducere*, 10—14, 16, 17, 19—24, 45. — *Rictus*, 18, 24.

Not. 230. *Ipse*, quia gulosus est, *suetus rictum diducere*, instar bestiæ voracis, nunc cibum ne sua quidem manu capere potest, ob chiragram, et hinc *hiat tantum, ceu pullus hirundinis*, quem cibat mater, cujus *os plenum*

est cibis et venter *jejunus*. Venustæ comparationes hominis gulosi vel senis, cui non major quam edendi voluptas est, cum bestia voraci et pullis hirundinum. Poetæ animo obversata videntur præclara verba Pluti apud Lucian. in Timone, tom. I, 158, edit. Schmid. Ἐμὲ οἱ ἐπελπίσαντες ἐν τῇ ἀγορᾷ περιμένουσι κεχηνότες, ὥσπερ τὴν χελιδόνα προσπετομένην τετριγότες οἱ νεοττοί, pag. 596, et Homer. Iliad. IX, 323, 324, ubi Eustath. p. 655, 2, laudat versum Achæi tragici:

Χάσκοντα λιμῷ μόσχον ὡς χελιδόνος.

Conf. Huschke Anal. Crit. pag. 100.

Var. 231. *Seu*, 60.

Not. 233 seq. *Omni membrorum* sensuumque *damno major* est *dementia* senum; omnium miserrimum est, quod, præter corporis vires, memoria, ratio et reliquæ animi vires labant atque hebescunt, quod senes iterum desipiunt et repuerascunt. Δὶς παῖδες οἱ γέροντες. Conf. ad vs. 199.

Var. 234. *Cultum*, 45, 47. — *Agnoscat*, 16.

Var. 236. *Educit*, 25, 46—49, 55, 57—60, 64, 65. — *Codice scævo*, 41. Recte, opinor. *Scævum* est idem quod *lævum*, vel sinistrum, adeoque vel triste et infelix, vel ineptum, pravum, perversum, ut hoc loco Plathnerus: « Scripta, inquit, hæc satira sub Hadriano (vide supra ad vs. 80, 81, in Comm.). Jam vero inde a Domitiani sæculo testamentis nihil poterat relinqui probrosis feminis (vide supra ad I, 55 seq. in Comment.). *Codex* igitur (testamentum) deliri senis hoc loco, *scævus*, id est, contra normam legis et perversus dicitur, quemadmodum *scævum dogma* in L. hi qui scævi C. Theodos. tit. de his qui sup. Rell. cont. dicitur, quod contra regulam et canones ecclesiæ introductum est. Porro et illud notes ex verbis *nec illos Quos genuit, quos eduxit*, apud patruos plerumque educatos Romanos: acriores enim morum hi censores. » Confer Ernesti clav. Cic. voc. *patruus*. Non male quidem *sævo* hoc loco legitur, sed minus apte: quod quum non intelligerent librarii, vocem sibi notiorem substituerunt exquisitiori.

Not. 236. *Eduxit*, educavit. — *Nam sævo*, iniquissimo, *codice*, codicillo, testamento, *suos*, proximos cognatos, *vetat esse heredes*, exheredat, per oblivionem, *et bona tota feruntur ad Phialen*, testamento relinquuntur fellatrici, quæ *halitu artificis oris* senem ita delinivit, ut suorum plane oblivisceretur cognatorum, eamque ex asse heredem institueret, immemor simul legis, quæ id vetabat. Conf. Var. Lect. et ad I, 55 seq.

Not. 238. *Halitus artificis oris*, halitus artifex, hoc est, artificiosus, scitus, oris mulieris fellantis. Conf. ad VI, 51, 301 et 306. « Halitus impurus *oris artificis*, quod tum fellatione, tum blandiloquio hereditatem senis captaverat; *quod steterat*, ex eo, quod tamdiu prostiterit. » Schol. *In carcere fornicis*, in angustiis cellis, et *veteri centone fumoque lucernæ fœdis* (conf. VI, 121 seq. et 131), quales solent esse in carceribus, et in lupanaribus.

Anal. 240—288. *Ut*, hoc est., quamvis senes etiam multi corpore et animo vigeant, in longa tamen illa vita multa vident et patiuntur acerbissima, quæ non sensissent, nisi ad summam vixissent senectutem, præmaturam propinquorum mortem, miseramque ipsorum ac patriæ fortunam. — *Ducenda sunt funera natorum* proprie dicitur : nam in funebris pompæ ordine præibant ac *ducebant*, qui sanguine proximi mortuum contingebant; Hennin.

Not. 242. *Sororibus*, cineribus earum.

Var. 244. *Sæpe*, 21.

Var. 245. *Pulla veste*, 77.

Not. 245. *Veste nigra*, pulla, ob luctum.

Anal. 246—255. Quæ modo dixerat poeta, nunc illustrat exemplo Nestoris. Conf. simil. loc. Prop. II, 13, 43—50. *Rex Pylius*, Nestor, rex Pyli in Elide; quem ultra duas hominum ætates, γενεὰς, vixisse tradit *Homerus*, Il. α, 250 seq. non vero CCC annos, quos ei tribuunt recentiores poetæ, quorum errorem ridiculum peperit vox γενεὰ male intellecta.[1] Itaque hoc loco non Homerica, sed vulgaris tantum opinio erat ridenda.

Not. 247. *Vitæ a cornice*, a cornicis vita, *secundæ;* non ei paris, sed proximæ et longissimæ post eam. *Cornici* fabulose ab Hesiodo novem hominum ætates tribui, referunt Plin. VII, 48, et Macrob. VII, 5.[2]

Var. 248. *Quod tot*, 17, 24. *Per tot*, 10, 16, 23, 25, 45—50, 54, 55, 57—60, 64, 65

Not. 248. *Tot*, tria.

Var. 249. *Dextra jam*, 19. *In dextram*, 6, prob. Jun.

Not. 249. *Computat*, numerat (vide ad VI, 199), *jam annos suos dextra :* nam veteres numerabant, computabant, per digitos, et numerum quidem centenario minorem sinistræ, majorem dextræ manus digitis, usque ad ducentesimum, qui a dextra rursum ad sinistram referebatur, ut trecentesimo major, inde iterum ad dextram. Conf. Schneider. ad Eclog. Phys. vol. II, pag. 317—319; Jacobs ad Anthol. Gr. vol. II, part. III, pag. 242, et al.[3]

---

[1] Vide Eustath. et Koeppen. ad Hom. loc. laud. et intpp. Horat. Od. II, 9, 13.

[2] Conf. Harduin. ad Plin. loc. cit. et Mitscherl. ad Hor. Od. IV, 13, 25.

[3] Vide Rhodig. XXIII, 11 seq. Barth. ad Claudian. in Rufin. I, 116; Anthol. Græc. II, 9 (Γραῖα, ἡ φάος ἀθρήσασα ἐλαφου πλέον, ἡ χερὶ λαιᾷ Γῆρας ἀριθμεῖσθαι δεύτερον ἀρξαμένη); Gronov. ad Plaut. Mil. glor. II, 2, 48 seq. Reimarius ad Dion. Cass.

Not. 250. *Novum toties mustum bibit*, tot auctumnos, hoc est, tot annos vixit.

Not. 251. *Quantum queratur de legibus fatorum*, quibus tam longa ipsi vita sit constituta. — *De nimio stamine* Parcarum, hoc est, de vita nimis diuturna. Conf. ad III, 27.

Var. 252. *Quum videt* revocavi ex 14, 15, 17—22, 25, 27, 57, 58, 61, 62, 63, 66, 67, 68, 71, 72, 73, 75, 76. *Quum vidit* al. Sed mox sequitur *quam quærit*.

Not. 252. *Quum videt acris Antilochi barbam*, hoc est, Antilochum, filium suum fortissimum et jam barbatum (quæ gravissimi luctus causæ sunt), *ardentem* in rogo, occisum a Memnone, quum patrem in pugna servasset. Conf. simil. loc. Prop. II, 13, 49 seq. Dictys IV, 6; Q. Calab. II, 243—266; Pind. Pyth. VI, 22 seq. (quibus locis, ut et nostro, egregie declaratur patris luctus); Mitsch. ad Horat. Od. II, 9, 14; Heins. ad Ovid. Her. Epist. I, 15. Virtus Antilochi nota ex Homero (Iliad. δ, 177 seq. 457; ν, 396, 545; ο, 415, 576), ut et pietas insignis in patrem, unde Φιλοπάτωρ dictus est (vide Xenoph. de Venat. pag. 974 edit. Francof.).

Var. 253. *Nam quærit*, 10, 13—20, 23—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et plerique Codd. Paris.

Not. 253. *Quærit ab omni, quisquis adest socius;* vid. Varias Lectiones ad vs. 211.

Var. 254. *Ab omni Quisquis adest socio*, 7, 10, 13—27, 45—50, 54, 55, 57—63, 65—69, 71, 72, 73, et maxima pars MSS. Paris.

Not. 254. *Cur hæc in tempora*, tamdiu, ut filium immatura morte defunctum videat, *duret*, vivat.

Not. 255. *Dignum tam longo ævo*, tanquam summa calamitate pœnaque gravissima. Servius ad Virg. Æn. IX, 497 notat, Juvenalem ex eo loco traxisse colorem.

Not. 256. *Hæc eadem* scilicet queritur (vs. 251), vel lugens quærit (vs. 253). *Peleus*, pater Achillis. *Raptum* morte immatura, et interfectum a Paride. Quo nuntio accepto Peleus mœrore confectus obiit. Confer. Pind. Pyth. 3, 178 seq. ibique Schmid.

Not. 257. *Alius*, Laertes, *cui fas* est *lugere Ithacum*, Ithacum Ulyssem (vide ad XIV, 287), filium suum, *natantem*, decem annos per maria jactatum et tristi errore vagantem, vel sæpe naufragum. Conf. Propert. III, 12, 32.

Not. 258 seq. Felix fuisset Priamus, si ante excidium Trojæ tris-

pag. 1195, et Beda de computo qui * dextra, 1000—2000 iterum sinistra numeros 1—100 sinistra, 100—1000 manu designatos fuisse dicit.

temque suorum fortunam mortuus esset. Conf. Cic. Tusc Quæst. I, 35, quem locum poeta imitatione expressit. Tiberius contra identidem felicem Priamum vocabat, quod superstes omnium suorum exstitisset. Vide Suet. Tib. 62. — *Venisset ad umbras Assaraci*, hoc est, majorum suorum, bonum ac facilem sortitus exitum. *Assaracus* Trois filius et frater Ganymedis atque Ili, qui Ilus Laomedontem genuit, patrem Priami; vid. Heyne ad Virg. Georg. III, 35. — *Magnis solennibus*, splendida pompa, magnifico apparatu funebri. — *Funus*, corpus mortui patris; vide Burm. ad Valer. Fl. VII, 643, et ad Quintil. Declam. XII, 26. — *Portante Hectore*, filio maximo natu, et *fratribus* ejus. Funera humeris, et patrum corpora a filiis portari solebant; Grang. Coll. Plin. VII, 44; XVIII, 3; Suet. Aug. 100; Valer. Max. VII, 1 al. De Priami filiis et filiabus vid. Apollod. III, 12, 5, ibique Heyne.

Not. 261. *Inter lacrymas Iliadum*, matronarum Trojanarum, funus prosequentium lamentis, ululatu, ploratibus, næniis et *planctu*, qui perpetuus est mos et veterum et barbarorum populorum. Conf. Virg. Æn. XI, 35.—*Ut*, ita ut; *primos edere planctus*, more præficarum, quæ luctum modumque plangendi ac lamentandi ceteris feminis præibant.

Not. 262. *Cassandra* et *Polyxena*, filiæ Priami. — *Palla*, Gr. πέπλος, Mantel, propr. Angl. *Shawl*, et quidem geminatum vel triplicatum (vid. Ferrar. de Re Vest. I, 3, 18, et in Anal. p. 81; Boettig. Sabina, p. 397, 416 seq. et XX edit. pr.). — *Scissa palla:* nam in luctu et pompa funebri vestes scindi solebant; vid. Ferrar. loc. laud.

Var. 263. *Quo jam*, 7, 10, 14—27, 29, 45—50, 54—69, 71—74, et plerique Codd. Paris. quos secutus est Ach.

Not. 263. *Tempore diverso*, alio, et quidem priori, *quo non*, nondum, *Paris carinas cœperat ædificare audaces*, hoc est, audax, navigaturus scil. et rapturus Helenam; antequam patriam vidisset eversam.

Not. 265. *Longa dies*, vita, *quid* commodi *contulit*, præstitit Priamo, quid profuit ei?

Not. 265 seq. Conf. versus Ennii apud Cic. Tusc. Quæst. I, 35, et Virg. Æn. II, 554 seq. — *Asiam* propriam seu minorem, et quidem hoc loco ejus partem florentissimam, Troadem, quæ Priami imperio subjecta erat. Conf. Virg. Æn. II, 557 ibique Heyne. Hæc pristinæ et præsentis fortunæ comparatio multum valet ad commiserationem faciendam.

Not. 267—270. Conf. omnino Virg. Æn. II, 506—558, ibique Heyne in Exc. XI de Priami nece. — *Tunc miles tremulus* senio, Priamus, *arma tulit*, cepit et induit, ut impetum Græcorum propulsaret, *posita tiara*, fascia, diademate, regio insigni (vide supra ad VI, 516), *et ruit*, jugulatus a Neoptolemo, *ante aram Jovis* Hercei, Ἑρκείου. Conf. Virg. loc. laud. vs. 509 sqq. et Heyne loc. cit.

Anal. 268—270. Comparatio aptissima et ad miserationem egregie com-

parata; simplex tamen et obvia, ad quam mentio *aræ* facile ducere poterat. Ruit ante aram *ut vetulus bos:* gravius sonant illa Virg. Æn. V, 481;

Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos. *Ach.*

Not. 270. *Jam fastiditus*, contemptus, *ab ingrato aratro*, hoc est, agricola, qui bovem jam ob senium arando inutilem mactat, immemor tot laborum officiorumque, quæ illi præstitit.

Not. 271, 272. *Exitus* tamen *ille*, mors et extrema fata Priami fuere *utcumque*, quodam modo, *hominis* mors, non belluæ, ut mors *uxoris* ejus, Hecubæ, quæ propter luctum animique acerbitatem quamdam et rabiem, conversa dicitur in canem. Vet. Schol. « Hecuba, dicit, excæcato Polymnestore, quum saxis impelleretur a populo Thracum, versa in *canem* fertur. An quia Græcis convitia congerebat, *canem* nominaverunt? » Cf. Cic. Tusc. Quæst. III, 26; Dictys, V, 13 et 16; Plaut. Men. V, 1, 14 seq. Ovid. Met. XIII, 452—575; Muncker. ad Hygin. fab. 111; Potter. ad Lycophr. vs. 331; Eurip. Hecub. et Heyne loc. laud. — *Latravit rictu canino*, ut apud Ovid. loc. laud. vs. 568.

Not. 273. *Festino ad nostros*, Romanos, ad exempla Romanorum, quibus longa vita fuit perniciosa. — *Regem Ponti*, Mithridatem, qui annos LXIX vixit, et bellis infeliciter adversus Romanos gestis, Bituiti manu periit. Vide Appian. Bell. Mithrid. c. 111, 112, et Plin. XXV, 2 s. 3. — *Transeo*, ut supra VI, 602.

Var. 274. *Justi quem vox*, 14, 15, 17, 18, 20, 21. *Justificanda*, 8; unde *vox modo justificanda*, conj. Pith. qui tamen recte prætulit vulgatam lect.

Not. 274. *Crœsum*, opulentissimum regem Lydiæ, qui, antequam a Cyro captus esset, felicissimus sibi hominum esse videbatur, cuique *Solon* dixisse fertur, neminem ante obitum beatum esse dicendum; vide Herodot. I, 30—32 et 86; Ovid. Met. III, 135 seq. Hanc Solonis sententiam expressere multi; v. c. Eurip. in Troad. vs. 510; in Iphig. Aul. vs. 161, et Ovid. Met. III, 135 seq. Illam vero Solonis apud Crœsum commorationem disputationemque de fortuna humana dubiam facit chronologia. Vid. tamen Gatter. Handb. d. Gesch. tom. 1, pag. 838 seq. Historia Crœsi nota ex Herodot. I, 26—94.

Not. 276—282. Exemplo C. Marii, et, vs. 283—288, Pompeii, probatur, quam perniciosa sæpe hominibus sit longa vita, et, si hæc brevior fuisset, quot mala evitassent multi.

Var. 277. *Karthagine*, 11, 18; vide ad VI, 171.

Not. 276—278. Nisi tam longa fuisset Marii vita, non perpessus esset tot calamitates, *exsilium*, *carcerem*, *paludes*, etc. Nam ex Urbe pulsus a Sylla profugit *Minturnas* (oppidum in Aruncis ad Liris ostia, in confinio Latii et Campaniæ), ubi, equitibus Syllæ eum persequentibus, in *paludibus* latuit, et deinde proditus quidem atque a Minturnensibus in custodiam (*carcerem*) mulieris privatæ traditus; sed, quum nemo eum

occidere auderet, in navem publicam impositus est: ea trajecit in Africam, et *Carthaginem* appulit, ubi exsul et pauper *panem mendicasse* dicitur. Vide Appian. Bell. Civil. I, 61, 62; Plutarch. in Mario et Sylla; Vellei. II, 19; Flor. III, 21. Quo modo Marius obierit, discrepat inter scriptores: constat tamen, eum senectute confectum et primo septimi consulatus mense mortuum esse. Vid. Appian. loc. laud. cap. 75, et Plut. loco citato.

Not. 278. *Hinc*, e longiori vita. — *Illo cive*, C. Mario.

Var. 280. *Circumdato*, 21, 22.

Var. 281. De hiatu, vide ad I, 151.

Not. 280—282. Si statim mortuus esset post triumphum de Cimbris et Teutonis seu Teutonibus actum. Vid. Vellei. I, 12, et Plutarch. locis citatis. — *Animam opimam*, lætitia exsultantem propter spolia opima (hoc est, tot tantasque victorias), vel ad satietatem.

Not. 282. *De curru Teutonico*, quo vehebatur triumphans de Teutonibus.

Var. 284. Epitheton *multæ* languere hoc loco neque festivitati poetæ consentaneum esse, putabant Ruhnken. et Herel: quapropter ille ad Vellei. Pat. pag. 239, conj. *mœstæ*, hic vero in literis a me datis *pullæ*, quæ vox insolentior quidem, sed et jocosior videri potest vulgari *pullatæ*, qua Juvenalis sup. III, 213, utitur. Ingeniosæ quidem emendationes: sed non video, cur vulgata lectio langueat, quæ potius ad magnitudinem Pompeii declarandam multum valet. Conf. Comm.

Not. 283—286. Cn. *Pompeius* Magnus Neapoli in Campania gravi laborabat febri, sed *optanda* ac salutari, quum ei *dedisse* vel immisisse videri poterat *Campania provida*, quasi prævidens mala ipsi imminentia, hoc est, prospera sors ita tulit, ut graviter ægrotaret Neapoli; sed *vota publica*, a *multis urbibus* pro ejus sanitate concepta, *vicerunt*, a diis exaudita perfecerunt, ut ex morbo convalesceret: *igitur Fortuna* adversa multas et *ipsi* et *Urbi* importavit calamitates, fecitque, ut ei *victo* a Cæsare in pugna Pharsalica, et ad Ptolemæum, Ægypti regem, confugienti, ab Achilla, præfecto regio, et L. Septimio, tribun. milit. gladiis *auferretur caput servatum*, ad hanc ignominiam calamitatemque reservatum vel servrtum in adventum Cæsaris. « Πομπηΐου τὴν μὲν κεφαλὴν ἀποτεμόντες οἱ περὶ Ποθεινὸν, ἐφύλασσον Καίσαρι, ὡς ἐπὶ μεγίσταις ἀμοιβαῖς, » Appian. Bell. Civ. II, 86 pr. Vide Plut. Vit. Pomp. Appian. b. civ. II, 76—86, 90; Plin. V, 12; VII, 26; Flor. IV, 11; Dio XLI pr. Conf. simil. loc. Sen. Consol. ad Marc. cap. 20; Vellei. II, 48, et inpr. Cic. Tusc. Quæst. I, 35, unde locus noster desumptus est. Pompeius autem, tantus vir, qui tres gessit consulatus, totidemque triumphis, ex tribus orbis terrarum partibus, relatis *Magni* cognomen sibi peperit, obtruncatus est pridie natalis sui duodesexagesimi. Vide Vellei. II, 53, et Plutarch.

Not. 286. Conf. Barth. Advers. IX, 14, qui poetam ad Corn. Severi versus allusisse suspicabatur.

Not. 287. P. Corn. *Lentulus* Sura, P. principis Senatus nepos, qui a. Urb. 682 Consul fuerat, et C. *Cethegus*, socii *Catilinæ*. Vide ad VIII, 231. — *Integer et cadavere toto*, non absciso capite vel corpore truncato, ut Pompeius. Lentulus et Cethegus jussu Ciceronis in carcere necati sunt; Catilina in acie fortiter pugnans cum suis periit. Vid. Appian. Bell. Civ. II, 6, 7; Flor. IV, 1; Sallust. et alii. Horum itaque conditio et mors minus acerba fuit et ignominiosa, quam Pompeii, etsi is tantus vir fuit, et illi contra rem publicam conjurarunt.

Not. 289—345. *Forma* pulchra etiam multis injuriis, corruptioni, aliisque periculis obnoxia, adeoque non exoptanda est. — *Murmure*, susurro, ψιθυρισμῷ, obscura voce intra dentes edita; quo vota parum honesta designantur. Vide ad VI, 539. Ardentius autem magisque *puellis*, quam *pueris formam* pulchram *optat mater*, quoniam ea utilior est illis, quam his; unde hoc loco egregie *majori murmuri* opponitur *modicum*. — *Quum*, quoties, *videt*, adit, *fanum Veneris*, quæ et pulcherrima dearum est, et symbolum amoris ac venustatis. Colebatur etiam olim Ἀφροδίτη ψίθυρος in templo, in quo mulieres preces ac vota huic deæ insusurrabant. (Vid. Sen. Epist. 10). Vid. Eusthat. ad Homer. Odyss. XX, p. 1881, A. — *Mater anxia*, sollicita de forma liberorum, et anxie precans.

Var. 290. *Ubi* pro *quum*, 18, 46, 48. — *Fanum Veneris*, 24.

Not. 291. *Usque ad delicias votorum*, ita ut pro ipsis vota deliciarum dulcedinisque plena faciat, quibus favorem animumque deæ, qualis Venus est, conciliari posse sperat. Ita mentem poetæ recte mihi cepisse videor.[1]

Not. 291. *Cur tamen corripias*, reprehendas hæc vota, tanquam inhonesta, quandoquidem et *Latona Dianæ*, filiæ suæ, pulchritudine delectatur? Conf. præclarus locus Virg. Æn. I, 498 seq. qui animo poetæ obversabatur. — *Inquit*, scilicet illa mater, vel potius pro *inquis*, aut *inquitis*; nam *inquit*, ut Gr. ἔφη et φησί, sæpissime dicitur pro *inquis*, *inquitis* et *inquiunt*, ubi aliquid nobis ab uno seu pluribus, a præsente seu absente, objici fingimus innuimusque; aliquem nobis contradicturum esse: quod jam notatum est multisque exemplis comprobatum a Bentl.

[1] Minus apte alii, v. c. ex votis ipsis captans delicias et gaudia, Prat. — optans, ut tam formosa sit, ut eam juvenes in suos amplexus optent, usque ad delicata nimis vota, Brit. — usque adeo demens, ut etiam delicias in votis voveat filiabus, et ut in amplexus ob pulchritudinem rapiantur, Schurzfl. — usque ad hoc deliciæ hominum veniunt, ut pulchritudinem optent filiis suis, Schol. — languenti ardentique desiderio, Bahrdt.

ad Horat. Sat. I, 4, 78; Gronov. et Drak. ad Liv. XXXIV, 3 et 5; Schellero in Lex. et a me ipso ad Liv. VI, 40, 3.

VAR. 292. *Puella* pro *Diana*, 18.

ANAL. 293 seq. Respondet poeta, ostenditque exemplis Lucretiæ, Virginiæ aliarumque mulierum pulcherrimarum, in quantis illæ periculis versentur. — *Faciem* pulchram. — *Lucretia*, quæ, propter formam a Sext. Tarquinio per vim stuprata, necem sibi conscivit.

NOT. 294. *Virginia* a patre, L. Virginio, occisa, ut pudicitia ejus ab insidiis Appii Decemviri libidinosi vindicaretur.—*Rutila* mulier deformis et gibbosa, quæ illis temporibus vixisse videtur. Vulgo designari putant Liviam, Rutilii uxorem, quam excessisse quidem XCVII annos, nec tamen gibbosam fuisse, Plinius, VII, 48, memorat. Lepide autem hoc loco utriusque feminæ forma comparatur.

NOT. 295. *Suam* scilicet faciem et formam.

NOT. 296. *Trepidos*, sollicitos de castitate filii; verentes, ne corrumpatur.

NOT. 297. Vera sententia, quam etiam expressere Petron. 94; Mart. VIII, 53; Ovid. Her. XVI, 282, et Am. III, 4, 41 seq. al.

NOT. 298. *Horrida domus*, disciplina et institutio severa, tetrica ac tristis, sine cultu et elegantia, qualis *veterum Sabinorum* fuit. Vide Var. Lection.

VAR. 299. *Sabinas*, 10—20, 23—27, 45—48, 50, 54—69, 71—74, et plerique codd. Paris. probb. Schurzfl. Schrader. Observ. pag. 80 et Heins. ad Ovid. Am. II, 4, 51, et in Advers. pag. 357, qui hanc lectionem firmant tum aliorum codd. auctoritate, tum locis simil. Martial. I, 62 (al. 63) 1; Prop. II, 23, 103 (al. 32, 47); Horat. Epod. II, 40, 41; Ovid. l. l. et med. fac. vs. 11 aliisque, quibus summa Sabinarum mulierum castitas prædicatur. Sed aptior forte nostra lectio, quoniam de *filio* et de *sanctis moribus horridæ domus* hoc loco agitur, nec tantum Sabinæ propterea bene audierunt, sed et Sabini; nam vel tironibus ex Livio I, 18, nota est *disciplina tetrica ac tristis veterum Sabinorum, quo genere nullum quondam incorruptius fuit*. Vide sup. ad VI, 164 in Comm. Parum tamen interest.

VAR. 300. *Modestum*, 10—19, a m. sec. 20, 21, 22, 27, 45, 46, 47, 49, 54, 55, 56, 60—69, 71—74, et omnes fere codd. Paris.

NOT. 300. *Vultum modesto sanguine ferventem*, suffusum rubore vel pudore, quod est τὸ χρῶμα τῆς ἀρετῆς. —*Natura larga*, liberalis, benigna. Quoad sensum melius jungi possunt *natura benigna* et *larga manu*.

NOT. 303. Confer Sen. Epist. XI, et de Ira, II, 2; Horat. Epist. I, 10, 24, alibi.

VAR. 304. *Viris* pro *viros* restitui ex 13, 17, 19 a m. sec. 22, 48, et XII

MSS. Paris. quoniam dictio hæc doctior est et multo frequentior optimæ latinitatis scriptoribus. Vide Heins. ad Ovid. Ep. Her. XIV, 64, ubi eam similesque, *licet esse*, *contigit esse*, vel *satis est esse fideli*, *priori*, etc. multis exemplis illustravit.

Not. 304. *Non licet esse viris* (conf. Var. Lect.), desinunt mox esse viri; nam (quæ ratio adjicitur) formosi solent effeminari, et vel corrumpi seu stuprari, et pati muliebria, vel castrari; vel pathici sunt et cinædi, vel spadones. — *Corruptoris improbitas*, cinædus improbus.

Not. 305. *Tentare*, sollicitare muneribus, ut filios suos corrumpi patiantur; vel ipsos parentes donis sollicitare ad stuprum.

Var. 307. *Scæva*, 18. — *Castrabit*, 16.

Not. 306—309. Formosi pueri ac juvenes vel *castrantur* vel *rapiuntur* scilicet ad stuprum (ut *rapere virginem*, et *rapta*, vel nostrum *entführen*, apud Liv. XXVI, 13; Sallust. Catil. 51; Ovid. Epist. Her. XVI, 327, 339; XVII. 22) a potentioribus, quod non verendum est deformibus. — *Castravit*; vide ad VI, 368 seq.

Var. 308. *Non*, 21.— *Vel Strumosum* recepi ex 10—19 a m. pr. 20—27, 46—50, 54—69, 71—74, et quibusdam MSS. Paris. *nec Strumosum* al.

Not. 308. *Neronis* pæderastia nota e Suet. cap. 28 al. — *Prætextatum*, vide supra ad I, 78; Kœnig. ad Pers. V, 30, hæc adnotavit: frequentem fuisse amorem in prætextatos, inprimis sub Imperatoribus, eamque ætatem omnis generis libidini maxime fuisse expositam, constat ex Cic. in Phil. II, 18; in Catil. II, 2 et 10, multisque locis Martial. — *Loripedem*, vide ad II, 23. — *Strumosus* dictus a *struma*, tumore glanduloso qui in lateribus, inguinibus, sed maxime in cervice nascitur (vid. Cels. V, 28 s. 7), et *scrofula* quoque, Gr. χοιρὰς, vocatur, quoniam sues hoc morbo potissimum laborant.

Var. 309. *Itero* pro *utero* conj. C. Vales. quia *iterum* et ἰτρίον in glossariis sit ἦτρον seu ἴτρον, abdomen, imus venter, pars inter umbilicum ac virilia; et *uterus* de puero non dicatur et de viro.

Var. 310. *Et specie juvenis*, 77. *Hac ergo juvenis specie*, 22. *Nunc ergo juvenis specie*, 10, 15, 16, 23, 24, 25, 46—50, 54—69, 71—74. *Nunc ergo specie juvenis*, 11, 13, 14, 17, 18, 20, 21, 45, et omnes codd. Paris. teste et prob. Ach. *Nunc ergo speciem juvenis*, 7, 29. *I nunc et i. s.* 1, 75—82. Nota Schurzfl. est hæc: « Scriptum in primo libro NUNC ET SPECIE not. Sæc. II et seqq. abbreviatura, quam non attendens librarius exscripsit *nunc et specie*: alii *ergo* addiderunt, ut versus compleretur. »

Not. 310. *I nunc*, ut VI, 306, ubi vide not. — *Specie*, forma, et quidem pulchra.

Var. 311. *Exspectent*, 12.

Var. 312, 313. Magna est hoc loco lectionis varietas, quæ librariorum stupori debetur. *Quascumque mariti Exigere* (hoc est, exigunt, vel exigere solent, scil. ab adulteris) *irati* restitui ex 5, 12, 18, 24, 25, 27. 46—49, 54—69, 71—74, et XII MSS. Paris. probb. Pulm. et Gronov. Obss. II, 14, ubi magna exemplorum copia ostendit, multa passim per infinitivum modum pronunciata esse, sive in oratione obliqua, sive per ellipsin verbi finiti, quæ librarii et improvidi correctores vexarint. *Quascumque mariti Exigere ira*, 15, adversante metro: unde *quascumque mariti Exigere ira potest*, 2, 36, et MS. Canteri (vid. ejus Lectt. nov. III, 6), prob. C. Vales. *Quascumque mariti Exigere irati debent, nec erit felicior astro*, 4, 16, 23, et duo alii Codices, quos memoravit Gronov. loc. laud. in qua lectione, ex duabus conflata, verbum *debent* abundat. Hinc metri fulciendi caussa *quascumque mariti Exigere irati debent; felicior astro*, etc. 11, sed contra mentem poetæ. *Quascumque mariti Exigere irati debuit*, 45. *Quascumque mariti Exiguo irati, nec erit felicior astro*, 50, et duo MSS. Paris. *Quascumque mariti Irati faciunt*, 35. *Quascumque mariti Irati debent*, 3, 13, 17, 19—22, 38, 43, 75, 76, et XIV Codd. Paris. prob. Lips. Epist. Quæst. IV, 25. Enimvero non mariti *debent* pœnas, sed adulter; nisi supplendum censeas *exigere*, vel *capere*, *petere*, *repetere*, *sumere*, scilic. ab adultero, quæ tamen ellipsis dura est. *Quascumque mariti Irati debet*, 10. *Quascumque maritis Iratis debent*, 77. *Quascumque mariti Irati debent*, 14, 28, et ita conj. Lips. loc. laud. Commodam tamen sententiam vix inde elicias. *Quascumque maritus Exigit iratus* edd. recentt. Farn. Prat. et al. quæ haud dubie est emendatio nostræ lectionis, *et pœnas debet quascumque mariti Exigere irati*, corrig. Schurzfl. ut mens poetæ sit hæc : *debet* filius tuus *exigere*, sustinere, luere, omnes *pœnas irati mariti*, hoc est, quas hic ab adultero repetere solet. Sed quis unquam *exigere pœnas* hoc sensu dixit? *Quascumque maritis Iratis debet*, 70, 82. Non male : nam *pœnas*, vel supplicium *debere* dicitur is, cui vel metuendæ, vel potius luendæ ac solvendæ sunt, ut fere *ludibrium debere ventis*, apud Horat. Od. I, 14, 16, ubi jam monuit Jan., has loquendi formas ductas esse e Græco ὀφλεῖν, vel ὀφλισκάνειν γέλωτα, apud Aristoph. Nub. 1031, et Eurip. Med. 1049. Præstiterit tamen *quascumque mariti Exegere ira*, hoc est, sæpe exegerunt vel, ἀορίστως, exigere solent. Conf. Jani Art. Poet. p. 291 Enimvero vix dubito, quin recepta a me lectio sit a Juvenalis manu profecta, et deinde a librariis, vel scholasticis, qui illum infinitivi modi usum, de quo supra dixi, ignorabant, immutata, substituto verbo *debent*, vel *debet*, quod docta manus, tanquam ellipsin supplendam, margini adscripserat. — Manso hæc adnotavit : « Veram structuræ vim assecutus est Gron. Obss. II, 14. Miror tamen, nemini interpretum in mentem venisse, latere posse sub *irati mariti* gignendi casum huncque pendere a vocula *est*, sive librariorum incuria in fine vs. 312 e contextu amissa, sive a poeta ipso consulto omissa et supplenda. » Miretur sane : si vero pessimam omnium rationem a me propositam dicit, non probat; licebit et mihi, de illa ratione eamdem sententiam ferre.

Not. 312. De hoc versu et de seq. vide quæ modo notata sunt in Var. Lect. — *Publicus adulter*, qui omnes amat appetitque matronas, et

ab iis amatur; ut fere *juvenum publica cura* dicitur Horat. Od. II, 8, 8.

Not. 312—317. Pœnæ adulterorum deprehensorum magis permissæ maritorum vel magistratuum Cæsarumque arbitrio quam legibus definitæ fuisse videntur et in feminis mitiores erant.[1] Nota Henninii est: Videtur Romanis privatim, quamvis sine lege, permissum fuisse, ut adulteros deprehensos pro lubitu punirent, παρατιλμῷ, ῥαφανιδώσει, *mugile;* ut loris conciderent, pecunias extorquerent, viro mulctarent, interficerent, quod ex Horat. Serm. I, 2; Varr. de Pace; Catull. Carm. 15; Plauti Pœnulo et Nostro constat.

Not. 313. *Nec erit felicior Marte*, in adulterio deprehendetur, ut Mars, quem cum Venere concumbentem Vulcanus, Veneris maritus, *laqueis* vel potius retibus impeditum omnibus diis videndum præbuit; quæ lepida fabula, facete hoc loco memorata, notissima est ex Homer. Odyss. θ, 266 seq. Ovid. Met. IV, 171 seq. et Art. Am. II, 561 seq. Conf. infra ad XVI, 5; et de origine hujus commenti Heyn. Antiq. Auss. Fasc. I, pag. 161; Hermann. Mythol. tom. I, pag. 258 seq. et Wernsdorf. Poet. Min. tom. IV, pag. 52, 53. — *Astrum* autem *Martis* poeta forsan pro ipso Marte dixit respectu sideris natalitii, cui hoc Martis infortunium tribuit et hujus astri, quod infaustum erat. Vide ad VI, 533 seqq. Nec tamen dissimulo, hanc interpretandi rationem duram esse.

Var. 314. *Nusquam*, 47, 54, 64. — *Exigat*, 15, 25, 57, 59.

Not. 314. *Exigit plus*, pœnam graviorem.

Var. 315. *Iste*, 25, 27, 46—50, 54, 55, 57—60, 64, 65.

Var. 316. *Necat ille cruentis Verberibus*, 11, 20, ut apud Horat. Sat. I, 2, 41, *ille flagellis ad mortem cæsus*. Sed tum epitheton *cruentis* languet.

Not. 316 seq. Conf. Horat. Sat. I, 2, 37—46. — *Secat*, concidit, lacerat. Conf. Horat. Epod. IV, 11, ibique Mitscherl.

Var. 317. *Vulneribus*, 19.

Not. 317. Vetus Schol. « *Mugilis* (seu *mugil*) piscis grandis capitis (unde et *capito* dicitur, Gall. *mulet*), postremis exilis, qui (æque ac scorpio et raphanus) in podicem mœchorum deprehensorum (Athenis olim) solebant immitti.[2] » De ipso pisce vide Athen. VII, 16 (77, 78), pag. 306, 307.

---

[1] Conf. Voss. ad Catull. p. 41 seq. Cujac. Obss. VI, 11; Lips. Exc. ad Tac. Ann. IV, 42; Gothofr. Brisson. et Hofmann. ad Leg. Jul. de adult. Paull. Sent. II, 26, 14, ibique intpp.

[2] Vid. Kusterus ad Suid. voc. Ῥαφανίς; vid. Doering. ad Catull. carm. 15, 19; Schol. et intpp. ad Aristoph. Plut. 1068, et Nub. 1079; Casaub. ad Athen. I, 5, p. 5; Schweigh. ad Athen. VII, 77 (qui a figura piscis, illum morem puniendorum mœchorum putat ductum); Voss. de Idolol. IV, 49.

Not. 318. *Tuus Endymion*, filius tuus formosus. *Endymion*, pastor a Luna adamatus: qui mythus inde ortus, quod primus lunæ cursum observavit (vide Plin. II, 9), et pulcher fuit; summam enim hominis pulchritudinem adumbraturi poetæ fingunt, deos ejus amore captos esse, eumque rapuisse.[1] — *Dilectæ*, formosæ, et quam amat propter pulchritudinem.

Not. 319. *Servilia*, matrona deformis ac dives.[2] — Vix crediderim, poetam respexisse duas Servilias, turpissimas Catonis sorores, e quibus altera, Bruti mater, cum Cæsare libidinis commercium habuit, altera autem a Lucullo, marito suo, ob prostratam pudicitiam fuit repudiata. Vide Suet. Cæs. 50; Plut. in Lucullo, pag. 517; in Cat. Min. pag. 759, 769, 770, 785, et in Brut. pag. 984. Illa certe non *numos dedit* Cæsari, sed amplissima potius ab eo accepit dona ac prædia. Vide Suet. et Plut. locis citatis.

Var. 320. *Fiat*, 16. — *Quem*, 27, 46—50, 58, 61, 62, 63, 65, 68. — *Exuit*, 24. *Exuat*, 12, 14, 16. *Eruet*, 25, 46, 48, 49, 55, 56, 57, 59—63, 65—69, 71, 74.

Not. 320. *Illius*, hujus Serviliæ. — *Exuet* filius tuus turpi matronæ, qualis Servilia est, *omnem corporis ornatum*, hoc est, amores ejus sectabitur, donec omnibus eam nudaverit unionibus vel gemmis reliquoque corporis ornatu.[3]

Var. 321. *Illa*, 21.

Not. 321. *Quid enim* pretii ac muneris *ulla* mulier impudica *negaverit udis inguinibus*, in Venerem libidinemque conferre dubitabit?

Var. 322. *Hæc est*, 11, 45. — *Oppia*, 1, 47, 54, 57, 70, 75, 76, 82, et omnes fere codd. Paris. teste Achaint. *Optia*, 12, 14, 17, 22, 23. *Ophia*, 21. *Oppicia*, 20. *Scipia*, 16. *Yppia*, 19. *Hyppia*, 15, 45. *Hippida*, 18. *Ippia*, 24, 46, 48, 58. *Hippia*, 10, 11, 25, 49, 50, 55. 56, 59—69, 71—74, 77, non improb. Schurzfl. ut sensus sit: sive est impudicissima, qualis *Hippia* fuit (vid. sup. 82—115), sive castissima, qualis fuit *Catulla*, utque poeta μισόγυνος contendat, nullam omnino feminam esse bonam, nihilque interesse inter lasciviorem et inter eam, quæ maximam castitatis laudem sit promerita. Sed casta mulier ab hoc loco aliena.

Not. 322. *Oppia*, judice Brit. forte patricia ac nobilis; *Catulla* vero

[1] Vid. Heyn. Antiquar. Auss. St. I, et de Endymione idem ad Apollod. I, 7, 5, et Harles. ad Ovid. Trist. II, 299.

[2] Vetus Schol. « Nomen cujusdam mulieris turpissimæ. »

[3] Interpretes, quotquot vidi, hæc verba ita exponunt: *exuet* Servilia *omnem corporis ornatum*, ut adultero donet. Sed verbum *exuet* ad idem subjectum, ad quod *fiet*, referendum est.

plebeia, vel illa liberalis ac prodiga, et hæc avara; vel denique illa dives et hæc pauper. Nota Ach. est: «Sic omnes interpretes; ego vero sensum multo magis satiricum hujus loci aperio: scilicet *Catulla*, mulier infamis et impudica (*libertine*, *effrontee*), quæ publice notabatur (vide Martial. VIII, 53; et suprà ad II, 49); *Oppia*, mulier formosa et pudica (*prude achevée*). Porro, quum illas poeta opposuerit, in animo ei fuisse suspicor, omnes feminas impudicitiæ insimulare.» *Casta* tamen mulier parum apte hoc loco memorari videtur. *Oppia* forsan hoc loco nomen deformissimæ, et *Catulla* formosissimæ mulieris. *Catulla* certe, cujus mentionem facit Martialis VIII, 53, et formosissima fuit et impudicissima.

Var. 323. *Comes* olim pro *totos* legendum putabam hoc sensu: *deterior*, mala, impudica, *femina illic*, in re Venerea, *habet comes mores*, come ingenium; summa comitate ac liberalitate allicere solet viros ac delenire. Sed præferenda nunc mihi videtur emendatio H. Valesii: *Deterior totos habet illic* (in udis et juvenilibus inguinibus vel mentulis) *femina amores*. Confer tamen Comment.

Not. 323. Id Ach. ita interpretatur: «*Femina* omnis, quæcumque sit *deterior*, aut melior, habet *totos*, eosdem, *mores illic*, quum de inguinibus udis agitur, Gall. *Toute femme bonne ou mauvaise est la même, quand il s'agit de... et ne refusera jamais, quoi qu'il en coûte, d'assouvir sa passion.*» Sed quam dura sit hæc explicatio, vix est quod moneam; vulgaris est hæc. — *Femina deterior*, in ceteris male morata, et in reliquos omnes avara et nequam, *illic habet totos mores*, hic induit comitatem, liberalitatem, etc. ut mœchis largiatur, et placeat. Sed bene hæc adnotavit Manso: «Ipse olim tentaveram *tortos* pro *totos*, respiciens ad Planti (Menæchm. IV, 2, 25) conditiones *tortas* et confragosas, hoc est, ambiguas et difficiles, et ad Persii *mores curvos* et *intortos* (III, 52; V, 38), hoc est, abnormes et ad regulam non exactos. Nunc accuratius, re perpensa, mentem muto, et *totos mores* de universa vivendi agendique ratione intelligo. Dixerat poeta de libidinibus feminarum generosiorum et summo loco natarum. His missis pergit: Quid dicam de *feminis deterioribus*, id est, inferioris conditionis? hæ totæ ab inguinibus pendent; harum *mores* et consuetudines plane *illic* (in inguinibus) sunt, et inguinum imperio temperantur. Habemus epiphonema satis aptum et claudenda sententia dignum, cui, si verba spectemus, non absimile fuerit Lucretianum illud, VI, 1203.

> Hac hominis totæ vires corpusque fluebat.

Ceterum frustra quæritur quæ sint *Oppia*, *Hippia* et *Catulla*, quæve sub earum nomine lateant. Si admittimus lectionem *Hippia*, quæque hoc loco occurrat, eamdem esse dicimus cum *Hippia*, cujus poeta VI, 81, meminit, habemus senatoris Romani uxorem. De *Catulla* nihil certi quidem diserta testimonia definiunt, nec tamen repugnant generosæ familiæ, quæ de ea, si modo nostra fuerit, Juven. II, 49, et Martial. VIII, 53, præ-

dicant. Non vero opponere sibi invicem voluit Juvenalis *Oppiam* et *Catullam*, sed potius utriusque exemplo docere feminas vel nobilissimas, si libidine corripiantur, temperare sibi non posse, quin generis et loci immemores famam ac numos abjiciant.» Huic tamen consilio non repugnat oppositio, quæ probabilis quoque fit, ex voc. *sive*, *sive*. Fortasse etiam non deerunt qui *amores* legere malint. Conf. Var. Lect.

VAR. 324. *Profuit uni*, 16. *Profuit ergo*, 49, 55. *Profuit olim*, 61, 62, 63, 66—69, 71—74, 77. *Uni* et *olim* legitur etiam in quibusdam MSS. Paris.

VAR. 325. *Bellerophonti*, 17, 19, 21, 22, 23, 45, 49, 60, 65.

VAR. 326. *Certe* pro *nempe*, 18, 21, 24.—*Seu*, 22.—*Repulsa* restitui ex 10—16, 21—27, 45—50, 54—69, 71—74. *Repulso*, 17—20, 70, 75, 76, 82, quod quomodo explicari commode possit, vix assequor. Sed neque vox *hæc* hoc loco convenit. Refertur vulgo ad Phædram, Hippolyti novercam, quæ mox *Cressa dicitur*. Durissima vero est hæc ratio, quum nulla ejus antea mentio sit facta; et nihil me movet contradictio Heins. « Ad *hæc* facile (!) ex sequentibus assumi potest *Cressa*. Talis constructio non inusitata est et sæpius multo duriores inveniuntur. Vide Gron. Obss. IV, 4, ad Stat. Theb. I, 112, et ad Liv. XXX, 7.» Olim suspicabar, poetam scripsisse : *Erubuit nam Phædra, ut fastidita, repulsa*. Librarii omnino permulta sic loca et nomina in primis propria corrupere : Juvenalis etiam *Phædra*, opinor, pro *Cressa* dixisset, nisi illud nomen jam memorasset. Vellem tamen lenior daretur medicina.

NOT. 324. *Sed casto quid forma* pulchra *nocet?* Objectio, quam refellit poeta exemplis *Hippolyti* et *Bellerophontis*, quorum castitas vel in proverbium venit, quosque *grave propositum* castæ vitæ, vel castitatis servandæ, non a periculis tutos præstitit, sed in ea potius conjecit. — *Quid profuit immo potius* (Gall. *au contraire*) his libidini incestoque amori mulierum restitisse, et castitatem servasse? — *Hippolytus*, Thesei filius pulcherrimus, qui a Phædra noverca, cujus incesto amori non obsequebatur, falso apud patrem stupri insimulatus, et, quum hujus iram fugeret, ab equis, quos Neptunus, Thesei precibus ad vindictam provocatus, consternaverat, curru dejectus raptatusque misere periit; vide Ovid. Her. IV, et Ovid. Met. XV, 491 seq. Eurip. et Senec. in Hippol. Athen. XIII, 8 (74), p. 600. Mythos de Hippolyto exponit ill. *Creuzer's Symbolik*, tom. II, pag. 357, 489; tom. IV, pag. 153 seq. — *Bellerophon*, seu Bellerophontes, filius Glauci et Sisyphi, Corinthiorum regis, nepos, qui quum a Prœto, Argivorum rege, hospitio exceptus et ab ejus uxore *Sthenebœa* ad adulterium pellectus esset, propter repulsam ab ea stupri apud maritum accusatus, et ad Iobaten socerum missus est, ut ab eo interficeretur. De his et reliquis ejus fatis vide Hom. Il, ζ, 152 seq. Heyn. ad Apollod. II, 3, 1, et Mitscherl. ad Horat. Od. III, 17, 13 seq. Conf. *Creuzer's Symbolik*, tom. IV, pag. 62.

VAR. 327. *Sthenebœa* revocavi ex 46, 47, 48, 50, 62, 64, quoniam Græcis

constanter Σθενέβοια dicitur. Vid. Muncker. ad Hygin. fab. LVII, et Heyne ad Apollod. II, 2, 1, pag. 277. *Sthenobœa*, 1, 10—15, 24—27, 49, 54—57, 59, 60, 61, 63, 65, 67—77, 81, 82. *Stenebea*, 20. *Stheneboa*, 58, 66. *Stenebœa*, 21, 22, 23.

Not. 327. *Sthenebœa*, quæ Ἄντεια dicitur Hom. Il, ζ, 160, et vel Iobatæ, vel Amphianactis filia fuit. Conf. Var. Lect. et Heyn. ad Apollod. II, 2, 1, et III, 9, 1. — *Cressa* Phædra, Minois regis Cretensis filia. Cur vero *Cressa* hoc loco dicitur, nec potius proprio nomine *Phædra?* Nonne ex hac quoque, ut ex aliis caussis, probabile fit, Phædræ jam antea mentionem factam, et a librariis lectionem vs. 326 corruptam esse. Vide ibi Varias Lectiones.

Not 328. *Concussēre se*, propter repulsam commotæ sunt, excitarunt se iratæ ad vindictam, ut apud Flor. III, 1, pr. *Non leviter se Numidia concussit*, ad pugnandum, ad bellum fortiter gerendum. Genus loquendi a leone, qui iratus se caudamque concutit, petitum videtur, non a luctatoribus, qui certaturi manus concutiunt. Nisi malis, *concussere se*, animum agitarunt, vindictam secum animo volutarunt. Conf. Virg. Æneid. VII, 338, ibique Heyn. Sed illud aptius graviusque.

Not. 329. *Quum pudor* ob rem turpem, qualem meditabantur Phædra et Sthenebœa, *stimulos admovet odio*, accendit odium et iram addit. Genus loquendi notum ductumque a *stimulo*, κέντρῳ, seu σαυρωτῆρι, quo equi aut boves aratores pungi et incitari solebant, unde proverb. πρὸς κέντρα λακτίζειν, et κεντρηνεκέες ἵπποι.

Anal. 329—345. Pulchritudinem esse noxiam, probatur etiam exemplo C. Silii, juvenis formosissimi, et consulis designati, cui Messalina, Claudii Imperatoris uxor, insano amore capta, palam nupsit, absente marito Ostiamque sacrificii caussa profecto; quæ forma et ipsi et Silio exitium peperit; vid. Tac. Ann. XI, 5, 12—38. — Nota Ach. est: «Juvenalis h. loc. ipsa historia mitior, in Silio multo majoris pretii virum nobis offert, quam re vera fuit: nam Silius quidem a Messalina sollicitatus Juniam Silanam uxorem suam repudiavit; at ille paullo post et ambitione pessima ductus, et honorum atque dignitatum spe mentem occæcatus, ipsam vicissim Messalinam impulit, ut insanas nuptias celebraret. Vide Tacit. Annal. XI, 26, 11. Silius tamen id fecit necessitate coactus, quamvis non ita castus et propositi tenax, ut Hippolytus et Bellerophon, tamen non minus fere dignus fuit, cujus misereremur.»

Not. 329. *Elige*, dic, *quidnam suadendum esse putes* Silio, precibusne Messalinæ obsequatur, eamque uxorem ducat, necne? Si duxerit, periculum mortis metuendum a Claudio; si abnuerit, a Messalina. Conditio itaque ejus miserrima fuit, certumque et inevitabile exitium.

Var. 330. *Putas*, 12, 16, 22, 67, 68, 72.

Var. 331. *Destinet*, 27, 47, 48. *Festinat*, 16, 66.

Not. 332. *Rapitur* Silius *Messalinæ oculis*, amore ardentibus, hoc est,

amore ejus detinetur ac devincitur, *exstinguendus*, *periturus*, ut pereat: nam oculi, vel facies, aliæque partes corporis pulchræ adspicientem *capere*, *rapere*, *sibi subripere* et *venari* dicuntur.[1] Male jungunt : *rapitur exstinguendus oculis Messalinæ*, occidendus ante oculos ejus.

Not. 333—336. Describuntur solennia nuptiarum Messalinæ et Silii, de quibus conf. Tac. Ann. XI, 27.

Var. 334. *Flammeolo*, 18, 20, 23, 24, 62, 68, 71, 72, 73. Vide supra Comm. ad II, 124.

Not. 334. *Flammeolo*, velo, quo tecta sponsa vel nova nupta traditur sponso; vide ad II, 124. — *Tyrius*, purpureus, *Genialis*, scil. lectus nuptialis, purpura stratus; vide ad VI, 22. — *In hortis* Lucullianis, de de quibus vide Tacit. ejusque intpp. Ann. XI, 1, 32 et 37, quibus tamen locis memorat, Messalinam nuptiis demum celebratis in hortos illos digressam, et in iis interfectam esse. Henninius monet, salem habere voc. *palam*, poetamque, ut indomitam Messalinæ libidinem ureret, notare, eam contra morem romanum non in *lecto adverso*, qui fere in atrio domus, ante ipsam januam (*adversus* januam, de quo vide Lips. Elect. I, 17), statuebatur, sed publice in hortis pudorem prostituisse, obiterque ita tangi mirificum Imperatoris mariti stuporem. Confer Taciti Annales, lib. XI, 27.

Var. 335. *Cernitur*, a m. pr.

Not. 335. Poeta non ait, antiquas, sive ritus antiqui, dotes fuisse *decies centena;* sed notat invidiosam illo ævo Romanorum opulentiam, quæ tantum ab antiqua tenuitate recesserat, ut quasi legitima et solennis dotium summa esset decies centena millia, unde et Seneca : *Pantomimæ decies sestertio nubunt;* Rigalt. Vide ad VI, 137.

Not. 336. *Auspex* adhibebatur in nuptiis, ut auctoritatem iis[2] daret, et per eum auspicia haberent sponsus ac sponsa; nam auspicato, ut alia, sic quoque matrimonia contrahebantur. *Dos* etiam *inter auspices consignabatur*, Sueton. Claud. 26 (conf. Ern. Clav. Cic. voc. *Auspex;* Tac. Annal. XI, 27; XIII, 37). Ciceronis autem ævo res non amplius in usu fuit, sed nomen tantum. Vide Cic. de Div. I, 16. — *Cum signatoribus* tabularum dotis, seu nuptialium, inter quos ipsum quoque Claudium fuisse quidam putarunt. — « *Inductum*, quasi de industria simularentur nuptiæ ad avertendum transferendumque periculum quod imminere ipsi per quædam ostenta portenderetur. » Ita Suet. Claud. 29. Enimvero ille non ultimus

[1] Conf. Ovid. Am. III, 11, 48; Burm. ad Phædr. IV, 4, 4; Mitscherl. ad Horat. Od. IV, 13, 20.

[2] Vid. Ernesti Clav. Cic. voc. *Auspex*, et conf. Taciti Annales, lib. XI, cap. 27.

domus suæ dedecus scire potuiset, vs. 342, si ipse inter signatores, hoc prætextu allato adfuisset; Ach.

VAR. 337. *Putabis*, 47, 54, 58.

NOT. 337 sqq. Poeta ipsum alloquitur Silium. — *Tu putabas* forte, hæc Claudio Imper. futura esse : sed Messalina, non contenta furtivis adulteriis, et secura ob stuporem mariti, palam ac *legitime*, adhibitis scilicet signatoribus tabularum dotis, auspice, etc. justa et cuncta nuptiarum solennia celebrare voluit, ac celebravit. Itaque nunc *dic, quid placeat* tibi, dicturusne sis Messalinam uxorem, necne? — *Nisi parere velis*, et obsequi insano amori ac voluntati Messalinæ, quæ palam et legitime vult nubere, *pereundum* tibi *est ante lucernas*, λυχναψίαν, antequam accendi solent lucernæ, hoc est, ante vesperam, confestim, jussu iratæ feminæ : *si* autem *scelus admittas*, palam ac legitime eam duxeris uxorem, *dabitur mora parvula* supplicio tuo, *dum res*, etc. hoc est, ipsi Claudio pœnam temeritatis scelerisque dabis, quam primum rem compererit.

VAR. 339. *Est* pro *erit*, 11, 14—17, 19, 20, 23—27, 45—50, 55, 57—63, 65—69, 71, 72, 73, et plerique Codd. Paris.

VAR. 341. *Aurem*, 14, 16, 20, 21, 22, 24.

VAR. 343. *Si tanti*, 11, 14—20, 23, 24, 25, 45, 49, 56—63, 65, 68. *Si tanti est*, 27, 46, 47, 48, 50, 54, 55, 66, 67, 71—74, 77. Non male!

NOT. 341—345. Bene poeta notat stuporem Claudii, ac facete Silium hortatur, ut Messalinæ desiderio satisfaciat. *Res nota* fuit *urbi et populo*, priusquam *contigit principis aures*. — Ille *princeps, dedecus domus* Augustæ *ultimus*, postremo omnium, *sciet* (vide Tac. Annal. XI, 28—32), et *sciet* tantum, non ulciscetur : nam Messalina effugisset pœnam sceleris, nisi Narcissus cædem ejus properavisset (vide Tac. Annal. XI, 37, et infra XIV, 330). — *Interea*, dum res temeraria ad principis aures pervenerit, *tu*, Sili, *obsequere imperio* et cupidini Messalinæ; *sit* tibi *tanti* pretii *vita dierum paucorum*, hoc est, fac illud, ut certe aliquot dies vitam protrahas : nam si parere abnueris, extemplo Messalinæ jussu tibi pereundum erit; si ejus amori ac desiderio satisfeceris, vives saltem aliquot dies, donec res contigerit principis aures, qui ultimus eam resciscet.

VAR. 344. *Levius meliusque*, 10, 14, 15, 16, 18, 25, 27, 46—50, 54—63, 65—69, 71—74. *Levius meliusve*, 19.

NOT. 344, 345. Quodcumque ceperis consilium, vel quæcumque ratio tibi levior meliorque visa fuerit, mors tibi parata est, sive a Messalina, sive a Claudio.

NOT. 345. Conf. Tac. Annal. XI, 35, et Dio, LX, 31. — *Pulchra et candida cervix*, quæ pulchritudo exitialis fuit Silio, et immaturæ mortis caussa.

ANAL. 346—366. Locus plane divinus, omniumque, quos memini,

gravitate ac præstantia sententiarum nobilissimus. Conf. supra ad Argum. Satir.

Not. 346. *Nil ergo optabunt homines?* Vetabimus ergo homini vota? nihil minus: hæc objectio suo stat talo et magni ponderis est, siquidem omnis hominum vita (et maxima ejus voluptas), si rem accurate ad rationem voces, nihil aliud est, quam concatenata spei et votorum successio, qua demta homo quid erit, nisi iners stupor, nisi viva morte sepultus; sed vota exsuperantissimæ Dei providentiæ sunt accommodanda, quæ mens est Nostri, qui hac Satir. idem docet, quod in Enchiridio Epictetus, et in morali philosophia Stoici; Hennin.

Var. 347. *Permittas*, 13. 16.

Not. 347 seq. Σωκράτης εὔχετο πρὸς τοὺς θεοὺς ἁπλῶς τἀγαθὰ διδόναι, ὡς τοὺς θεοὺς κάλλιστα εἰδότας, ὁποῖα ἀγαθά ἐστι· τοὺς δὲ εὐχομένους χρυσίον, ἢ ἀργύριον, ἢ τυραννίδα, ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων, οὐδὲν διάφορον ἐνόμιζεν εὔχεσθαι, ἢ εἰ κυβείαν, ἢ μάχην, ἢ ἄλλο τι εὔχοιντο τῶν φανερῶς ἀδήλων, ὅπως ἀποβήσοιτο, Xenoph. Mem. Socr. I, 3, 2. Ἄνθρωποι δὲ μάταια νομίζομεν, εἰδότες οὐδέν· θεοὶ δὲ κατὰ σφέτερον πάντα τελοῦσι νόον, Theogn. Sent. vs. 141, 142. Θεοῖς εὔχου, οἷς ἔστι μέγα κράτος, οὔτ' ἄτερ θεῶν Γίγνεται ἀνθρώποις, οὔτ' ἀγαθ' οὔτε κακά, ibid. vs. 171, 172. Ipse Socrates apud Platon. Alcib. II, pag. 154, ed. Nürnbergeri: Δοκεῖ μοι φρόνιμός τις εἶναι ἐκεῖνος ὁ ποιητής, ὃς φίλοις ἀνοήτοις τισὶ χρησάμενος, ὁρῶν αὐτοὺς καὶ πράττοντας καὶ εὐχομένους ἅπερ οὐ βέλτιον ἦν, ἐκείνοις δὲ ἐδόκει, κοινῇ ὑπὲρ ἁπάντων αὐτῶν εὐχὴν ποιήσασθαι. Λέγει δέ πως ὡδί· Ζεῦ βασιλεῦ, τά μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις Ἄμμι δίδου, τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξειν κελεύει, et pag. 172. Τοῦτον μὲν τοίνυν καὶ Λακεδαιμόνιοι τὸν ποιητὴν ἐζηλωκότες, εἴτε καὶ αὐτοὶ οὕτως ἐπεσκεμμένοι, καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ ἑκάστοτε παραπλησίαν εὐχὴν εὔχονται, τὰ καλὰ ἐπὶ τοῖς ἀγαθοῖς τοὺς θεοὺς διδόναι κελεύοντες αὖ σφίσιν αὐτοῖς· πλεῖον δ' οὐδεὶς ἂν ἐκείνων εὐξαμένων ἀκούσειε. Conf. Valer. Max. lib. VII, cap. 2, ext. 1, et Pind. Pith. III, 106 seq.

Var. 348. *Quid* pro *sit*, 21.

Not. 349. *Pro jucundis*, pro iis, quæ nobis jucundissima videntur, vel quæ ad voluptatem spectant et maxime a nobis expeti solent.

Not. 350. Dii enim nobis dant utilia, etiam non petita; nos sæpe noxia votis expetimus.

Var. 351. *Impulsi*, 63. — *Cupidine capti*, 14, 17, aliique Codd. teste Heins. ad Ovid. Met. XIV, 229, qui nostram lectionem, ibid. lib. VIII, 123, multis illustravit exemplis. — *Cæca vanave cupidine* legisse vet. Schol. (cujus glossa est: *cæco sive vano desiderio*) non mihi persuasit Schurzfl. cui epitheton *magnaque* semper displicuit.

Not. 352, 353. Socrates, apud Platon. loc. laud. pag. 152. Εὐρήσεις δὲ καὶ περὶ τέκνων τὸν αὐτὸν τρόπον εὐξαμένους τινὰς ἤδη γενέσθαι, καὶ γενο-

μένων εἰς ξυμφοράς τε καὶ λύπας τὰς μεγίστας καταστάντας. Οἱ μὲν γὰρ, μοχθηρῶν διὰ τέλεος ὄντων τῶν τέκνων, ὅλον τὸν βίον λυπούμενοι διήγαγον· τοὺς δὲ, χρηστῶν μὲν γενομένων, συμφοραῖς δὲ χρησαμένων, ὥστε στερηθῆναι, καὶ τούτους οὐδὲν εἰς ἐλάττονας δυστυχίας καθεστηκότας ἤπερ ἐκείνους· καὶ βουλομένους ἂν ἀγένητα μᾶλλον εἶναι ἢ γενέσθαι.

Var. 354. *At tamen ut*, 13, 14, 17, 19—22, 24, 27, 47, et XXV Codd. Paris. *At tamen et*, 10. *Ac tamen ut*, 11. *Et tamen ut*, 16. *Ut tamen exposcas*, 18, 45.

Var. 355. *Thomacula*, 22, 48, 64. *Thomatula*, 17, 20, 23, 46. *Tomatula*, 24. *Stomachula*, 15, 16. *Thymatula* (a θύειν dicta) emend. Valla.

Not. 354, 355. Preces veterum plerumque simul vota erant. — *Tomacula* (*tomacinæ pernæ*, Varr. R. R. II, 4, § 10), Gr. τόμοι, seu τόμια, et τεμάχη, seu τεμάχια, pinguia quædam viscera, inpr. porcina, vel minutatim concisa, vel simpl. abscisa, qualia diis offerri solebant (unde hoc loco *divina*): sic dicta a τέμνω, vel τομάω. Cf. Mart. I, 42, 9; Petron. 31 et 49. — *Divina* dicuntur, quæcumque ad deos eorumque sacra spectant, vel diis offeruntur; unde *res divinæ* dicuntur sacrificia. — *Porcus* olim nuptiarum potissimum initio, et a Græcis Veneri immolabatur. Vid. Varr. R. R. II, 4, § 9, et Athen. III, 49, pag. 96, a.

Not. 356. Conf. Horat. Od. I, 31, 17 seq. et Senec. Epist. 10; Pers. II, 8, et Mart. X, 47.

Var. 357. *Et mortis* recte forsan, 24, 61, 62, 63, 65—69, 71—74.

Var. 358. Quidam post *ponat*, non post *Naturæ* distinguunt, præeunte vet. Schol.

Not. 357, 358. Conf. Virg. Georg. II, 490 sqq. ibique Heyn. Plat. Phædr. Plin. XXVIII, 1, seu 2, extr. Senec. Cons. ad Marc. cap. 20, ad Sil. II, 223 seq. 576; III, 134 seq. XIII, 883 seq. Stoici potissimum sapientis erat, non timere mortem, omniaque, quæ vitari nequeant. — *Spatium extremum*, finem, *vitæ*, mortem imminentem. Sic θανάτου τέλος, βιότοιο τελευτὴ, τέκμαρ, metæ ævi, Sil. X, 209, et similia: nam vitæ spatium comparari solet stadio decurrendo in Circo et finis vitæ, mors, metæ, νύσσῃ. Conf. Pind. Nem. VI, 13 (δραμεῖν ποτὶ στάθμαν); Virg. Æneid. X, 472, et XII, 546 (ubi vide Heyn.), et Koenig. ad Pers. III, 68.

Not. 359. Epicuri præceptum erat: Ἀνέχου καὶ ἀπέχου, et eris ἀναμάρτητος καὶ ἀμεταμέλητος.

Var. 360, 361. Absunt ab 11, et 22, prob. Schurzfl. si etiam vs. 362, ejiciatur, ne poeta ταυτολόγως dicat, *qui ferre queat quoscumque labores* et deinde, *qui potiores Herculis ærumnas credat sævosque labores*, etc Leguntur in scholiis antt. librisque tantum non omnibus, et ab interpolatoris ingenio illos esse profectos, vix crediderim. Pro *labores* tamen vs. 359, substituere malim *dolores*, quæ lectio in quibusdam reperitur editt. ut recentt. Farnabii.

Lubini et al. Nota Hein. est: «Talia ὁμοιοτέλευτα improbare etiam videtur Pers. Sat. I, 92, et Bentl. ad Horat. Od. I, 34, 5. Sed multa similia habet Schraderus ad Musæum, pag. 140. Tautologia vero ejusmodi est, ut facile ferri possit. Præterea hemistichion ex vs. 360, jam laudatur Macrobio Somn. Scip. I, 8. *Passiones ignorare, non vincere, ut* NESCIAT IRASCI, CUPIAT NIHIL. » — *Nil*, 24.

Not. 360. Etiam hæc stoicam spirant sapientiam. Confer Senec. de Ira, II, 6—8, et Horat. Epist. I. 6. Ex affectibus autem et perturbationibus animi, quæ vitam non patiuntur quietam esse et beatam, potiores tantum memorantur, ira et cupiditas.

Var. 361. *Scevosque*, 20.

Var. 362. *Plumis*, 13, 14, 16, 17, 20, 21, 22, 24—27, 46—50, 54, 55, 57—69, 71, 72, 73. *Et plumis, et cœnis*, 77. — *Sardanapalli*, 17—24, 45, 49, 64.

Not. 361, 362. Animum, qui variis, immo Herculeis, laboribus, quibus eluceat virtus et incrementa capiat, exerceri malit, quam ignavam in otio ac voluptatibus vitam agere. — *Sardanapalus*, ultimus Assyriæ rex, idemque mollissimus, unde hoc loco *plumis*, plumeis culcitis, hoc est, lectis mollibus.[1]

Not. 363, 364. Bonam mentem ac felicitatem ipse tibi parare poteris, studio virtutis ac sapientiæ, unde eas optare stultum est. Conf. Senec. Epist. 27, 41 et 80; Cicer. Nat. Deor. III, 36; Horat. Epist. I, 18, 111, 112, ibique Bentl. — *Semita vitæ tranquillæ*, via ad vitam tranquillam ac beatam. Μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος, etc. Hesiod. Op. et D. lib. I, 288 seq. Nam poeta videtur fuisse memor fabulæ, quam de Hercule commentus est Prodicus; de qua vide ad Silium, XV, 18 seq. et Kœnig. ad Pers. III, 56, 57.

Var. 365. *Nomen*, 16. Quidam Codd. Paris. et alii ap. Lact. Inst. III, 29 ubi poetæ nostri vss. 365 et 366 laudantur, non improb. Plathnero, qui comparavit verba Ciceronis: «Ignoratio rerum et causarum Fortunæ nomen induxit.» — *Nullum numen abest* (hoc est, omnes dii favent et adsunt iis, qui non temere, sed consilio et prudentia res gerunt), 13, 15, 16, 18—22, 24—27, 45—49, 54—59, 61, 62, 63, 65—69, 71, 72, 73, 77, et quatuor MSS. Paris. Sed nostra lectio hoc loco aptior est. *Nos te*, 1, 8, 11, 12, 70, 75, 76. *Sed te*, 10, 14—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77. *Tecum*, 13, ejecto vs. 366. In repetitione pronom. *nos* major vis inest. Ceterum, eadem lectionis varietas reperitur infra vs. 316, ubi hæc verba repetuntur, et apud Lactant. loc. laud.

Not. 365, 366. *Nullum numen*, nullam potestatem, *Fortuna* habet *in*

[1] Conf. Diod. lib. II, cap. 23 seq. Athen. lib. XII, cap. 7; Justin. lib. I, cap. 3; Vellei. lib. I, cap. 6; Baher. ad Cic. Tusc. Quæst. lib. V, cap. 35.

homines, minime in studiosos sapientiæ ac virtutis, qui animi cupiditatibus imperant, neque externa sectantur bona, quæ subjecta sunt fortunæ, sed animi, quæ vera sunt bona, neque a fortuna nobis auferri possunt : qui vero causas rerum non satis solerter explorant, pravisque cupiditatibus ducuntur, per imprudentiam res humanas non divina Providentia, sed Fortunæ arbitrio regi existimant, vel tacite quasi confitentur, et huic, tanquam auctori, tribuunt, quæ ipsis culpa sua contingunt. Conf. Plin. II, 7, et Senec. Epist. 98. — *Numen* poetis primum Dei voluntas, et quodcumque ejus indicium, monitum oraculumque, deinde ejus potentia ac majestas (ut forte hoc loco), vel auxilium, hinc vero Deus ipse, et denique illius vel natura, vel nomen quoque ac titulus dicitur.[1] Si tamen quis propter ea, quæ mox sequuntur, verba, *nos te facimus Deam*, vulgarem vocis notionem retinere malit (ut *nullum numen habes* sit idem quod nullum numen es, seu, non es Dea), equidem non magnopere repugnem. Ceterum hi versus Lact. Inst. III, 29, et infra XIV, 315, 316, repetuntur. Conf. Var. Lect. — *Locamus te* in *cælo*, locum tibi in cælo damus, hoc est, te in deos[2] referimus.



[1] Vid. Heyn. ad Virg. Æneid. I, 8, 133, 666; II, 123; III, 372; IV, 611; V, 56; VII, 119; VIII, 78; IX, 661; XI, 232; Burm. ad Ovid. Trist. II, 551, et IV, 2, 9.

[2] Cf. Heins. ad Ovid. Met. XV, 818.



N. B. Veniamus nunc ad loca quædam versionis carminibus gallicis expressæ, quæ supra nuntiavimus, pag. 50.

Vs. 56. Quosdam præcipitat subjecta potentia magnæ etc.

« Vois Séjan, vois la haine attachée aux grandeurs,
« D'un abyme, à ses pieds, ouvrir les profondeurs.
« Ses titres éclatans renflaient de longues pages:
« C'est un arrêt de mort; il tombe, et ses images,
« Ces monumens si fiers, avec lui condamnés,
« Roulent, par les bourreaux honteusement traînés.
« Vois les Romains en foule expier leur bassesse.
« Entends-tu retentir la hache vengeresse,
« Et les chevaux d'airain mutilés par le fer?
« Sous les soufflets bruyans, entends-tu siffler l'air?
« La forge, en frémissant, s'allume; le feu brille :
« Ce Séjan colossal dans les fourneaux pétille.
« Déjà coule à torrens le bronze révéré;
« Déjà ce front superbe et d'un peuple adoré,
« Ce front qui fut jadis le second de la terre,
« Et disputait l'encens aux maîtres du tonnerre,

« Devient vase, trépied, plat, cuvette, bassin.
« Va, cours, que des lauriers suspendus par ta main,
« De tes toits couronnés embellissent le faîte;
« Immole une victime et prépare une fête;
« Ce jour, pour les Romains, est un jour fortuné;
« Séjan, le fier Séjan, au supplice est traîné.
« Quel spectacle! on s'étonne, on célèbre sa chute:
« — Enfin, à ses fureurs je ne suis plus en butte;
« Je ne l'aimai jamais. Quels dédains! quel orgueil!
« Comme il laissait tomber un insolent coup d'œil:
« De quoi l'accuse-t-on? qu'a-t-il osé commettre?
« Où sont les délateurs, les témoins? — Une lettre
« Des roches de Caprée est venue au sénat.
« Sa prolixe longueur est un secret d'état. —
« J'entends, et ne veux pas en savoir davantage.
« Mais le peuple? — le peuple! Il suit l'antique usage.
« Quand on est condamné, peut-on être innocent?
« Il hait le malheureux, adore le puissant.
« Si le sort à Séjan n'eût pas été contraire;
« Du lion endormi dans son triste repaire,
« Si l'imprudent sommeil avait été surpris,
« Dans ce même moment, tout ce peuple à grands cris
« Saluerait empereur, ce Séjan qu'il outrage.
. . . .
« Hâtons-nous. Le cadavre est encor sur la rive,
« Courons, foulons aux pieds l'ennemi des Césars:
« Surtout que l'on nous voie; épions les regards,
« De peur qu'on ne le nie, et qu'un esclave traître
« N'ose devant le juge, et dès ce jour peut-être,
« Traîner, la hart au cou, son maître épouvanté.
« Tels étaient les discours de ce peuple agité. »

Vs. 141. . . . . Quis enim virtutem amplectitur ipsam? etc.

« Ce n'est pas la vertu, c'est la gloire qu'on aime;
« Otez la récompense, et la vertu n'est rien:
« Que de crimes commis pour ce fragile bien!
« Cette gloire, un vain nom, attachés à la pierre
« Qui couvre de la cendre, et garde une poussière!
« Encor ces titres vains seront-ils effacés,
« Et pour faire éclater les marbres dispersés,
« Que faut-il? d'un figuier les rampantes racines.
« Les tombeaux sont mortels; tout meurt jusqu'aux ruines.
« Approche, et descendons dans ces vieux monumens.
« Mon œil cherche Annibal. Eh quoi! ces ossemens,
« Cette poudre, c'est lui! que sa cendre est légère!
« Jadis il fut trop grand, pour que l'Afrique entière
« Le contînt: il s'élance hors de ses régions.
« A des peuples noircis par de brûlans rayons,
« Sa soif de conquérir ajoute encor l'Ibère.

« Des monts Pyrénéens il franchit la barrière :
« Les Alpes ont paru ; leurs sommets hérissés
« N'offrent que précipice, et des remparts glacés.
« Les frimats sont foulés sous sa marche rapide,
« Les rochers sont dissous par un mordant acide.
« Aux champs Ausoniens le voilà descendu ;
« Il y règne ; c'est peu. Vers le Tibre éperdu
« Il court : — Je n'ai rien fait, dit-il, si mes cohortes
« Rome, la hache en main, ne vont briser tes portes ;
« Je veux au Capitole arborer mes drapeaux.
« Artiste, prends la toile, et saisis tes pinceaux ;
« A travers des débris ensevelis sous l'herbe,
« Peins-nous, privé d'un œil, cet Africain superbe,
« Pressant les flancs tardifs d'un énorme éléphant.
« Mais ô gloire ! ô faiblesse ! il était triomphant ;
« Il est vaincu, chassé de royaume en royaume ;
« Il fuit, et d'un grand nom promenant le fantôme,
« D'un roi de Bithynie il va grossir la cour ;
« Et, veillant à sa porte, attendre qu'il soit jour :
« L'effroi de l'univers implore une audience.
« D'un beau trépas, du moins, s'il avait l'espérance !
« Celui qui fit pâlir cent peuples alarmés,
« Tombe-t-il sous l'effort des bataillons armés ?
« Est-ce le fer, le feu qui termine sa vie ?
« Il ébranla l'Europe, et l'Afrique, et l'Asie ;
« Un anneau met un terme à de si grands destins !
« Anneau vengeur de Canne, et vengeur des Latins ;
« Il expie en un jour le sang de vingt années.
« Va donc, cours, et franchis les Alpes étonnées,
« Pour charmer des enfans et d'apprentis rhéteurs,
« Sur tes exploits usés bruyans déclamateurs. »

Vs. 168. Unus Pellæo juveni non sufficit orbis : etc.

« Et ce jeune insensé, conquérant de la terre,
» Sur les rochers aigus d'une île solitaire,
« Comme si par le sort il était confiné,
« Dans les bornes du monde il est emprisonné ;
« Pleurant d'être arrêté dans sa course infinie,
« Cet étroit univers fatigue son génie.
« Babylone l'attend. Là, malgré son orgueil,
« Il tiendra tout entier sous les ais d'un cercueil.
« Homme ! tu veux en vain agrandir ta nature !
« Mets un pied dans la tombe, et connais ta mesure. »

Vs. 240. Ut vigeant sensus animi, ducenda tamen sunt etc.

« Mais je veux que le temps respecte sa raison,
« Qu'il n'ait point le malheur de survivre à lui-même ;
« Il faut voir le bûcher d'une épouse qu'on aime ;

« Il faut, environné des lugubres flambeaux,
« Escorter ses enfans au séjour des tombeaux,
« Voir périr ses amis, voir expirer ses frères,
« Voir ses sœurs remplissant les urnes funéraires.
« Sans cesse à ses côtés frappant de nouveaux coups,
« La mort par un trépas les renouvelle tous.
« Ah! l'homme est trop puni de sa longue carrière!
« Errant sur les débris de sa famille entière,
« Il promène ses pleurs de cercueil en cercueil,
« Sèche dans l'amertume, et vieillit sous le deuil. »

Vs. 346. Nil ergo optabunt homines? — Si consilium vis, etc.

« L'homme ne pourra donc jamais former de vœux!
« Laisse tes intérêts entre les mains des dieux,
« Crois-moi, reposons-nous sur leur bonté suprême;
« L'homme est plus cher aux dieux, qu'il ne l'est à lui-même.
« Nous cherchons ce qui plaît; eux pèsent nos besoins;
« Dévoré de désirs, et tourmenté de soins,
« Tu voudrais une femme, un fécond hyménée;
« Mais le regard des dieux lit dans ta destinée;
« Il voit ce que seront ton épouse et tes fils.
« Si pourtant, si tu veux dans leur sacré parvis,
« Ardent solliciteur d'une grâce nouvelle,
« Une offrande à la main aborder leur chapelle,
« Demande un esprit sain dans un corps vigoureux,
« Une âme à qui la mort soit un bienfait des dieux,
« Sachant dompter la crainte, et vaincre la colère,
« Qui ne désire rien, supporte tout, préfère
« Les longs travaux d'Hercule et ses âpres combats,
« Aux jeux, aux voluptés, aux festins délicats,
« Au duvet, où les rois endorment leur mollesse.
« La route du bonheur, crois-moi, c'est la sagesse.
« De ton propre destin, c'est à toi d'ordonner;
« Je te montre des biens que tu peux te donner.
« Qu'as-tu besoin des dieux si ta raison t'éclaire!
« Fortune! des humains fantôme tutélaire!
« Nos vices t'ont placée au rang des immmortels;
« Que l'homme ait des vertus, tu seras sans autels. » ED.

SATIRÆ UNDECIMÆ

ARGUMENTUM.

Lauta reprobamus convivia, parca probamus.
Lauta reprendantur (al. *reprehenduntur*) convivia, parca probantur.

LUXUS. — DE COMPARATIONE VICTUS. — IN LUXURIOSOS IN CIBO. — AD PERSICUM AMICUM SUUM. — DE SUPERFLUO APPARATU CIBORUM.

Juvenalis ad frugalem cœnam Persicum, amicum suum, invitaturus primum perstringit stultitiam eorum, qui lautiores parent epulas, quam facultatum suarum modus ferat, donec, absumpto omni patrimonio, redigantur ad mendicitatem, quæ vel vitam ac potissimum senectutem ipsa morte graviorem efficiat, vel eos cogat patria cedere, ne a creditoribus sæpe elusis comprehendantur, vs. 1—55. Quibus præmissis, fercula a se parata, una cum supellectile ac ministris, recenset. Cibos dicit esse inemptos, et in villa Tiburtina natos, hœdulum, gallinam, ova, asparagos, uvas, pira et mala, quæ olim luxuriosa fuerit cœna senatorum, clarissimorumque Romanæ gentis nominum, Curii, Fabiorum, Catonis, Scaurorum, Fabriciorum aliorumque (56—92); supellectilem non magnificam, testudineam, argenteam, auream, citream, vel eburneam, sed simplicem, æream, ligneam, fictilem, osseam, mensas nuceas et domi natas (94—135); servos, non perite opsonia scindentes, nec peregrinos et care emptos, vel bene comptos, ornatos et doctos, sed rudes et italos, pastoris et bubulci filios, indutos crasso eodemque vestitu, nec nisi nunc propter convivia pexos, at ingenui vultus ac pudoris, castos et libidinis ignaros, qui viles calices et vina patria porrecturi sint, 136—161. Præterea non lascivas saltationes et cantilenas Gaditanarum puellarum, sed honestiora Persico promittit acroamata, recitationes carminum Homeri et altisoni Maronis, 162—180. Denique ab amico petit, ut omnibus dimissis curis hilari animo et, dum omnis Roma ad ludos Megalesiacos spectandos in circum effusa sit, jam sexta hora veniat : quod sine pudore fieri posse monet, quum nonnunquam fas sit genio indulgere, et rariori usu voluptates commendentur, 181—208.

SATIRÆ UNDECIMÆ
ANALYSIS.

Satira pulcherrima, qua frugalitas prædicatur et damnatur luxus, maxime eorum, qui, immemores aurei præcepti γνῶθι σεαυτόν, facultatum suarum modum transeunt. Sabinus suspicabatur, Juvenalem in Epicuri sectam invehi; Calderinus contra, ab eo otium et frugalitatem laudari ex sententia hujus philosophi, qui veram vitam in mentis tranquillitate virtutisque posuerit exercitio, eique frugalitatem quam maxime convenire existimaverit.

SATIRA UNDECIMA.

Atticus eximie si cœnat, lautus habetur;
Si Rutilus, demens: quid enim majore cachinno
Excipitur vulgi, quam pauper Apicius? omnis
Convictus, thermæ, stationes, omne theatrum
De Rutilo: nam dum valida ac juvenilia membra
Sufficiunt galeæ, dumque ardent sanguine, fertur,
Non cogente quidem, sed nec prohibente tribuno,
Scripturus leges et regia verba lanistæ.
Multos porro vides, quos sæpe elusus ad ipsum
Creditor introitum solet exspectare macelli,
Et quibus in solo vivendi causa palato est.
Egregius cœnat meliusque miserrimus horum,
Et cito casurus jam perlucente ruina.

SATIRÆ UNDECIMÆ INTERPRETATIO.

Si Atticus epulatur opipare, homo splendidus et magnificus existimatur: si Rutilus hoc idem facit, dementem illum prædicamus. Quid enim est quod vulgus majori cachinno excipiat carpatque, quam pauperem Apicium? In ore omnium Rutilus est; frequens de illo sermo in conviviis, in balneis, in theatro, in plateis et conventibus: quippe qui, post fortunas in ganeis dilapidatas, dum validi ac juvenales artus cassidi ferendæ pares sunt, et dum sanguine adhuc integro fervent, vadit ad ludum gladiatorium, ut ibi a magistro artis rationem tractandorum armorum, et imperiosa ediscat scribendo præcepta, quibus ad ludicram pugnam tirones instituuntur, fame quidem impulsus; non coactus a tribuno, non tamen ab eodem prohibitus. Multos videre est, quos sui creditores sæpe antea decepti, opperiuntur in ipso macelli aditu; qui videntur ob unius gulæ causam vivere, scilicet ut edant ac bibant. Quo quis inter illos est perditior, et jam propior imminenti ruinæ, eo melius et lautius

Interea gustus elementa per omnia quærunt,
Numquam animo pretiis obstantibus : interius si
Attendas, magis illa juvant, quæ pluris emuntur.
Ergo haud difficile est, perituram arcessere summam
Lancibus oppositis, vel matris imagine fracta,
Et quadringentis numis condire gulosum
Fictile : sic veniunt ad miscellanea ludî.
Refert ergo, quis hæc eadem paret : in Rutilo nam
Luxuria est, in Ventidio laudabile nomen
Sumit, et a censu famam trahit. Illum ego jure
Despiciam, qui scit, quanto sublimior Atlas
Omnibus in Libya sit montibus; hic tamen idem
Ignorat, quantum ferrata distet ab arca
Sacculus. E cælo descendit, Γνῶθι σεαυτὸν,

vescitur. Interim donec suppetunt nummi, gulæ irritamenta et ciborum delicias in aere, mari, terra, consectantur, et ex omnibus elementis corrogant; neque ullius pretii magnitudine, et caritate ullius obsonii quod illis arriserit, deterrentur ab emendo : quin, si rem diligentius expendas, ea fercula magis eos delectant, quæ majori pretio coemuntur. Neque vero admodum laborant, quemadmodum pecuniam male perdendam comparent, quippe qui non dubitent eam a creditoribus mutuari, datis pignori patinis aureis argenteisve, ac reliqua domestica supellectili; concisis etiam frustatim et comminutis parentum suorum statuis : neque cunctantur in unum aliquod obsonium fictili patinæ, quandoquidem aliæ pignori sunt datæ, impositum, quadringenta sestertia impendere. Ita, dissipatis brevi fortunis, eo deveniunt isti gulosi, ut histriones evadant, ac personam in miscellaneis ludis agant.

21. Interest igitur, quis laute ac splendide vescatur : id enim si Rutilus faciat, luxui et intemperantiæ deditus esse dicetur; si Ventidius, honeste ac laudabiliter agere prædicabitur; idemque vitium, quia fit a divite, nomen virtutis induet. Mihi vero ille parum sapere merito videbitur, qui norit quanto altior ceteris Africæ montibus sit Atlas, neque tamen sciat quantum sit discriminis inter ingentem arcam ferro munitam, et exiguam crumenam. Præclara illa vox et sententia, *Nosce te ipsum*, e cœlo ad nos demissa est; oportet illam altis mentibus reponere, illiusque semper meminisse, seu ducere uxorem co-

Figendum et memori tractandum pectore, sive
Conjugium quæras, vel sacri in parte Senatus
Esse velis: nec enim loricam poscit Achillis
Thersites, in qua se transducebat Ulixes.
  Ancipitem seu tu magno discrimine causam
Protegere affectas, te consule; dic tibi, qui sis,
Orator vehemens, an Curtius et Matho buccæ.
Noscenda est mensura tui spectandaque rebus
In summis minimisque, etiam quum piscis emetur,
Ne mullum cupias, quum sit tibi gobio tantum
In loculis: quis enim te, deficiente crumena
Et crescente gula, manet exitus, ære paterno
Ac rebus mersis in ventrem, feneris atque
Argenti gravis et pecorum agrorumque capacem?
Talibus a dominis post cuncta novissimus exit
Annulus, et digito mendicat Pollio nudo.
Non præmaturi cineres, nec funus acerbum
Luxuriæ; sed morte magis metuenda senectus.

gites, sive in senatus sancti partem cooptari velis. Quippe Thersites Achillis demortui arma non ausus est poscere, suæ sibi videlicet ignaviæ conscius, quibus ferendis ne ipse quidem Ulysses par, quum ea induit, ludibrio est habitus.

32. Ad hunc modum tu, quum periculosam et dubiam defendere causam meditaberis in foro, tuas vires expende; temet ipse inspice; an eloquens peritusque sis patronus, an Curtio et Mathoni, buccis loquacibus, similis. Mensuram tui ingenii, facultatis attende, si quid majoris minorisve negotii suscipias, etiam quum piscem emes, ne mullum appetas, quando gobionis pretium duntaxat habebis in crumena. Quorsum enim, quæso, evades, quum, exhaustis opibus, augebitur lautiorum dapum appetentia? Quum patrimonium et fortunas omnes conjeceris in tuum abdomen, quod instar voraginis usuras, vasa argentea, greges, fundos, absorbet ac devorat? Ejusmodi helluones, post omnia bona consumpta, coguntur denique vendere suum annulum; eoque exutam Pollio manum protendit ad stipem corrogandam. Illis ganeonibus non tam præcox et intempestiva mors, quam senectus ipsa est pertimescenda. Porro ad ex-

Hi plerumque gradus: conducta pecunia Romæ
Et coram dominis consumitur; inde ubi paulum,
Nescio quid, superest, et pallet feneris auctor,
Qui vertere solum, Baias et ad ostrea currunt.
Cedere namque foro jam non est deterius, quam
Esquilias a ferventi migrare Subura.
Ille dolor solus patriam fugientibus, illa
Mœstitia est, caruisse anno Circensibus uno.
Sanguinis in facie non hæret gutta: morantur
Pauci ridiculum effugientem ex Urbe pudorem.
Experiere hodie, numquid pulcherrima dictu,
Persice, non præstem vita, vel moribus, et re;
Sed laudem siliquas occultus ganeo; pultes
Coram aliis dictem puero, sed in aure placentas.
Nam quum sis conviva mihi promissus, habebis

tremam egestatem et miseriam istis fere gradibus deveniunt: primum nummos accipiunt mutuos, quos Romæ dilapidant, inspectantibus ipsis creditoribus: postquam illa pecunia tota ferme consumpta est, incipitque fenerator metuere, ne sortem perdat, tum isti nebulones Romam exsilio voluntario deserunt, demum ad Baïanum Ostiensemve portum fugiunt. Nam decoquere, ac forum argentarium relinquere, nemini videtur nunc turpius, quam ab una urbis regione ad alteram, a Suburra, ubi æstas et calor est gravior, in Esquilias frigidiores demigrare: unum id exsules isti dolent, quod Circenses ludos unius anni, quo abfuturi sunt Roma, spatio non spectabunt: ceterum, quod decoxerint, quod patriam deseruerint, nulla pars faciei erubescit. Quotus enim quisque tandem est, qui pudorem Roma jam exsulare compulsum, et ab omnibus irrisum, retinere curet?

56. Intelliges hodierna die, o Persice, an præclaras istas frugalitatis leges observem reipsa; utrum in moribus meis, ac vivendi ratione veluti repræsentem ea, quæ verbis et magnifica oratione prædicavi; an olera, et viles cibos palam collaudem, interim dum clam vescor lautioribus; an quum invisunt me amici, clara voce jubeam a servo parari mihi in cœnam pultes; voce dein submissa, eidem ut placentas apponat, imperem. Quum enim promiseris te

Evandrum; venies Tirynthius, aut minor illo
Hospes, et ipse tamen contingens sanguine cælum;
Alter aquis, alter flammis ad sidera missus.
Fercula nunc audi nullis ornata macellis.
De Tiburtino veniet pinguissimus agro
Hædulus, et toto grege mollior, inscius herbæ,
Necdum ausus virgas humilis mordere salicti,
Qui plus lactis habet, quam sanguinis; et montani
Asparagi. posito quos legit villica fuso.
Grandia præterea tortoque calentia fœno
Ova adsunt ipsis cum matribus, et servatæ
Parte anni, quales fuerant in vitibus, uvæ;
Signinum Syriumque pyrum; de corbibus îsdem
Æmula Picenis et odoris mala recentis,
Nec metuenda tibi, siccatum frigore postquam
Auctumnum, et crudi posuere pericula succi.

domi meæ cœnaturum, eadem frugalitate a me accipieris, qua Evander accepit Herculem, aut Æneam minorem Hercule hospitem, divos tamen cognatione attingentem; utrumque diversa morte ads·riptum Superis, hunc aquis demersum, illum flammis assumptum.

64. Accipe nunc quas tibi sim appositurus dapes, non illas quidem exquisitas, et arte multa in macello præparatas. Hœdus parvus et præpinguis mensæ inferetur, et natus in agro Tiburtino; reliquis ejusdem gregis hœdulis tenerior, qui nondum herbam degustavit; nec momordit ramulos humilium salicum; in quo major lactis copia quam sanguinis est: apponentur deinde asparagi quos in montibus, deposita ad tempus colo, decerpsit mea villica: non aberunt ova grandiora, et adhuc a nido torti fœni calida, simulque gallinæ quæ illa ediderunt: addam uvas, quæ licet ab aliquo tempore jam lectæ fuerint, ita diligenter tamen asservatæ sunt, ut videantur adhuc e suis palmitibus pendere: educam ex eodem promiscue canistro pyra nata in Signiæ arvis, et alia ex eorum genere quæ primum e Syria in Italiam advecta sunt: itemque poma cum Picenis certantia, quibus inest idem odor ac si essent recentia, et quæ nihil habent noxium, quia crudum et periculosum succum, quem autumno contraxerant,

Hæc olim nostri jam luxuriosa Senatus
Cœna fuit. Curius, parvo quæ legerat horto,
Ipse focis brevibus ponebat oluscula, quæ nunc
Squalidus in magna fastidit compede fossor,
Qui meminit, calidæ sapiat quid vulva popinæ.
Sicci terga suis, rara pendentia crate,
Moris erat quondam festis servare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente nova, si quam dabat hostia, carne.
Cognatorum aliquis, titulo ter Consulis atque
Castrorum imperiis et Dictatoris honore
Functus, ad has epulas solito maturius ibat,
Erectum domito referens a monte ligonem.
Quum tremerent autem Fabios, durumque Catonem,
Et Scauros, et Fabricios, rigidique severos
Censoris mores etiam collega timeret,

hiemis frigore coxerunt ac mitigarunt. Ita cœnabant nostri pridem senatores, iis etiam temporibus quibus a priscorum Romanorum frugalitate deficere cœperant. Curius aliud nihil cœnabat, quam legumina, quæ in horto suo ipse collegerat, et exili coxerat foco: quæ nunc aspernantur etiam sordidi servi, qui catenis longioribus vincti humum ruri fodiunt, et qui non sunt obliti, quam bonum saporem habeat vulva suis in popina ferventi præparata. Olim solebant majores nostri servare ad dies festos solemnibus epulis celebrandos dorsum porcinum sublime suspensum in crate lignea, ut exsiccaretur; et quum affines die suo natali ad convivium invitabant, apponebant ipsis nihil præter lardum, et aliquid recentis carnis, si quid ex immolata forte hostia restaret. Ad ejusmodi cœnam, tanquam ad opimum convivium, unus aliquis e propinquis, licet consulatu ter functus, licet maximis præfuisset exercitibus, et dictaturam honorandam gessisset, properabat horam cœnæ solitam antevertens, et ligonem, quo montanum arvum prosciderat, humeris impositum gestans.

90. Sane istis temporibus, quibus quisque sibi metuebat, ne reprehenderetur et multaretur a Fabiis, Catonibus, Scauris et Fabriciis; quum ipse censor a sui collegæ severitate ac censura tutus non

Nemo inter curas et seria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,
Clarum Trojugenis factura ac nobile fulcrum:
Sed nudo latere, et parvis frons ærea lectis
Vile coronati caput ostendebat aselli,
Ad quod lascivi ludebant ruris alumni.
Tales ergo cibi, qualis domus atque supellex.
Tunc rudis et Graias mirari nescius artes,
Urbibus eversis, prædarum in parte reperta
Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Ut phaleris gauderet equus, cælataque cassis
Romuleæ simulacra feræ mansuescere jussæ
Imperii fato, geminos sub rupe Quirinos,
Ac nudam effigiem clypeo venientis et hasta
Pendentisque Dei perituro ostenderet hosti:
Argenti quod erat, solis fulgebat in armis:

esset; tunc, inquam, nemo, quasi rem seriam, et alicujus momenti, curavit exquirere, quales et quantæ in Oceano caperentur testudines, e quarum conchis in laminas desectis ornarent lectorum fulcra Romani proceres: erant inornatæ cubilium spondæ et nuda latera, ipsi lectuli angusti, et in eorum anteriori parte asini vile caput ex ære visebatur, floribus redimitum, circa quod infantes rustici proterve colludebant. Huic igitur supellectili ac domui consentanea erant mensarum fercula. Tunc milites nostri parum in æstimandis Græcorum artificum eximiis operibus periti, et ejusmodi rerum contemptores, si quam diripuissent urbem, cujus in spoliis elaborata reperissent ab egregiis opificibus vasa, eadem perfringere non dubitabant, ut ex iis bullas et alia id genus equorum ornamenta conficerent, ut suas galeas insignirent cælata effigie aliqua, scilicet lupæ, quæ deponens nativam feritatem, ita jubentibus imperii Romani fatis, Romulum aluit: item geminorum fratrum Remi et Romuli, sub Quirinalis montis rupe jacentium: aut Martis, bellorum præsidis dei, qui nudus cum hasta et clypeo quasi exstare cerneretur e galea, hostique velut imminens, illi exitium intentare. Si quid illis argenti erat, hoc armis duntaxat ornandis adhibebant. Tales igitur ac tanti viri, quorum fortitudini, famæ ac felicitati jure

Ponebant igitur Tusco farrata catino
Omnia tunc, quibus invideas, si lividulus sis.
Templorum quoque majestas præsentior, et vox
Nocte fere media mediamque audita per Urbem,
Litore ab Oceani Gallis venientibus, et Dîs
Officium vatis peragentibus, his monuit nos.
Hanc rebus Latiis curam præstare solebat
Fictilis et nullo violatus Jupiter auro.
Illa domi natas nostraque ex arbore mensas
Tempora viderunt; hos lignum stabat in usus,
Annosam si forte nucem dejecerat Eurus.
At nunc divitibus cœnandi nulla voluptas,
Nil rhombus, nil dama sapit; putere videntur
Unguenta atque rosæ, latos nisi sustinet orbes
Grande ebur, et magno sublimis pardus hiatu,
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,
Et Mauri celeres, et Mauro obscurior Indus,

invideat quicumque aliqua tangi potest invidia, mensæ apponebant confecta e simplici farre cibaria omnia in vasis Tusciæ fictilibus.

111. In eorum etiam templis majestatem suam et præsentiam Superi evidentius declarabant; quod maxime intellectum est, quum Galli ab occiduo littore oceani irruperunt in Italiam; tunc enim auditæ voces fuerunt nocte intempesta, media in urbe Roma, quibus adventare Galli nuntiabantur, Superis ipsis vatum erga Romanos munere fungentibus. Sic nos de imminenti exitio admonebat, sic Romanam rem curabat Jupiter, quum ejus statuæ duntaxat ex argilla confectæ essent, necdum auro conflatæ, vel potius inquinatæ. Illis temporibus mensæ fiebant ex arboribus in Italia natis, et quasi domesticis. Si forte vetulam nucem ventus prostravisset, ejus truncum ad mensam fabricandam reservabant. At nunc Romani locupletes cibum capere cum voluptate non possunt, nullius saporis esse rhombos ac damas, odoris nullius unguenta suavissima, ipsasque rosas putant, nisi mensas ingentes fulciant pedes eburnei, pardorum hiantium figuram in summa parte referentes, et ex ebore candidissimo fabricati, quale deportatur ex Elephantide insula, prope Syenen sita; e Mauritaniæ celeribus incolis; ex ipsa India

Et quos deposuit Nabatæo bellua saltu,
Jam nimios capitique graves. Hinc surgit orexis,
Hinc stomacho bilis : nam pes argenteus illis,
Annulus in digito quod ferreus. Ergo superbum
Convivam caveo, qui me sibi comparat, et res
Despicit exiguas : adeo nulla uncia nobis
Est eboris, nec tessellæ, nec calculus ex hac
Materia; quin ipsa manubria cultellorum
Ossea : non tamen his ulla umquam opsonia fiunt
Rancidula, aut ideo pejor gallina secatur.
Sed nec structor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula, discipulus Trypheri doctoris, apud quem
Sumine cum magno lepus, atque aper, et pygargus,
Et Scythicæ volucres, et phœnicopterus ingens,
Et Gætulus oryx, hebeti lautissima ferro
Cæditur, et tota sonat ulmea cœna Subura.
Nec frustum capreæ subducere, nec latus Afræ

cujus populi Mauris nigriores; aut ex silvis Nabatæorum, in quibus elephanti dentes jam nimios et capiti graviores deponunt. Ex eo nimirum quod ejusmodi pedibus nitatur mensa, nascitur appetentia ciborum, hinc vires adduntur stomacho ad cibos facilius digerendos. Itaque non minus turpe jam ducitur mensam habere domi pede sustentatam argenteo, quam annulum in manu ferreum gestare. Ego vero lautos ejusmodi et arrogantes convivas fugio, qui, meam tenuitatem scilicet cum suis opibus ac deliciis comparantes, eam contemnunt : nam apud me ne uncia quidem eboris est, non tesseræ, non calculi eburnei sunt, immo ipsi cultrorum capuli sunt ex osse : neque tamen idcirco meæ dapes rancidæ ac deteriores fiunt, non pejorem habent saporem gallinæ, quia istis cultellis scinduntur. Sed neque aderit apud me servus, qui mensam instruat, cibos scite apponat ac secet, illis omnibus peritior, qui artem ferculorum secandorum docentur in schola Trypheri, in qua magna sumina, lepores, apri, pygargi, phasiani Scythici, ingentes phœnicopteri, Gætuli oryces, et alia lautæ cœnæ fercula, ex ulmeis virgis confecta, ligneis quoque et obtusis cultris secantur, non sine fragore, quo Suburra tota perstrepit. Structor meus, in hac arte valde

Novit avis noster tirunculus ac rudis omni
Tempore, et exiguæ frustis imbutus ofellæ.
Plebeios calices et paucis assibus emtos
Porriget incultus puer, atque a frigore tutus:
Non Phryx aut Lycius, non a mangone petitus
Quisquam erit et magno: quum posces, posce Latíne.
Idem habitus cunctis, tonsi rectique capilli,
Atque hodie tantum propter convivia pexi.
Pastoris duri hic est filius, ille bubulci.
Suspirat longo non visam tempore matrem,
Et casulam, et notos tristis desiderat hædos
Ingenui vultus puer, ingenuique pudoris,
Quales esse decet, quos ardens purpura vestit;
Nec pugillares defert in balnea raucus
Testiculos, nec vellendas jam præbuit alas,
Crassa nec opposito pavidus tegit inguina gutto.

tyro et rudis, non callet quemadmodum apte et decenter oporteat eximere partem aliquam capreæ tostæ, aut alam gallinæ Numidicæ, quippe qui nunquam ista didicerit, neque artis istius coquinariæ tyrocinium aliud fecerit, quam in frustulis quibusdam carnis sectæ torrendis ac parce dividendis. Ministrabit nobis rusticanus puer et incomptus, dabitque cyathos vilis pretii, quibus uti plebs solet, ipse crassa tectus veste, quantum ad arcendum frigus sufficiat: nullum e Phrygia videbis petitum, aut Lycia, vel magno pretio emptum a mancipiorum venditore: si quid ab ipso, quum ministrabit, postulabis, fac loquaris latine, neque enim scit, ut nobilium servi, græce dicere. Neque aliis meis mancipiis elegantius erit vestitus, omnibus eadem quippe vestis est: omnium comæ attonsæ sunt et rectæ, sine cincinnis et ornatu; easque tantum hodie, propterea quod habeo te convivam, pectent. Hic pastore meo genitus est, ille bubulco; liberali puer vultu et pudorem spirante, quali convenit eos esse qui togam prætextam, et limbo purpureo insignitam gestant, mœret quod a suo tugurio, a matre jamdiu relicta, ab hœdis notis, divulsus sit, eosque revisere cupit! nec in balnea cum voce rauca prægrandes defert testiculos, nec alarum pilos jam vellendos præbuit, nec pavidus amplum inguen opposito

Hic tibi vina dabit, diffusa in montibus illis,
A quibus ipse venit, quorum sub vertice lusit;
Namque una atque eadem est vini patria atque ministri.
Forsitan exspectes, ut Gaditana canoro
Incipiat prurire choro, plausuque probatæ
Ad terram tremulo descendant clune puellæ,
Irritamentum Veneris languentis, et acres
Divitis urticæ : major tamen ista voluptas
Alterius sexus; magis ille extenditur, et mox
Auribus atque oculis concepta urina movetur.
Non capit has nugas humilis domus. Audiat ille
Testarum crepitus cum verbis, nudum olido stans
Fornice mancipium quibus abstinet; ille fruatur
Vocibus obscœnis omnique libidinis arte,
Qui Lacedæmonium pytismate lubricat orbem :
Namque ibi Fortunæ veniam damus. Alea turpis,

olei vasculo contegit. Hic vinum tibi miscebit, lectum in iis, ubi est educatus ipse, collibus, in quibus antea ipse puerulus ludebat; neque alia vini ac ministrantis illud, patria est.

162. Noli porro exspectare dum aliqua puella petulans, e Gadibus advecta, in medio saltantium canentiumque cœtu incipiat pruritum libidinis imitari, et plausibus approbatæ crebris cæteræ puellæ lumbos natesque lascive motas ad terram demittant : hæc omnia languidos divitum animos ad venerem irritant, et acribus stimulis, tanquam urticis interioribus, pungunt atque incendunt. Tamen voluptas ex isto spectaculo concepta longe major est in altero sexu, qui magis erigitur, inflammatur, et statim ac aures cantilenis, oculos saltationibus intentos dederit, ardentem urinam erumpentemque non retinet. Hæ deliciarum inanes illecebræ humili, qualis nostra est, domui non conveniunt : ille audiat testarum inter se collisarum crepitus (*les castagnettes*); audiat spurcas voces quibus uti non ausa fuerit serva scortorum in fœtido lupanaris fornice nuda prostans; ille fruatur obscœnis sermonibus, et suam libidinem modis artibusque omnibus irritet, qui superbum pavimentum Lacedæmonii marmoris orbibus stratum pytismate repetito aspergit et lubricat : nam illi ignoscimus, quasi cuncta per divitias

Turpe et adulterium mediocribus : hæc eadem illi
Omnia quum faciant, hilares nitidique vocantur.
Nostra dabunt alios hodie convivia ludos :
Conditor Iliados cantabitur, atque Maronis
Altisoni dubiam facientia carmina palmam.
Quid refert, tales versus qua voce legantur?
Sed nunc dilatis averte negotia curis,
Et gratam requiem dona tibi, quando licebit
Per totam cessare diem : non feneris ulla
Mentio, nec, prima si luce egressa, reverti
Nocte solet, tacito bilem tibi contrahat uxor,
Humida suspectis referens multicia rugis,
Vexatasque comas, et vultum auremque calentem.
Protenus ante meum, quidquid dolet, exue limen;
Pone domum, et servos, et quidquid frangitur illis,
Aut perit : ingratos ante omnia pone sodales.

liceant. Turpis est alea, turpe adulterium homini mediocris fortunæ et conditionis : si dives eadem admittat flagitia, homo lautus elegansque censebitur. Longe alios tibi ludos convivium nostrum hodie exhibebit; alias præbebit oblectationes. Homeri versus recinentur, et præclara Virgilii carmina, quæ merito dubitationem afferunt, utri palma poeseos tribuenda sit. Quid interest, quænam vox adhibeatur istis versibus recitandis, qui per se videlicet adeo canori præstantesque sunt?

181. Age igitur, negotia et curas in aliud tempus differ, et nonnihil gratæ quietis indulge tibi, si quidem a negotiis vacare et feriari per totam istam diem fas erit : omnem de usurarum lucro cogitationem ac sermonem valere jube, nec stomachum tibi silenti moveat uxor tua, si primo egressa mane domum serius redire solet; si referat vestem bombycinam quæ rugis pluribus vexata et humida suspicionem adulterii prodat; si capillos turbatos cum vultu calido, cum auribus rubentibus ad te reportet. Quid multa? quidquid afferre tibi mœrorem potest, in limine mearum ædium depone; omnem de rebus domesticis; de famulis, quæcumque frangere vel disperdere soleant; præsertim vero de amicorum ingrato animo, sollicitudinem ac dolorem abjice.

Interea Megalesiacæ spectacula mappæ
Idæum solenne colunt, similisque triumpho
Præda caballorum Prætor sedet, ac, mihi pace
Immensæ nimiæque licet si dicere plebis,
Totam hodie Romam circus capit; et fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni.
Nam si deficeret, mœstam attonitamque videres
Hanc urbem, veluti Cannarum in pulvere victis
Consulibus. Spectent juvenes, quos clamor et audax
Sponsio, quos cultæ decet adsedisse puellæ;
Spectent hoc nuptæ juxta recubante marito,
Quod pudeat narrasse aliquem præsentibus ipsis.
Nostra bibat vernum contracta cuticula solem
Effugiatque togam. Jam nunc in balnea, salva
Fronte, licet vadas, quamquam solida hora supersit

191. Dum nos epulis frugalibus operam ita dabimus, alii spectabunt ludos solenni pompa in honorem Idææ Matris celebrari, et per suspensam in Circo mappam denuntiari solitos. Prætor habitu cultuque triumphantium insignis curru insidebit, equis undecumque per vim ablatis, quibus ad hæc spectacula edenda plurimis est opus. Tota hodie Roma, quod pace tam numerosi populi dixerim, in circum confluet: jam exaudire videor clamores inconditos, e quibus conjicio victorem discessisse aliquem e viridis panni factione, quæ si ab æmulis factionibus vinceretur, Romam cerneres mœrore ac stupore confectam, haud aliter atque olim, quum in Cannensi prælio duo consules profligati fuerunt. Istis, per me licet, spectaculis intersint adolescentes, quos delectat strepitus, quos juvat sponsionem cum obvio quolibet facere de variis ludorum eventibus; qui captant locum, ubi mulierculis politioribus assideant: nuptæ etiam intersint cum marito juxta recubante, et spectent illa quæ nemo coram ipsis narrare gesta sine pudore possit. Nos, utpote seniores, rugosam cutem soli verno et clementi exponamus, et urbis ac togatæ vitæ molestias devitemus. Potes jam balneum petere, quamvis hora sit post ortum solis duntaxat quinta, idque impune, ac nullius reprehensionem metuens. Sane horam balnei solitam antevertere, ac genio, ut a nobis hodie paulisper fiet, indulgere

Ad sextam: facere hoc non possis quinque diebus
Continuis, quia sunt talis quoque tædia vitæ
Magna. Voluptates commendat rarior usus.

vix posses diebus quinque continuatis: magnam quippe hæc vivendi ratio satietatem afferre solet. Voluptates ut sint gratæ, rariores esse debent.



VARIÆ LECTIONES

ET NOTÆ

IN SATIRAM UNDECIMAM.

Notæ. 1, 2. Conf. IV, 13, 14, et VIII, 182. — *Atticus* hoc loco, pro quovis nobili ac divite; qualis fuit ille T. Pomponius, qui vel tironibus ex Nepote et Cicerone notissimus est. — *Lautus*, splendidus et magnificus, qui ita vivit, ut solent nobiles ac divites, utque eos decet.

Variæ lectiones. 2. *Rutulus*, 11, 23, 27, 58, 64, 66, 67, non improb. Schurzfleisch.

Not. 2. *Rutilus* pro quovis paupere divites æmulante. [1]

Var. 3. *Accipitur*, 24. — *Apitius*, 18, 21, 22, 23, 48, 58.

Not. 2, 3. Vide ad III, 152. — *Apicius* pro homine luxurioso, seu guloso; vide ad IV, 23.

Var. 4. *Convinctus*, 11, ut alibi *thensaurus*, *formonsus*, et infra vs. 28, *fugendum*. *Conventus*, 15, 16, et alii Codd. quos laudant Pontan. Analect. II, 11, et Barth. Advers. XLII, 16. *Conventus*, *turmæ*, *stationes*, *omne tribunal* in MS. aliquo se legisse dicit Lips. Epist. Quæst. II, 9.

Not. 4. *Convictus*, convivia, hoc est, omnes, qui in conviviis sunt, ut mox *thermæ*, *stationes*, et *theatrum*. [2] — *Thermæ* hoc loco, vel proprie dicuntur, et quidem homines, ibi convenientes, vel potius thermopolia, aut popinæ; vide ad VIII, 168. — *Stationes* sunt συστάσεις, circuli, seu omnia loca, ubi frequenter, vel audiendi, vel confabulandi causa, convenire aut consistere solent homines, verb. caus. cives post negotia, legati civitatum vel municipiorum, de jure respondentes, senatores, qualia fuere senaculum, forum, porticus, etc.

Not. 5. *De Rutilo*, scil. loquuntur, fabulantur, rident.

Var. 5, 6. Ita hunc locum recte, opinor, emendarunt Rutgers. Var. Lect.

[1] Confer ad XIV, 18. Cognomen fuit gentis Marciæ (vid. Liv. VII, 16—39; IX, 33, 38; X, 9, 47), Virginiæ (Liv. III, 7), Nautiæ (Fast. Capitol. apud Gruter. pag. 291), et al.

[2] Conf. Voss. ad Vellei, II, 33.

II, 17; Barth. Advers. XLII, 16. Rigaltius et Farnab. Vulgo legitur: «*nam dum valida* (Rutili) *ac juvenilia membra Sufficiunt galeæ, dumque ardens sanguine fertur, Non cogente*, etc. vel *dumque ardens* (scil. Rutilus est) *sanguine, fertur, Non*, etc. Sed illa et lectio, et distinctio inepta mihi videtur, hæc vero scabra; et fruatur judicio suo Hein. qui contendit, in hac nihil esse, quod jure culpari possit, et vel optimum inde effici sensum. *Valida*, etc. vel mox vs. 8. *Scripturit is*, conj. Lindenbr. — *Et*, 18. — *Juvenalia*, 17 a m. pr. 64. Vox rarior, qua etiam utitur Virg. Æneid. II, 518; V, 475; VIII, 163, ad quæ loca vide Interpp.

VAR. 6. *Dum fertur sanguine et ardens*, 15.

NOT. 5—8. Nam mox, dum juvenis est, dicunt eum, consumptis bonis et inopia cogente, sponte operam daturum esse gladiaturæ. Conf. ad II, 143 seq. et VIII, 192—210. — *Sufficiunt galeæ* portandæ armisque tractandis.

VAR. 7. *Nec cogente*, 16. — *Non prohibente*, 16, 23. — Pro *tribuno* suspicari possis *tyranno*, quo sensu poeta supra VIII, 193, dixit *nullo cogente Nerone*. Sed *tribunus* hoc loco est forsan ipse Imperator (ut et II, 165); nam tribunitia potestas, Augusto ceterisque Imperatoribus delata, summi imperii vim significationemque habebat, unde et anni ejus, tanquam anni imperii, in nummis aliisque monumentis publicis numerantur; vid. Lips. et Ernesti ad Tacit. Ann. I, 2; III, 56; Schwarzii Dissert. de Augustorum tribun. potest. et Dodwelli Præl. Cambd. XIX, 7. Alios quidem tribunos, sed sine vi, creari patiebantur Cæsares.

NOT. 7. *Nec prohibente tribuno*, Imperatore, ejusmodi dedecus Urbis. Conf. Var. Lect. [1]

NOT. 8. Dicunt eum gladiatorem futurum; non, quod alii putant, lanistam, aut ejus scribam. — *Scripturus*, descripturus, excepturus, scil. ut ediscat, *leges*, præcepta artis gladiatoriæ, dictata, *lanistæ*, qui *commentari* dicebatur, et *dare dictata*.[2] — *Verba regia*, superba, imperantia, *lanistæ*, qui tironibus in palum, vel adversarium, cum rudibus primum, deinde cum justis armis, irruentibus subinde acclamabat: *Attolle! cæde! declina! urge! percute!* vel etiam *seca* et *ure*: unde *regia* quoque *verba* possunt crudelia hoc loco esse. *Regia* enim contemptim dicebantur Romanis, quippe qui inde a regibus exactis summum in eos odium gerebant. Vix autem crediderim, poetam hoc loco respexisse P. Rutilium

[1] In MS. Barthii (v. ej. Advers. XLII, 16) vetera hæc legebantur Scholia: «Poeta ostendit, omnem publicæ militiæ disciplinam esse exstinctam et meditationem armorum resedisse tantum in gladiatoribus. *Lanistæ* autem magistri gladiatorum erant, et mos erat, ut, si quis coactus gladiaturam assumeret, statim, ut vellet, eam relinqueret; qui vero sponte, nunquam.» Cf. Salm. de Mod. Usur. 10.

[2] Vid. Lips. Elect. I, 15.

consulem, et quæ de eo tradit Valer. Maxim. II, 3, 2. — De his *regiis verbis* adi Lipsium *Saturn*. pag. 60. Ed.

Not. 9 seq. Sunt præterea multi gulæ indulgentes, qui pecunia mutuo sumpta lautas emunt dapes, quosque *creditor sæpe elusus*, hoc est, deceptus vana pollicitatione solutionis, in *macello*, ubi delicata venduntur opsonia, et gulosi homines frequenter conveniunt, *exspectat*, ut exigat ab iis fenus. Conf. Horat. Satir. I, 2, 7, seq. et Epist. I, 15, 26 seq. Macellum frequentabant Romani, ipsique ibi emebant opsonia, quæ servis domum ferenda tradebant.

Not. 11. Qui tantum vivunt, et vivere volunt, ut edant et serviant gulæ; ὧν ὁ θεός ἡ κοιλία, D. Paulus ad Phil. III, 19. Cf. inf. XII, 50, 51; Gell. VII, 16, et Athen. IV, 15 (48), pag. 159, ubi etiam laudantur verba Socratis: Ὁ Σωκράτης δ' ἔλεγε τῶν ἄλλων ἀνθρώπων διαφέρειν, καθόσον οἱ μὲν ζῶσιν, ἵν' ἐσθίωσιν· αὐτὸς δ' ἐσθίει, ἵνα ζῇ, quæ et leguntur apud Macrob. Sat. II, 8.

Not. 12. Quo quis horum miserior est et pauperior, eo vivit *egregius*, hoc est, magis egregie, lautius : comparativ. adverb. ut apud Lucret. IV, 469 : raro usitatum.

Not. 13. Qui mox ad incitas, vel extremam redigetur paupertatem. Metaphoræ ab hianti et rimoso pariete, seu muro ductæ, vel ab ædificio, cujus ruina jam impendet et manifesta est. — *Perlucente*, apparente per rimas.

Not. 14. *Interea*, priusquam ad incitas sunt redacti, *gustus*, epulas, quas gustu explorant, *quærunt per omnia elementa*, per aerem, aquam et terram : volucres, pisces, feras et fructus terræ exquisitiores; ut apud Senec. Controv. V, præf. « Quidquid avium volitat, quidquid piscium natat, quidquid ferarum discurrit, nostris sepelitur ventribus. Quære nunc cur subito moriamur: mortibus vivimus.[1] »

Not. 15—16. Magnitudo pretii non obstat, quo minus desiderio ciborum capiantur, non minuit desiderium, quin potius illud auget: *si interius attendas*, accuratius rem consideres, *magis illa juvant*, delectant, suaviora iis videntur magisque appetuntur, *quæ pluris*, majori pretio, *emuntur*. Conf. Petron. 93, et Senec. Consol. ad Helv. c. 9.

Var. 17. *Accersere*, 22, 24, 60, 64. De qua scriptura vid. Schelleri Præc. styli bene latin. tom. I, pag. 38.



[1] Male Grangæus coll. Sen. Ep. 89, et Consol. ad Helv. c. 9, exponit, per omnes orbis terræ easque longinquiores partes; nec melius alii : quærunt omnes cibos, quorum nomen ab unaquaque alphabeti litera incipit, ut *aper*, *anas*, *anser*, *bos*, etc. vel simul apponi jubent edulia, quorum nomina ab eadem litera incipiunt, qualia sunt *pullus*, *perdix*, *pavus*, *perna*, *porcellus*, *piscis*, etc. cujus luxuriæ inventor Antoninus Geta, teste Spartiano.

Not. 17. Non dubitant, mutuo accipere, quæ perdant magis, quam erogent; Schol. Quamdiu supellectilis aliquid superest, facile iis est parare sibi pecuniam *perituram*, quæ mox gulæ luxu intereat; Ach.

Var. 18. *Lancibus optatis*, 7. — *Ut* pro *vel*, 12. — *Martis*, 24. — *Imagine picta* forte, 1. Vetus Scholion est: «Si in auro picta est, aut in argento.» *Imagine cara* malebat Schrader.

Not. 18. Conf. VII, 73. — *Oppositis* pigneri, hypothecæ loco, ad securitatem creditoris, ut apud Plaut. Curc. II. 3, 77; Senec. Ben. VII, 14, et Catull. XXVI, 2, ubi vid. Vulp. et Doer. — *Lancibus* pretiosis, argenteis, aureis, etc. — *Matris imagine fracta*, non casu, puto, vel vetustate, vel ut partem statuæ vendat, sed fracta ex industria, ut non cognosci possit, et sine pudore vendi.

Not. 19. *Quadringentis numis*, magno pretio; non vero integro censu equestri, quo sensu *quadringenta*, sc. sestertia, dicuntur I, 106; II, 117; V, 132; nam *numi* sunt sestertii, non sestertia, et de homine sermo est, qui devorata re familiari supellectilem oppignerat, unde non facile efficiet censum equestrem. — *Condire*, cibis bene conditis, vel delicatis implere. — *Fictile* vas, ut *testa alta*, IV, 131 (ubi vid. not.). *Fictile*, quia lances argenteas opposuerat, aut quia maxima aliqua patina ei opus erat, Grang.[1] — *Gulosum* vas, quale est hominum gulosorum, vel capax.

Var. 20. *Si veniunt*, conj. Schrader.

Not. 20. *Sic*, hoc luxu, *veniunt ad miscellanea*, cibum e variis ferculis mixtum, vel immundam saginam (ut utar verbis Prop. IV, 8, 25), *ludi*, ludii, gladiatoris (vid. ad VI, 82), hoc est, gladiatores fiunt (conf. vs. 8), ut largiorem certe victum, cui assueverant, retineant: nam gladiatores et athletæ epulis largioribus ali solebant, ut vires eorum augerentur (*coliphia*, II, 53), unde *gladiatoriam saginam* dixit Tac. Hist. II, 88, et Prop. loc. laud. (ubi vid. Broekhus.), *vulsi carpenta nepotis*, *Qui dabit immundæ venalia fata saginæ*, hoc est, qui patrimonio dilapidato vitam animamque suam lanistæ vendet. — *Miscellanea* genus miserabile ferculi, cibus gladiatorum, qui omnia, quæ apponuntur sibi, *miscent*, et sic manducant, Schol. Alii *miscellanea ludi* putant esse *ludos miscellos*, hoc est, e variis generibus mixtos (vid. intpp. Suet. Cal. c. 20, ut sensus sit: fiunt histriones seu ludii. Rigaltius exponit: Sic isti luxu conturbatore pereunt, ut in miscella consummatione gladiatores. Grangæus: Sic lurcones illi *ludii*, seu gladiatores futuri *veniunt ad miscellanea*, condiunt patinas omni ciborum genere refertas et intermixtas; de quo vid. Senec. Epist. XCV; Turnebus, Adv. XXII, 23, innui credebat et ludos *miscellos*,

[1] Conf. Salmas. Exerc. Plin. pag. 586.

et homines omnia *miscentes* et conturbantes, hoc est, ad paupertatem redactos. Conf. ad VII, 129. — *Crammer* laudat Schol. qui hanc cœnam gladiatorum vocat *ultimam*. Tertull. in Apolog. dixit *supremam*. Ed.

Var. 22. *Venditio*, 48, 58. Conf. ad VII, 199.

Not. 21—23. Multum interest, divesne sit an pauper, qui lautas *parat* epulas et magnos sumptus facit. Conf. vs. 1 seq. — *Ventidius* hoc loco, ut vs. 1, *Atticus*, pro homine divite ac nobili.[1] — *Laudabile*, honestum.

Var. 23. *Nomen* pro *famam*, 15, 24. — *Recte* pro jure, 15.

Not. 23. Luxuria *a censu famam trahit*, ducit, sumit; si magnus est census (res familiaris, opes), liberalitatis, magnificentiæ et honestatis; si exiguus, luxuriæ famam nomenque obtinet.

Var. 24. *Quantum*, 11, 25, 27, 46, 47, 49, 50, 54—58, prob. Schurzfl. quum mox idem voc. sequatur.

Not. 24—27. Stulti sunt et contemptu digni, qui rerum externarum scientiam, quæ vel prorsus inutilis est, vel ad beate vivendum nihil confert, sectantur ac probe tenent, at intus et domi suæ hospites, vel in metiendis facultatibus, et se ipsis cognoscendis cæci, ignorant, multum inter magnas atque exiguas opes interesse, et pro illorum modo ac mensura faciendos esse sumptus.

Tecum habita : noris, quam sit tibi curta supellex,

Pers. IV, 52. — *Atlantis*, montis Mauritaniæ, mira altitudo notissima.[2]

Var. 26. *Ignorat*, 15, 16. *Si* excidisse ante *Ignoret*, seu *Ignorat*, suspicatur Manso. — *Distat*, 14, 15, 16, 24.

Not. 26. *Ferrata arca* et claustris munita, in qua pecunia et opes servabantur. — *Arca* divitum est, pauperum vero *sacculus*, seu *loculus* et *crumena* (infra vs. 58), unde *arca* magnas, *sacculus* vero modicas designat rerum copias et facultates; vide ad X, 25, et XIV, 260, 261.

Var. 27. Græca absunt ab 25, 27, 45. — Σαυτὸν, 11.

Not. 27. *E cælo descendit*, deum habet auctorem, vel divina, aurea, præstantissima est sententia illa γνῶθι σεαυτὸν, quæ in vestibulo templi Delphici aureis literis inscripta erat, et a quibusdam Thaleti, vel Chi-

[1] Nonnulli putant designari P. Ventidium, de quo vid. VII, 199; alii Ventidium Cumanum, de quo vid. Tac. Ann. XII, 54; alii denique eum, de cujus divitiis Pers. IV, 25, 26. *Nostin' Ventidî prædia? cujus? Dives arat Curibus, quantum non milvus oberret*. Hæc bene h. loc. conveniunt: sed Casaubonus jam ad Persii loc. laud. notavit, in membranis Persii *Vectidî* ac *Vetidî* legi, et Ventidium Persii præterea sordibus, non luxuria insignem esse.

[2] Vid. Heyn. ad Virg. Æneid. IV, 246 seq. et 480 seq. — Conf. Virgilii nostri volumen II, p. 505 et 530. Ed.

loni, Cleobulo, Bianti, Pythagoræ, Socrati aliisque sapientibus, ab aliis ipsi Apollini, vel ejus oraculo, tanquam auctori, propter divinam ejus præstantiam, tribuitur.[1] Γνῶθι σεαυτὸν, nosce te ipsum, si discere cupis, quid tibi, quid aliis debeas; et in tota vita age secundum animi, corporis et fortunæ vires ac modum. Conf. qui hæc illustrant, Socrates, apud Plat. in Alcib. I, tom. V, pag. 56, 65, ed. Bip. et Senec. Epist. 82.

VAR. 28. *Figendum est*, 46. *Fingendum*, 13, 19, 20, 25, 56, 57, 59. Conf. supra ad vs. 4. — *Et* abest ab 47, 54, 58.

NOT. 28. *Figendum* illud, altius animo infigendum est, ut in eo inhæreat. Conf. ad V, 12. — Vet. Schol. in memoria semper habendum. ED.

VAR. 29. *Sacra*, 25, 46, 48, 49, 55—57, 59, 60.

NOT. 29 seq. In omnibus vitæ partibus hanc sententiam oraculi instar consule, verb. caus. in matrimoniis contrahendis, ut tibi parem ducas, vel in petendis honoribus, ut explores ante, num iis idoneus illisque bene administrandis par sis. — *Sive conjugium quæras;* id dixit ex altero Sapientis dicto (Ovid. Her. IX, 32): *nube pari*, Grang. — *Senatus sacri*, venerandi, ut ἱερὰ σύγκλητος.[2] — *In parte senatus*, senator, *esse*.

VAR. 30. *Non enim*, 25, 56, 57, 59. *Neque enim*, 27. Verba *nec enim loricam........ Ancipitem* parenthesi inclusit Ach. Eadem deleri jubet Hein. Neutra ratione quidquam proficitur, et legendum videtur *poscat*. Vid. Comm.

NOT. 30, 31. Verba difficillima, quæ olim ita interpretabar: Non petendos esse honores, viribus nostris majores, ipse *Thersites* (de quo vid. ad VIII, 269) intellexit, qui, quamvis intolerantius se jactaret, non tamen ita immemor fuit suæ tenuitatis et ignaviæ, ut *loricam* et reliqua *Achillis* arma *posceret, in quibus*, quibus indutus, ipse *Ulysses se transducebat*, se videndum, vel potius se ridendum præbebat (vid. ad VIII, 17); nam poeta haud dubie respexit contentionem heroum de armis Achillis de qua vid. supra ad VII, 115, et X, 84, 85) innuitque, hæc arma ne Ulyssem quidem decuisse, ne hunc quidem iis gestandis parem fuisse, vel hoc honore dignum. Neque obstat, quod Ach. obvertit: « nullibi legimus, Ulyssem a Græcis propter hoc derisum fuisse, vel etiam derideri debuisse, quum ipsimet illum Græci sponte sua, et in commendationem suarum (ejus) virtutum etiam Ajaci prætulerint. » Sola eloquentiæ vis in judicio illo vicit, et superior discessisset Ajax, si tam promptus lingua, quam manu fuisset : quod poeta significasse videtur. Sufficit etiam, hunc ita et recte quidem judicasse. Sed locus noster aliis premitur difficultatibus. Ut enim taceam, ita non satis convenire verba *nec*

[1] Conf. Diogen. Laert. I; Cic. ad Quæst. Fr. III, 6, et Tusc. Quæst. I, 22, § 52; Harduin. ad Plin. VII, 32.

[2] Videatur Spanhem. de Usu et præstant. num. Dissertatio, V, pag. 411 seq.

enim et *poscit*, pro *poscebat*, vel *poposcit*, poeta saltem alios auctores, nobis ignotos, secutus est: nam Flavius jam Conjectan. cap. 31, ex Qu. Calabro et Lycophr. vs. 999, notavit, Thersiten alapæ ictu ab Achille interemptum esse, adeoque non potuisse illi de armis certamini adesse; Juvenalem igitur vel memoria lapsum esse, vel variasse historiam.[1] Hanc ob caussam et quia non modo eadem vox inepte repetatur, *anceps caussa* et *caussa magno discrimine*, sed verba quoque molesta et absurdissima *nec enim*..... *Ancipitem*, ne litera quidem mutata, e medio versuum tolli possint, ea omnino e contextu ejicienda censet Heinecke. Gravissima est prior ratio; sed sola non sufficit et satisfacit: nam sæpissime variat priscarum rerum narratio, et ex diversis fontibus iisque scriptis, quæ interciderunt, hausta est; Gordii quoque nodus ita conciditur potius, quam solvitur. Reliqua argumenta sunt levissima. Quot enim versus sine literarum sententiarumque mutatione deleri possunt? et quis sibi persuadeat, hæc verba, in quibus et doctrina et summa vis venustasque inest, absurdissimum esse glossema notulamque ludimagistri exempli loco margini adscriptam? Neque etiam omnis *caussa anceps*, hoc est, ambigua, cujus eventus est dubius, cum *magno discrimine* agitur; et mireris, hunc censorem veris tautologiis non offendi in aliis locis. Præterea nihil proficitur illa versuum ejectione, et hac verborum junctura:

> .... Sive
> Conjugium quæras, vel sacri in parte senatus
> Esse velis, seu tu magno discrimine causam
> Protegere affectas; te consule, dic tibi, etc.

Nam verba *te consule*, etc. non nisi ad caussæ defensionem spectant. Omnia vero jungi voluit; nam illud *seu* ita aptissimum est, et ipse docet, modorum mutationem *quæras*, *velis* et *affectas* usitatissimam esse et exemplis comprobatam a Cort. ad Cic. Ep. ad Div. XII, 2, 7, et Munk. ad Hygin. f. 148 Quid igitur respondendum erit Hein. quærenti: « scrupulos si exemero, ecquid erit pretii? » Meo qualicumque judicio nihil erit, quod in hoc loco displicere possit, dummodo *poscat* legatur pro *poscit*, et verba hæc ita exponantur: *Figendum....-velis, nec enim*, neque etiam (vid. Heyn. ad Virg. Ge. II, 104, et al.), *loricam* et arma *Achillis poscat Thersites*, homo qualis Th. fuit, *in qua se transducebat Ulixes*. *Ancipitem tu caussam seu* cum *magno discrimine protegere affectas* (conaris),... *te consule*, etc. Non deerunt forte, qui suspicentur, pro *seu* reponendum esse *si;* sed venustior est abrupta hæc dictio et affectui magis consentanea quam vulgaris: *si tu affectas, te consule*, etc. Eadem utitur Juvenalis passim, verb. caus. VI, 329, 330, ubi tamen et suppleri potest *si*, ut h. loc. — Vet. Schol. *se transducebat*, idoneum existimabat, transferebat. Ed.

Var. 31. *Traducebat*, 13, 17—27, 45—50, 55—63; 65—69, 71—74, ut

[1] Conf. Tzetz. et Potter. ad Lycophr. v. 999.

al. *trajicere*, *travehere*, *tramittere*, *tradere*, de quo Donat. ad Terent. Phorm pr. « *Transdere* veteres sonantius (et accuratius), quod nos lenius dicimus *tradere*. » Conf. Drakenb. et nos ad Sil. IV, 487. — *Ulixes* recepi ex 17—20, 23, 24, 58. *Ulyxes*, 14, 27, 46—48. *Ulisses*, 25. Vulgo *Ulysses*. Conf. supra ad IX, 65.

Var. 32. *Ceu*, 46, 47, 49, 58, 66, 67. — Vulgo post *Ancipitem* colon, vel punctum ponunt, ut sensus sit: *in qua*, in cujus petitione, *Ulixes se traducebat*, se præbebat *ancipitem*, incertum, metuentem, ne non obtineret (ita Ach.); vel *in qua*, qua indutus, fecit dubium intuentibus, num Achilles esset aque revixisset; vel denique se præbuit modeste ambigentem, an arma Achillis etiam peteret, iisque dignus ac par esset. Sed quis eo sensu dixit *se traducere*? aut *in qua*, pro, in cujus petitione?

Var. 33. *Tunc consule*, 21. — *Qui sis* revocavi ex 11, 14, 15, 17, 19, 20, 27, 50, 58, 64. Vulgo legitur *quis sis*; vide ad XV, 119. *Quid sis* vetustus Codex Heinsii, qui id probavit illustravitque exemplis in Comm. ad Ovid. Ep. Her. XII, 31. Sed *esse aliquid* alio sensu dicitur, qui ab hoc loco alienus est. Vide supra ad I, 74.

Not. 33. *Te consule*, te ipsum interroga, vel te et vires tuas excute, explora, *et dic tibi*, *qui*, qualis, *sis* (quo sensu *in sese descendere*, et *secum habitare* dixit Pers. IV, 23 et 52); utrum sis *orator vehemens*, gravis et acri verborum actionisque genere ad permovendos animos idoneus, hoc est præclarus, *an* mediocris, vel infimæ notæ rabula, ut *Curtius* Montanus (vid. ad IV, 107), *et Matho* (vid. ad I, 32), *buccæ*, rabulæ, fastuosi causidici ac ventosi, vel, ut verbis vet. Schol. utar; jactanticuli, qui tantum buccas inflant, et nihil (graviter et apte vel accommodate ad persuadendum) dicunt. Sic fere *buccam loquacem vetuli cinædi* dixit Martial. I, 42, 13, et *hominem duræ buccæ* Petron. 43. Conf. supra ad III, 35, et Var. Lection. et *Crammer*, pag. 427. Ed.

Var. 34. *Publius* pro *Curtius*, 16. — *An Matho*, 11, 14—27, 45—50, 55—63, 65—69, 71—74. *Meta*, 19. — Vulgo post *Matho* punctum ponunt junguntque *Buccæ Noscenda est mensuræ tuæ*, ut sit sensus: explores et noris facundiæ modum vimque eloquentiæ; vel ut proverbii loco dictum sit: scias, quousque possis et liceat buccam inflare, vel diducere fauces. *Bahrdt* vertit: *Man muss, wie weit das Maul sich sperren lässt, verstehn*. Sed nostra distinctio haud dubie anteferenda; vid. Comm.

Var. 35. *Mensura tui*, 13. *Buccæ Noscenda est mensura tuæ*, 10, 11, 20, 24, 25, 45, 56, 60—62, 63, 64—69, 71—74. *Buccæ Noscenda est mensuræ suæ*, 14—19, 21, 23, 27, 46, 48, 49, 57. *Tuæ* et *suæ* etiam plerique Codd. Paris. sed *sua* Put. et *sui* XIV alii, et quidem optimi, Alex. Mazarin. I, Thuan. I; Colbert. II; Fauchet., Senat. et Pith. *Noscenda est mensura rei* forte vet. Schol. cujus glossa est: « Consideranda in omnibus rebus est mensura uniuscujusque rei, et si ad hanc sufficit, sic eam debes assumere. » — Vid. *Crammer*, p. 427. Ed.

Not. 35 seq. Præclarum præceptum! Conf. VI, 358 seq. et Ca-

saub. ad Pers. VI, 25 seq. — *Mensura sui*, modus virium suarum et facultatum.

VAR. 37. *Non*, 16. *Nec*, 10, 14, 15, 17—20, 22, 23, 27, 45—49, 54—65, 68, 69, 71, 73, 74. — *Multum*, 73. — *Cupias mullum*, 10, 11, 13, 15, 47, 54, 58. *Cupias nullum*, 64. *Capias*, 24.

NOT. 37. *Mullum*, piscem pretiosum et grandem; vid. ad IV, 15 seq. et V, 92 seq. *gobio*, hoc est, pretium gobionis, vel quo ematur *gobio*, seu *gobius*, κωβιός, *cobio*, vilis pisciculus,[1] ut *asini*, *ovis* et *boves in crumena* apud Plautum, Asin. III, 2, 44; Truc. III, 1, 10, et Pers. II, 5, 16. — *In loculis et crumena*; vid. ad vs. 26.

NOT. 38, 39. Conf. ad VI, 129. — *Ære paterno*, patrimonio, *ac rebus*, re familiari. — *Mersis in ventrem*; unde homo gulosus ac prodigus vocatur *gurges*, et *vorago patrimonii*, vel *barathrum macelli*. Hinc et lepide *venter* dicitur h. loc. *capax* omnium bonorum, *feneris*, *argenti*, etc. quæ quasi vorat ac deglutit. *Feneris*, pecuniæ, fenere et datæ et acceptæ.

VAR. 40. *Versis*, 45, 65. — *Fæneris*, 18. Ego *feneris* scripsi pro vulg. *fœnoris*, ab ant. verb. *feo*, hoc est, gigno, creo, procreo, facio, unde *fenus*, *fetus*, *fecundus*, *femina*. Conf. Cellar. Orthogr. lat. tom. I, pag. 234, ed. Harles. In media vero voce *e* pro *o* substituendum esse, intelligitur ex verbis deriv. *fenebris*, *feneratio*, *fenerator*, *fenerare*, *feneratrix*, *feneratorius*. Similiter *pigneribus* pro *pignoribus* posui supra IX, 141, ubi vid. Var. Lect.

NOT. 41. *Argenti gravis*; vid. ad IX, 141.

NOT. 42. *Talibus a dominis*, helluonibus, *novissimus*, postremo (conf. ad VI, 356), *exit*, oppigneratur aut venditur, *annulus* aureus, insigne equitum (conf. Mart. II, 57, 7, 8; VIII, 5, 2, et Apul. Apol. p. 322, 21, ed. Elm.); unde *digito nudo*, imminuto censu equestri: « nam constitutum erat, ne cui jus annulorum (seu annuli gestandi) esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri avoque paterno sestertia CCCC census fuisset, » Plin. XXXIII, 2, seu 7. — *Pollio*, decoctor forte is, de quo Plin. IX, 10, seu 13. « Testudinum putamina secare in laminas lectosque et repositoria his vestire Carvilius Pollio instituit, prodigi et sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenii. » Conf. ibi Hard. et supra ad IX, 6.

VAR. 44. *Non funus*, 19, 21, 45.

NOT. 44, 45. Mors *prœmatura* et *acerba* minus *metuenda* est *luxuriæ*, hoc est, luxuriosis hominibus, quam *senectus*, et morbis et fame laborans, quæ gravissima est helluonum et helluationis pœna; nisi sensus est: mors in infantia vel in juventute luxuriosis minus metuenda est,

[1] Gall. *goujon*, aut *boulerot*; vid. Hard. ad Plin. IX, 57; Athen. VI, 44, et VII, 85, ed. Schweigh.

quam senectus. Nam mors infantium dicebatur *acerba*, juvenum *immatura* et senum *naturalis*. Conf. Virg. Æneid. VII, 429; Senec. Epist. 123, et Kirchman. de Fun. Rom. I, 4 extr. — *Cineres* et *funus* pro morte.

VAR. 49. *Cum vertere*, 28. — *Ad ostia*, vel *Ostia currunt* (scil. inde navigaturi; vel quia oppidum olim amœnissimum fuit), 14, 15, 16, 60, 65, 67, 74, 77. *Ad Hostia currunt*, 19, 23, 24, 25, 27, 45—50, 55, 56, 58, 59, 61—64, 66, 68, 71, 72, 73, et multi Codd. Paris. Conf. Comm. ad VIII, 171.

NOT. 46—49. *Hi plerumque gradus* sunt, quibus isti perditæ gulæ homines ad inopiam perveniunt et fidei violationem : primum *conducunt*, hoc est, fenere accipiunt, *Romæ pecuniam;* deinde eam *coram dominis* ejus, hoc est, creditoribus vel feneratoribus ipsis, non sine gaudio primum, et deinde dolore id videntibus, *consumunt;* tandem, *ubi paulum* et *nescio quid*, forsan vel ferme nihil, *superest*, et jam *auctor feneris*, fenerator, *pallet*, timet, ne fenus cum sorte perdat, *vertunt solum* patriæ et sponte in exsilium abeunt : nam *qui volunt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatem, solum vertunt, hoc est, sedem ac locum mutant*, Cic. pro Cæc. c. 34. Lepide autem poeta dicit, eosdem *currere*, festinanter patria cedere, ne a creditoribus comprehendantur, et se conferre *Baias*, propter loci amœnitatem et delicias, quo h. loc. referuntur *ostrea*, quæ ibi capiuntur. Conf. ad III, 4; IV, 141, et VIII, 86. Vetus Schol. « *Baias*, ubi major est luxuria, ubi et reliquam, si est, pecuniam devorent. »

VAR. 50. *Est* non legitur in 25, 27, 46—49, 54—60, 66, 68, 69, 71, 72, 73. *Tibi* pro *est*, 62, 63, 67, 74. *Ibi* (hoc est, Romæ) conj. Lubin.

NOT. 50. *Cedere foro*, creditores fraudare, *jam*, nostris temporibus, *non est deterius*, non magis ignominiosum habetur, quam ex media et æstuosa Urbis regione migrare in suburbanam et frigidiorem. — *Cedere foro*, ut apud Sen. Ben. IV, 39, idem quod Galli dicunt *faire banqueroute* : nam in *foro* argentariorum erant tabernæ, et res pecuniaria perscriptione, transcriptione, etc. tractabatur; unde negotiatores *in foro* (Germ. *Börse*, Gall. *la bourse*) *versari;* et contra *foro cedere* dicuntur [1].

VAR. 51. *Exquilias*, 19, 23, 24, 60, 65, 72. *Æsquilias*, 17, 27, 48, 61—64, 68, 71, 73. Conf. supra ad III, 71. — *Suburra*, 18, 19, 27, 46—49, 58, 61—69, 71—72, 72; vid. supra ad III, 5.

NOT. 51. *Esquilias*, quæ *gelidæ* dicuntur V, 78, regionem Urbis infrequentem et fere desertam. — *Subura ferventi*, ob situm, vel potius maximam populi frequentiam; vid. ad III, 5.

[1] Conf. Ernesti clav. Cic. voc. *forum*. Nonnulli *forum* h. loc. pro tota urbe, cujus frequentior est locus, positum putant : quod minus linguæ, quam h. loc. congruit; nam mox sequitur *migrare* et *patriam fugere*.

VAR. 52. *Patria*, 17, 20. — VAR. 53. *Circensibus : una....... gutta*, 47, 48, 64.

NOT. 52, 53. Hoc tantum dolent, quod aliquamdiu Circensibus ludis carent. Facete de insana ludorum spectandorum cupiditate, qua Romani ardebant; vid. ad III, 223.

NOT. 54. *Non gutta sanguinis*, nihil ruboris, hoc est, pudoris, nullum ejus vestigium. Conf. ad X, 300.

VAR. 55. *Fugientem*, 14, 16, 18, 22, 24. *Et fugientem*, 10, 15, 19, 21, 25, 27, 48, 50, 54—67, 74.

NOT. 55. Qui pauci hodie sunt, quos puderet malefactorum et infamiæ; *pudorque* jam tantum non omnibus ridicula res videtur, et prorsus ex Urbe effugeret, nisi pauci essent, qui eum quasi retinerent. Confer ad VI, 19.

VAR. 56. *Pulcherrima visu*, 46, 47, 48.

NOT. 56 seq. Poeta jam ad *Persicum*, amicum suum, nobis ignotum, quem ad cœnam vocaverat, se convertit : Cognosces hodie, utrum iis, quæ de frugalitate pulcherrime dixisse ac præcepisse videri possim, etiam vita et mores mei congruant. Conf. ad Satir. II, princ. et not. Crammeri in vet. Schol. pag. 429. ED.

VAR. 57. *Perfice*, 25, 46, 47, 48, 57, 58. Ita sexcenties librarii corruperunt nomina propria. — *In vita*, 11. — *Nec moribus*, 10, 11, 14—18, 20, 22, 28. 24, 27, 45—50, 54, 55, 61—64, 68, 71—74. — *Aut re*, 22. *Ut re*, 16.

Experiere hodie, numquid pulcherrima dicta,
Persice, non præstem, invitate, et moribus et re,

conj. Schurzfl. putans, versum duriorem librariis displicuisse, ideoque ab iis varie esse mutatum. Sed talem versum placuisse poetæ, quis sibi persuadeat?

NOT. 58. *Sed* potius *laudem siliquas*, victum tenuem ac pauperum (conf. Hor. Epist. II, 1, 123, quem etiam imitatus est Pers. III, 55), quum tamen *occultus* sim *ganeo*, clam popinas frequentem et domi gulosus sim. *Siliquæ* vel legumina et propr. eorum folliculi, quales pisa, fabæ, lupini, etc. habent (Gr. λοβοί, Gall. *des gousses*), vel fructus arboris silvestris, seu ficus Ægyptiæ (κερατωνία, unde fructus κεράτιον, Gall. *carobes* seu *carouges*), quo non tantum sues, ut apud nos glandibus, sed etiam servi et infimæ conditionis homines alebantur [1]. — *Pultes*, vid. ad VII, 185, et imprimis XIV, 171.

[1] Vid. Harduin. ad Plin. XIII, 8, seu 16; XV, 24, seu 26; Salmas. Exerc. Plin. pag. 459, 460; Bochart. Hieroz. P. I, pag. 708; Casaub. ad Pers. III, 55, et Schleusneri Lexic. N. T. voc. κεράτιον.

VAR. 59. *Pueris in aure*, 24. — *In aure*, 2—5, 10—27, 45, 50, 56, 57, 59, 60, 64, 65, 70, 74—77. *In aurem*, 1, 81. Vetus scholion ita legendum videtur: « *Coram aliis*, id est, ante alios, ut frugi videar, *pultes* aut legumina jubeo parentur tibi; *in aurem puero* alia *dico* tibi parari. *Siliquas*, id est, parcitatem: nam proprie *siliqua* est, qua legumina continentur. » *In ore*, 46—49, 54, 55, 58, 61, 62, 63, 66—69, 71, 72, 73. *In arce*, ed. Farnab. et al.

NOT. 59. *Coram aliis*, palam, vel clara voce, ut alii id audiant, meque frugalem existiment. — *Dicem puero*, parari afferrique mihi jubeam; — *in aure*, clam et insusurrans. Conf. Hor. Sat. I, 9; 9, 10; — *placentas*, dulciaria, cibum delicatiorem; quem quomodo paraverint Romani, docet Cato, R. R. 76, ubi vid. intpp.

NOT. 60. *Conviva mihi promissus*, qui te mihi convivam futurum promisisti: Schol. Qui invitatur ad cœnam et se venturum promittit, dicitur *promittere* (se venturum) *ad aliquem*, seu *ad cœnam; condicere* vero *cœnam alicui* et simpl. *alicui* vel *aliquo ad cœnam* (Germ. *sich zu Gaste bitten*), qui denunciat, se ad cœnam venturum.[1] — Vid. *Crammer*, pag. 430. ED.

NOT. 61. *Habebis Evandrum*, me pauperem et frugalem hospitem, et *venies Tirynthius, aut minor illo hospes*, a me hospitio ita excipieris, ut olim ab Evandro Hercules aut Æneas. Poeta memor fuit loci Virg. Æneid. VIII, 100 seq. et 359—369; ubi agitur de paupere Evandro, qui Herculem et Æneam hospitio exceperit. De *Evandro* vid. *Creuzer's Symbolik*, tom. II, pag. 426, 489. Æneas *hospes illo*, Hercule, *minor* quidem virtute et rebus gestis, *et ipse tamen contingens cœlum*, Deos, sanguine, propinquitate; originem, et paternam et maternam, a Diis repetens: ut apud Sil. VI, 627, et VIII, 293 seq. Sensus est: Si Evander rex hospitibus, a Diis oriundis, frugalem dedit cœnam, non lautiorem a me exspectabis.

VAR. 62. *Contingit*, 10, 11, 14, 16, 21. *Continges*, 45.

NOT. 63. *Alter*, Æneas, *aquis; alter*, Hercules, *flammis ad sidera missus*: nam Æneam *veneranda Numici Unda*, in qua, vel juxta quam in prælio periise dicitur, *Deum cælo misit Indigetem*, abluto omni, quod in eo fuerat, mortali, ut utar verbis Tibull. II, 5, 43, ubi vid. Heyn. Herculis autem, *fulgente sacratis ignibus Œta, Ingentem animam rapuere ad sidera flammæ*, Sil. III, 43, 44, ubi vid. not. Conf. Luciani Hermotimus, c. 7. (φασὶ τὸν Ἡρακλέα ἐν τῇ Οἴτῃ κατακαυθέντα θεὸν γενέσθαι· καὶ γὰρ ἐκεῖνος, ἀποβαλὼν ὁπόσον ἀνθρώπειον εἶχε παρὰ τῆς μητρὸς καὶ καθαρόν τε καὶ ἀκήρατον φέρων τὸ θεῖον διευκρινηθὲν ὑπὸ τοῦ πυρὸς, ἀνέπτατο ἐς τοὺς θεούς.)

VAR. 64. Pro *ornata* Schrader conj. *portata*, Jacobs *corrasa*, hoc est, stu-

[1] Vid. intpp. Phædr. IV, 24, 15, et Hotom. ad Cic. Rosc. Com. 9.

diose conquisita : Manso coll. Virg. Æneid. I, 195, et VIII, 180, *onerata*, id est, dapes, non operose conquisitæ, et in macellis *accumulatæ*, sed inemptæ et domi natæ.

Not. 64. *Fercula*, quæ tibi apponentur; vid. ad I, 94: *ornata* vid. Var. Lect. — *Macellis*, ut VI, 40, ubi vid. not. — *Dapibus mensas onerabat inemptis*, Virg. Georg. IV, 133.

...... Bene erat, non piscibus urbe petitis,
Sed pullo atque hœdo,

Horat. Sat. II, 2, 120, ubi similis descriptio frugalis cœnæ legitur.

Not. 65. *De Tiburtino agro*, ubi forte Juvenali villa fuit. — *Veniet*, afferetur infereturque in triclinium.

Var. 66. *Hædulus*, non *hœdulus*, 27, ut in optimis Codd. Virgilii, Ovidii, Prop. et al. Conf. Var. Lect. L. IV, 19. — *Ex*, aut potius *e toto grege mollior* melius videbatur H. Valesio. *Et loto grege mollior* conj. Heins. ad Ovid. Fast. IV, 758, quia per frequentem lavationem lana reddatur mollis. Sed mollities ac teneritas carnis, non lanæ, h. loc. designatur.

Not. 66. *Toto grege mollior*, cui caro mollior est et tenerior, quam ulli hœdulo totius gregis. — *Inscius herbæ*, lactens, qui adhuc herbam non contigit, Schol. et *Crammer*, pag. 431. Ed.

Var. 67. *Humilis virgas ausus*, 15.

Not. 67. Qui nondum tentavit *mordere*, carpere, *virgas salicti*, salicis, vel salices. — *Salicti humilis*, conf. Virg. Georg. II, 434 seq.

Var. 68. *At* pro *et*, 16.

Var. 69. *Leget*, 14.

Not. 69. *Asparagi montani*, silvestres, minus delicati, quam hortenses; vid. Plin, XVI, 36, seu 67, et XIX, 8, seu 42. — *Villica;* vid. ad IV, 77. — *Quos legit villica*, ut apud Martial. I, 56, 11; IX, 61, 3, et X, 48, 7 seq.

Var. 71. *Servata*, 73.

Not. 71. *Ova calentia torto fœno*, hoc est, recentia, modo sumta e nido calenti, qui ex torto fœno conflatus fuit; — *matribus*, gallinis.

Not. 72. *Uvæ* variis *servabantur* modis, et inde *ollares*, *pensiles*, etc. dicebantur; vid. Colum. XII, 43; Varr. R. R. I, 54; Plin. XIV, 1; XV, 17; XXII, 1; Apic. Art. coq. I, 17; Didymus, Geop. IV, 15.

Not. 73. *Signinum pyrum*, sic dictum a Signia (hod. *Segni*), Latii opp. et Rom. colonia, ut al. *testaceum* a colore; vid. Plin. XV, 15, seu 16; Cels. II, 24; IV, 19; Colum. V, 10, 18. Idem oppidum celebre fuit opere Signino et vino austero, quod ventri sistendo adstringendoque adhibebatur; vid. Plin. XIV, 6, et XXXV, 12. — *Pyrum Syrium*, seu Tarentinum, species Falernorum, e Syria primum allata et nigri co-

loris [1]. — *De corbibus iisdem*, omnia promiscue, quod simplicitatem denotat; Prat.

Not. 74. *Mala æmula*, certantia cum *Picenis*, quæ etiam prædicat Horat. Sat. II, 3, 272, et 4, 70.[2]

Var. 75. *Non*, 14, 17, 24. — *Pulvere* pro *frigore*, 20.

Not. 75. *Postquam auctumnum*, auctumnalem succum, *et pericula crudi succi*, crudum noxiumque succum vel humorem, quem, quum recentia essent, per auctummum habuerant, *frigore* hiemis *siccatum*, exhaustum et excoctum, *posuere*, deposuere, amisere. Vocem *auctumnum* poeta ipse adjectis verbis *crudi pericula succi* explicavit.

Var. 76. *Suci* pro *succi* substitui ex 17, 18, 23, 24, 45; vid. supra ad V, 24. *Sicci*, 22.

Anal. 77—119. Præclara priscæ Romanorum simplicitatis frugalitatisque descriptio, quam vs. 120—129, excipit non minus venusta magnificentiæ elegantiæque serioris ævi imago : quæ comparatio deinde vs. 129—180, continuatur, et lectorem mirum quantum delectat. Conferant harum deliciarum studiosi VI, 286 seq. XIV, 160 seq. Horat. Od. I, 12, 33 seq.; II, 5, 10—20; III, 6, 17—48; Ovid. Fast. I, 197 seq. et Prop. IV, 1; et not. Crammeri, pag. 432. Ed. — *Senatus*, senatorum.

Not. 78 seq. Hæc notissima ex Valer. Max. IV, 3, 5; Plin. XIX, 5, seu 26, extr. Sen. Cons. ad Helv. c. 10, al. Conf. supra ad II, 3. Eadem de C. Fabricio Luscino tradit Sen. de prov. c. 3. — *Oluscula* pro vilissimo cibi genere, ut ap. Horat. Sat. II, 2, 117. Conf. Ammiani Epigr. XX, in Brunck. Anal. tom. II, p. 388. Notanda etiam h. l. epitheta *parvo* et *brevibus*.

Not. 80. Bene vilitas ciborum exprimitur, etiam comparatione temporum. Conf. Pers. VI, 40. — Servi autem ergastularii pedibus vincti, etiam quum opus in agro facerent. Conf. Ovid. ex Ponto I, 6, 31, 32 (ex quo loco verba quædam petita videntur); Plin. XVIII, 3, et Lips. Elect. II, 15.

Not. 81. *Meminit*, quia ante servitutem non parce consueverat vivere. — *Quid sapiat*, quem, h. e. quam bonum saporem habeat, ut infra vs. 121 : *Nil rhombus sapit*, et Germ. *es schmeckt nach nichts*, vel *mella herbam*

[1] Vid. Plin. XV, 15, seu 16; Colum. V, 10, 18; Macrob. III, 19; Martial. V, 79, 13; Intpp. Virg. Georg. II, 88, et Bodæus a Stapel ad Theophr. IV, 4, pag. 329.

[2] Pira Picentina laudat Plin. XV, 15, seu 16, ubi Harduin. notat, *æmula Picenis* pira h. loc. designari. Hæc itaque verba ad præced. retulit; quæ ratio paullo durior est. Olivas quoque et panes Picenos laudat Mart. XIII, 36 et 47.

sapiunt (Plin. XI, 8), et similia, ubi verbum *sapere* vel propr. de sapore, vel de odore adhibetur. (Conf. intpp. Phædr. III, 4, 3.) — *Vulva* suilla in deliciis erat Romanis, et magis quidem ejectitia, extracta utero matris prægnantis, ἐκβόλιμος, ἐκβολὰς, μήτρα ἐκβολάδος, ejecto per abortum partu, quam porcaria, partu edito legitimo tempore ac nascendi modo. Conf. Apicius, de Re culin. VII, 1; Plin. VIII, 51, et XI, 37, seu 84 (ubi vid. Hard.); Martial. VII, 19, 11; XIII, 56; Horat. Epist. I, 15, 41, et inpr. Athen. III, 17, 21, 22 (51, 57—59), pag. 96, et 100 seq. — *Vulva popinæ*, delicate præparata in popina, diversorio gulosorum hominum, *calidæ*, ubi perpetuo ignis est in foco et cibi parantur. Conf. ad VIII, 168.

Not. 82 seq. Annotatio Casaub. ad Athen. I, 10, p. 13, est: «Satis constat tam ex sacris quam aliis literis, primis temporibus, ignota hominibus carnium manducatione, tantum in honorem numinis mactari solitas hostias. Piguit postea mortales olerum et τῆς ἀπύρου τροφῆς: itaque cœpere et ipsi carnibus vesci, sed parce initio et fere non nisi salitis.» — *Sicci*, fumo exsiccati (vid. ad VII, 119) *terga suis*, ut mox *lardum*. — *Pendentia* in carnario non procul a foco e *crate* lignea et *rara*, non densa, ut vento aerique magis pervia essent; ut *rara*, vel *parva tibi curva craticula sudet ofella* in Martial. XIV, 221. Veteribus non, quales nobis sunt, carmini erant et cellæ fumariæ, sed fumus per fores et fenestras emittebatur, quapropter res fumo condiendæ aut tigillis suspendi solebant, ut a rusticis nostris, aut in summa ædium parte locari, quæ vinorum præcipue servandorum ratio erat.[1] — *Terga* suis et capita, sale fumoque durata, ut diu reservari possent, cibi vulgares erant et rustici. Conf. Horat. Sat. II, 2, 117 seq. et *Crammer*, pag. 433. Ed.

Not. 83. *Festis diebus* pro *in festos dies*, locutio parum Latina, nisi forte *apponenda* subaudias; H. Vales. Sed conf. Æn. I, 207, et similia passim obvia.

Var. 84. *Ac*, 60. *At*, 25, 56, 57, 59. *Tunc majorum aliquis* audacter emend. Schrader.

Not. 84. *Cognatis ponere*, apponere in mensa, *lardum natalitium*, die natali, vel quod eo die apponi solet in epulis, quæ in illo parantur.

Var. 85. *Novam*, 24. — *Daret*, 11, 14, 16, 17, 20, 24. — *Carnem*, 19 a m. pr. 20, 21, 22, 45, 49.

Not. 85. *Accedente*, addita tantum, *nova*, recenti vel alia, *carne*, *si quam dabat hostia*, si forte mactaretur vel ab ipsis, vel a magistratibus;

[1] Conf. VI, 321; VII, 119; Colum. XII, 53, inpr. Macrob. Sat. VII, 12; Heins. ad Ovid. Met. VIII, 647, et Fast. II, 645; Gesner. ad Script. Rei. Rust. in Ind. voc. *carnarium*, Burm. ad Petron. c. 96, 135, 136.

« immolatarum enim ab his hostiarum exta ad quæstores ærarii delata venibant; sacrificiisque populi Romani tum deorum immortalium cultus, tum etiam hominum continentia inerat, » Valer. Max. II, 2, 8.

Not. 86 seq. Clarissimi quoque homines *ad has epulas*, tamquam lautissimas, *maturius solito ibant*, ut largius diutiusque genio indulgerent, et quia ingenti cupiditate tam delicati cibi ardebant. — *Imperiis castrorum*, militaribus. Alii ad titulum Imperatoris referunt. — *Solito maturius*, ante horam nonam, Schol. (vid. ad I, 49). Τρεχέδειπνοι, Lindenbr. (vid. ad III, 67.)

Var. 89. *Ereptum*, 21 a m. pr. 56, 60.

Not. 89. Priscis temporibus proceres civitatis agrum colebant, et opere rustico delectabantur, unde et prima cognomina orta, Fabiorum, Lentulorum, Ciceronum, Seranorum, Pisonum, Pilumnorum; quod notum ex Plin. XVIII, 3—5; Colum. in Præf. et aliis. — *Erectum*, humeris sublatum, *a monte domito*, a colle vel agro montano, quem subegit ligone et aratro (conf. Martial. IV, 64, 33, et Virg. Æn. IX, 608), *ligonem referens* domum. En venerandam priscorum civitatis procerum imaginem!

Var. 90. *Alii* pro *autem*, 15. *Ante* pro *autem*, 25, 46, 47, 48, 58.

Not. 90 seq. Quamdiu Roma timuit Censores, horumque censura severa fuit, simplices quoque fuere eorum victus et supellex. — *Tremere* aliquid, seu aliquem, docte dicitur passim.[1] — *Fabii*, *Cato*, *Scauri* et *Fabricii* h. l. clarissimorum Censorum nomina. Septem, quod sciam, *Fabii* fuere Censores: M. Fabius Ambustus, ann. Urb. CCCXC (vid. Pigh. Ann. tom. I, pag. 274); Q. Fabius Maximus Rullianus, ann. CDXLIX (Liv. IX, 46; Valer. Max. II, 2, 9; Aurel. Vict. de Vir. Ill. c. 32); Q. Fabius Gurges, Maximi Rulliani filius, ann. CDLXXIII (vid. ad VI, 266, et Pigh. Ann. tom. I, pag. 431, 432); Q. Fabius Maximus Verrucosus Cunctator, ann. DXXIII (Pigh. Ann. tom. II, pag. 107); M. Fabius Buteo, ann. DXII (Pigh. Ann. tom. II, pag. 66); Q. Fabius Max. Servilianus, ann. DCXXVII (Valer. Max. VI, 1; Pigh. Ann. tom. III, p. 33); Q. Fabius Max. Æmilianus Allobrogicus, ann. DCXLV (Pigh. Ann. tom. III, pag. 130). Non male vetus Schol. « *Fabium* (nam ita legendum pro *Fabricium*, ut sit Q. Fabius Maximus Rullianus, collega P. Decii in censura, qui cum eodem consul fuit et certamen de provinciis habuit teste Liv. X, 24) Censorem dicit, cui in Censura *Maximi* nomen obvenit, qui luxuriam reipubl. damnans a collega P. Decio postulavit, ut aut ipse, quemadmodum ei videretur, mores hominum emendaret, priorum Censorum negligentia perditos, aut pateretur se revocare pris-

[1] Vid. Burm. ad Valer. Flacc. V, 520, et Heins. ad Claudian. in Rufin. II, 125.

tunum civitatis statum: quorum si neutrum faceret, minitatus abdicaturum se eum magistratu. Decius ergo exterritus permisit, ut, quemadmodum vellet, remp. administraret, se consentiente. » — *Cato* h. l. est M. Porcius Cato, Tusculanus, *Censorius* ac *Sapiens*, et vulgo *Cato major* vel *Priscus Cato* dictus, acerrimus nobilitatis adversarius, cujus frugalitas notissima et celeberrima ob severitatem censura, quam ann. DLXIX, gessit. vid. Liv. XXXIX, 40—44; Plut. Vit. Cat. et Pigh. Ann. tom. II, pag. 251, 310 seq. et 425. Hinc et *durus*, hoc est, severus, h. l. et Martial. XI, 2, 1, *Triste supercilium durique severa Catonis Frons*, dicitur. — E *Scauris* clarissimus M. Æmilius Scaurus, qui princeps Senatus, Censor, ann. DCXLV, bis Consul, ann. DCXXXVIII et DCXLVI, et auctor legis cibariæ fuit, et Æmiliam stravit viam pontemque Mulvium fecit. Vid. Ernesti clav. Cic. et Pigh. Ann. tom. III, pag. 126. — De *Fabricio* Censore vid. ad IX, 142; et *Crammer*, pag. 435. Ed.

Var. 91. *Rigidique* pro *postremo*, 7, 10, 14—27, 45—50, 54—69, 71, 72, 73, et omnes Codd. Paris. *Rigidus* passim dicitur severus, et ipse Censor Ovid. Art. II, 664. Sed hoc loco langueret, quia cum synon. *severos* jungeretur, cujus voc. interpretamentum redolet: tamen invito *Ruperti* utrumque retineo. Ed.

Not. 92. Hæc referri possunt ad censuram Fabii ac Decii, de qua vid. verba vet. Schol. supra ad vs. 90, adscripta, et C. Claudii Neronis ac M. Livii Salinatoris, ann. DXLIX, de qua vid. Liv. XXIX, 37; Valer. Max. II, 4, et Pigh. Ann. tom. II, pag. 217.

Not. 93 seq. Illis temporibus nemo sollicitus fuit de lecto testudine exornando, aliaque supellectilis magnificentia comparanda. Poeta memor h. loc. fuisse videtur nobilissimi de laudibus vitæ rusticæ loci apud Virg. Georg. II, 462 seq.

Var. 94. *Oceani* omnes Codd. Paris. tribus exceptis recentt. qui *Oceano* habent; quod mireris: nam *in Oceano fluctu*, 9, 16, 23, 25, 27, 41, 43, 46—49, 55—60, 65, ut infra vs. 113. *Litore ab Oceano*, in 7, 14, 16, 17, 19, 20, 22, 25, 41, 43, 45, 49, 55—57, 59, 60, 83. probb. Grangæo, Plathnero, Lips. Epist. Quæst. IV, 25, et Heins. ad Claud. de Nupt. Hon. et Mar. vs. 8. Non ignoro quidem, substantiva sæpe pro adjectivis poni, sed non nisi ea, quæ proprie sunt adjectiva, si perpauca exceperis exempla, quæ vitiosam sapiunt lectionem; vid. Heins. loc. laud. et ad Ovid. Her. II, 74; III, 100; IV, 12; IX, 86; XIV, 19; inpr. XV, 83; ad Ovid. Met. III, 729; ad Claud. B. Gild. vs. 407; ej. laud. Stilic. I, 121; ad Petron. c. 35; Drakenb. et nos ad Sil. I, 173; II, 45; III, 387. *Oceanus* autem nuspiam adjective dicitur. Dubia certe sunt exempla, quæ laudantur, Tac. Hist. IV, 12; Cæs. B. G. III, 7, et Ampel. I, quibus locis *mare Oceanus*, et in quarto casu *mare Oceanum* dici videtur, ut *Rhenus amnis*, etc. Conf. Ernesti ad Tac. loc. laud. Alia exempla, ex Avieno, Pithœi Catal. et Venant. Fortunat. Ep. III, 23, et Carm. VII, 2, ab

Heinsio excitata ad Claudian. loc. laud. tum ex recentt. petita sunt scriptoribus, tum librariorum forsan socordiæ, aut stupori debentur.

Not. 94, 95. «Testudines tantæ magnitudinis Indicum mare emittit, ut singularum superficie habitabiles casas integant; atque insulas Rubri præcipue maris his navigant cymbis.......... In Phœnicio mari haud ulla difficultate capiuntur, etc.» Plin. IX, 10, seu 12. «Testudinum putamina secare in laminas lectosque et repositoria his vestire Carvilius Pollio instituit,» id. ibid. c. 11, qui lib. XXXIII, 9, seu 51, tradit, Carvilium, Equitem Romanum, paulo ante Sullana tempora vixisse. Conf. de testudinibus ac supellectile, inpr. lectis testudineis, quos Clemens Alex. χελώναις πεποικιλμένας κοίτας et Lucianus κλίνας ἀπὸ χελώνης Ἰνδικῆς appellat, VI, 80, et Plin. ll. cc. et XXXII, 4.[1]

Var. 95. *Et nobile*, 10, 14, 16—24, 45.

Not. 95. *Trojugenis*, ut sup. I, 100, ubi vid. not. — *Fulcrum*, spondam. vid. supra ad VI, 22. Lecti tricliniares præcipua supellectilis pars.

Not. 96. *Nudo latere*, vulgo exponunt: sine fulcro, ad quod discumbentes se inclinent; sed rectius Schol. non ornata (testudine vel argento aurove) sponda. — *Frons*, anterior pars lecti et altior ad caput, *ærea*, lamina æris obducta: quod unicum fuit *lecti*, et quidem parvi (conf. III, 203), ornamentum.

Var. 97. *Vite* conj. Hennin. ob verba Hygini, in Comm. laudata. Sic poeta *vite coronati* facete dixit pro *vite alligati*. Sed epitheton vile etiam aptissimum est h. loc. vid. Comm. Malim tamen reponere *coronatis ostendebat*, scil. convivis, ut supra V, 36, ubi vid. Comm. *Coronatæ...... asellæ*, emend. Scoppa Collect. I, 27; coll. Pallad. II, 35, 16. «Omnia semina horti, vel agri feruntur ab omnibus malis ac monstris tuta servari, si agrestis cucumeris tritis radicibus ante macerentur: item equæ calvaria, sed non virginis, intra hortum ponenda est, vel etiam asinæ: creduntur enim sua præsentia fecundare quæ spectant», et Colum. X, 344. *Hinc caput Arcadiæ nudum cute fertur asellæ* (nam ita legendum putabat pro *Arcadici...... aselli*) *Tyrrhenus fixisse Tages in limite ruris*. Hæc vero superstitio, ab Etruscis profecta, ab hoc loco aliena est: nam amuletum illud in agris ponebatur, non in lectis conviviisque, et poeta noster id agit, ut doceat, quo diverso ornatu lecti priscis et suis temporibus fuerint instructi. Nugantur itaque interpretes tantum non omnes, qui suspicantur, priscos homines in ipsis cœnasse agris, et, qui in lectis ibi discubuerint, spectasse sibique invicem ostendisse caput asellæ vel aselli, in agrorum limitibus suspensum.

Not. 97. Hujus ritus causam Ferrarius Elect. II, 26, jam recte petiit

[1] Ad quæ loca vid. Harduin. Conf. etiam Sen. Ben. VII, 9, et Wernsdorf. ad Poet. Lat. min. tom. III, pag. 406, et tom. IV, pag. 657.

ab Hygino fab. CCLXXIV, pr. cujus loci lacunam ita supplevit: « Antiqui nostri in lectis tricliniaribus in fulcris capita asellorum vite alligata habuerunt, significantes quod pampinos prærodendo putare vites docuerit, atque ita vini suavitatem invenerit. » Conf. Muncker. ad h. l. Huic conjecturæ favet Pausan. II, 38. Τὰ δὲ ὑπὸ τῶν ἐν Ναυπλίᾳ λεγόμενα ἐς τὸν ὄνον, ὡς ἐπιφαγὼν ἀμπέλου κλῆμα ἀφθονώτερον ἐς τὸ μέλλον ἀπέφηνε τὸν καρπὸν, καὶ ὄνος σφίσιν ἐν πέτρᾳ πεποιημένος διὰ τοῦτό ἐστιν, ἅτε ἀμπέλων διδάξας τομὴν, παρίημι οὐκ ἀξιόλογα ἡγούμενος. *Frons* itaque *lecti ostendebat*, videndum præbebat *caput aselli*, effigiem capitis asinini, in ea expressam vel potius caput vite alligatum; quod *vile* ornamentum erat, si *claro* illi *ac nobili fulcro* compareter. — *Frons* autem h. l. designare videtur fulcra lecti in anteriore ejus parte; quod ex Hygin. l. l. probabile fit. — *Coronati sertis*, puto, non panibus, ut in sacris Vestæ, de quo vid. Ovid. Fast. VI, 311, et 319 seq. Sed vid. Var. Lect.

VAR. 98. Abest a 14.

NOT. 98. *Ruris alumni*, rustici infantes; vivi, opinor, non efficti.

VAR. 99. Præstiterit: *Quales ergo cibi*, *talis*, etc.

NOT. 99. *Tales ergo*, tam simplices erant, *cibi*, de quibus vid. supra vs. 77 seq. Conf. Var. Lect.

VAR. 100. *Tum*, 17, 20, 21, 22, 24.

VAR. 101. *In*, abest a 16.

ANAL. 100—108. Priscis temporibus miles capta urbe eximia vasa, quorum ignorabat pretium, frangebat, ut inde equorum armorumque ornamenta, quæ sola curabat, conficeret vel eorum fragminibus ac cælaturis equos et arma ornaret De eo vid. verba Polybii apud Strabon. pag. 381. Quam rudes artium Romani adhuc fuerint ante excidium Corinthi, vel ex eo intelligitur, quod de Mummio referunt Vellei. I, 13, et alii. — *Græcas artes*, sculpturam, picturam aliasque artes, a Græcis potissimum excultas. — Vid. *Crammer*, pag. 436. ED.

NOT. 101. *Prædarum in parte*, quam sorte acceperat.

NOT. 102. *Magnorum artificum*, quales VIII, 102 seq. laudantur.

NOT. 103. *Phaleræ* propr. equi, deinde et equitum aliorumque (etiam cursorum ap. Petron. c. 28, pag. 100), ornamenta, quæ tamen qualia fuerint, parum constat, nisi forte non minus vera, quam perspicua est eorum descriptio in Panciroli notitia dignitatum imperii Orientis (in Grævii Thes. Ant. Rom. tom. VII, pag. 1396): « Aliæ purpureæ tæniæ dorsa ac pectora collaque equorum complectuntur: pro fasciis aureæ phaleræ cernuntur, quæ sunt ovales orbiculi et auro distincta lora [1]. »

[1] Vid. ad X, 134, not. 48; Cerda et Heyn. ad Virg. Æneid. IX, 359; Ernesti Clav. Cic. Lips. Mil. Rom. V, 17; Duker. ad Flor. pag. 52; Heins.

Not. 103. *Gauderet*, lætaretur quasi ac superbiret. Præclare sensus tribuitur equo, et sic præstantia ornatus designatur, quam et equus intelligit. Male plerique commentatorum ista interpretantur : ut equus phaleras haberet.

Not. 103 seq. Cælatura vel galearum vel clipeorum patria et origo aut historia majorum rerumque ab his præclare gestarum exprimi solebat.[1]

Not. 104, 105. Res fabulosa et vel tironibus nota. Eadem adumbrata in clipeo Æneæ. ap. Virg Æn. VIII, 630 seq. cujus loci venusti Juvenalis memor fuit. — *Romuleæ feræ*, lupæ, *geminos Quirinos*, hoc est, Romulum Remumque, lactantis.

Var. 105. *Et geminos*, 22, 61—69, 72—74. — *Sub rume* (hoc est, mamma lupæ) ingeniose conj. Barth. Ableg. crit. II, 2. *Rumis*, seu *ruma* et *rumen* antiquo voc. dicebatur mamma, et hinc ficus *Ruminalis*, ad quam infantes expositos fuisse vulgo tradunt (vid. Varr. R. R. II, 1, 20, 11, 5; Festus voc. *Ruminalis*, Plin. XV, 18, seu 20, et ibi Harduin. et Juvenalis ante oculos habuit Virg. Æneid. VIII, 631 sqq. — *Sub rupe Quirini* (ut *in colle Quirini*, hoc est, Quirinali, apud Horat. Epist. II, 2, 68) suspicari possis. *Quirinos* certe *geminos* paulo durius et improprie dixit poeta, si verum est, *Quirinum* esse nomen propr. Romuli, idque post ἀποθέωσιν demum ei datum. Sed *collis Quirinalis* longe abest a Tiberi, ad cujus alveum expositi Romulus Remusque, et vera notio atque origo nominis Quirini, quod etiam Romulo puero, Jano, Augusto et Antonio ab Ovid. Fast. III, 41; Macrob. I, 9; Virg. Georg. III, 27, et Prop. IV, 6, 21, tribuitur, ipsis Romanis parum cognita videtur fuisse ac perspecta.

Not. 105. Cf. Var. Lect. — *Imperii* Rom. *fato* ac fortuna ita ferente, ut lupa mammas præberet pueris, conditoribus tantæ urbis. — *Sub rupe*, juxta petram aquas vomentem, teste Dionys. Hal. lib. I. Conf. Cerda ad Virg. Æneid. VIII, 630. Pro rupe vulgo memorant ficum Ruminalem; de qua vid. Hard. ad Plin. XV, 18, seu 20.

Var. 106. *Hac*, 22. *Et*, 16, 21. — *Venientis*, I, 11, 16, 70, 75, 76, 77, 81, 82, et tres Codd. Paris. (in his Put.), scil. vel ad Iliam, ut cum ea concumberet, vel ad suos liberos, quos lupa alebat. Illam interpretandi rationem proposuit vet. Schol. hanc Grangæus. Utraque dura est, atque contorta, at durior ellipsis præp. *cum : venientis* cum *clypeo et hasta*. H. Valesius legendum putabat *effigiem in clypeo venientis*. Nonnulli jungunt : *effigiem Dei* in *clypeo et hasta ostenderet*. Sed quomodo *cassis cælata* (nam hoc subjectum est, non



et Burm. ad Ovid. Met. VIII, 33; Intpp. Petron. 55, et Suet. Ner. 33; Drakenb. et nos ad Sil. XV, 255; Böttig. Sab. p. 350, 363, 438, 457, ed. pr.

[2] Vid. Drak. et nos ad Sil. I, 407, 415; VIII, 385 seq. et XV, 682.

miles) *effigiem Dei* in *clypeo et hasta ostendere* potest? Pro *venientis* legitur *fulgentis* in 10, 12, 14, 15, 17—27, 45—50, 54—69, 71—74, et XXXII MSS. Paris. unde illud restituit Ach. Sed haud dubie hæc est emendatio, quæ e margine in contextum irrepsit. Displicet etiam hoc verbum, quoniam mox sequitur. Poeta forsan scripsit *minitantis*.

VAR. 107. *Prudentisque*, 72. *Pendentesque* (de lupa) *deos*, Romulum Remumque *ostenderet hosti* (scil. admoto scuto) emend. Lips. in Anal. ad Mil. Rom. lib. III, Dial. 2. Fuere etiam, qui legendum putarent *Perdentisque Dei*, ut *perdens Deus* h. l. *pernituro hosti* opponeretur.

NOT. 107. *Dei*, Martis, parentis Romuli et sic populi Rom. — *Pendentis* vox obscura, quam Britan. interpretabatur: in summa casside expressi: nam quæ alta sunt, *pendere* dicunt poetæ. Conf. ad VII, 46, et h. l. Var. Lect.[1] — *Perituro hosti*, venuste et apte ad virtutem militis adumbrandam.

VAR. 108. Post vs. 109 posuit Ach. quia eo loco legitur in 7, 14, 17, 20, et vetustiss. Codd. Paris. at plane abest ab 11, 13, et III MSS. Paris. et languet post illa vs. 100 seq.

NOT. 108. Conf. Casaub. ad Suet. Cæs. c. 67.

VAR. 109. Abest ab 21. *Farraca*, 10, 12, 17—20, 23, 27, 46, 47, 49, 54, 64. *Serraca*, 60. *Sarraca*, 48. — Post *catino*, non post *tunc*, distinctionem posuit *Ruperti*, præeunte vet. Schol. Sed nos simplicius. ED.

NOT. 109. *Ponebant*, apponebant olim, *farrata* cibaria, cibos e farre, pultem (vid. ad VII, 185, et XIV, 171), in *catino*, vase fictili, *Tusco*: nam fictilia Tusca, et præcipue Arretina, erant nobilissima; vid. Martial. XIV, 98; Intpp. Pers. II, 60, et Hard. ad Plin. XXXV, 12, seu 46. « Quædam exstant hodie sub hoc nomine, *vases Etrusques*: quæ antiquarii nuperi, forsan ex levibus argumentis, contendunt esse indistincte et omnia Græca; » Ach. — Vid. *Crammer*, pag. 436. ED.

VAR. 110. *Tum*, 22. *Nunc*, 16.

[1] Vetus interpres MSS. a Rigaltio laudatus: « quasi ad ictum se inclinantis. » Sic fere *proni aurigæ in verbera pendent* apud Virgilium Æneid. V, 147, et al. Sed *pendere* non simp. ita ponitur. Lubinus exponit: sculpti in clypeo, qui e sinistro militis humero dependet. Addison (*Reisen*, *deutsche Uebers*, pag. 249), et Spenc. (Polymetis Dial. VII, p. 77) ex nummis: ad Rheam Sylviam se demittentis, ut cum ea concumbat, et in aere pendentis. Lessingius (Laocoon VII, pag. 81 seq. ed. sec. ubi illos refellit): incerti, dubii, vel communis, coll. Servio ad Virg. Æneid. XIII, 118 (« Dii communes sunt Mars, Bellona, Victoria, quia hi in bello utrique parti favere possunt »), ut innuatur, victorias propriæ potius virtuti tribuendas esse, quam dubio auxilio dei, modo his, modo illis partibus faventis.

Not. 110. *Omnia*, quæ *tunc* temporis possidebant homines, parvo contenti et beati, ita comparata erant, ut iis *invidere* possis, *si lividulus sis*, si vel paululum ad invidiam proclivis sit animus.

Not. 111—116. Dii quoque ipsi, quum minus luxuriosi essent homines, magis erant propitii, et vel vatum loco imminentia prænuntiabant mala. Sensus est: homines paucis contenti longe religiosius vivebant, multoque cariores erant diis; felicius vivebant et securius: quidquid enim boni contingit nobis, prisca loquendi ac cogitandi ratione Diis tribuitur. Conf. loca præclara Sen. Consol. ad Helv. c. 10, et Epist. 31, extr. «Deos finges non auro, non argento: non potest ex hac materia imago Deo exprimi similis. Cogita illos, quum propitii essent, fictiles fuisse.» Martial. XIV, 178; Tibull. I, 10, 19 seq. et Lucian. Contempl. tom. I, pag. 505, ed. Reitz. — *Templorum*, Deorumque majestas erat *præsentior*, magis propitia: nam dii favent et auxilium præstant, quum adsunt. Conf. ad III, 18, in Var. Lect. Cerda et Heyne ad Virg. Ecl. I, 42, et Georg. I, 10.

Not. 111—114. «M. Cædicius de plebe nunciavit tribunis, se in nova via, ubi nunc sacellum est, supra ædem Vestæ, vocem noctis silentio audisse clariorem humana, quæ magistratibus dici juberet, Gallos adventare;» Liv. V, 32. Conf. ibid. c. 50; et *Crammer*, pag. 437. Ed.

Var. 113. *Litore et oceani*, 46, 48. *Litore ab occiduo* rectius forsan 6, judicio etiam Pulm. et Schurzfl. *Litore ab oceano*, 65, et alii; vid. sup. ad vs. 94.

Not. 113. «Invisitato atque inaudito hoste ab Oceano terrarumque ultimis oris bellum ciente,» etc. Liv. V, 37.

Var. 114. Vox *his* parum commoda est. *Hos* reposuit Marshall, adjecta hac nota: «*Hos*, id est, Gallos adventantes et in Italiam irruentes: *moneo* enim duplicem regit accusativum.» Præstiterit *hic*, Romæ, ut sensus sit: vox deorum Romæ præsentium, non oraculi peregrini, monuit nos.

Not. 114. *His*, ex his templis. Alii: *his* rebus, hoc modo; et Ach. de *his*, de adventu Gallorum. Conf. Var. Lect. — *Monuit nos*, ut periculum, quod instaret, caveremus; quod erat officium sacerdotis. Ed.

Not. 115. *Rebus Latiis*, reipublicæ Romanæ, imperio Romano, ut *res Romanæ*, *Asiæ*, *Agamemnoniæ*, *Iliæ*, etc. ap. Virg. et al.

Var. 116. *Velatus* conjectura in marg. Cod. Almelov.

Not. 116. Confer ad vs. 111, ad III, 18 seq. VI, 342 seq. Plin. XXXIV, 7, seu 16; XXXV, 12, seu 45, 46; Valer. Max. IV, 4; Ovid. Fast. I, 201, 202. — *Nullo violatus Jupiter auro*, vid. supra ad III, 20. De Jove Hammone Lucan. IX, 516 seq.

> Pauper adhuc deus est, nullis violata per ævum
> Divitiis delubra tenens; morumque priorum
> Numen Romano templum defendit ab auro.

Hæc feliciter imitatus est Nostras *Lafontaine*, in principio carminis elegantissimi, quod inscripsit; *Philémon* et *Baucis*. Sic fingitur Philemon ipse Jovem et Mercurium sub viatorum vestibus latentes alloqui :

« . . . . Saluez ces pénates d'argile:
« Jamais le ciel ne fut aux humains si facile,
« Que quand Jupiter même était de simple bois;
« Depuis qu'on l'a fait d'or, il est sourd à nos voix. » Ed.

Not. 117 seq. Priscis temporibus mensæ conficiebantur e nucibus aliisque arboribus vernaculis vulgaribusque, non e citro, quæ arbor longe, ex Mauritania, petebatur; vid. ad I, 75, et 137.

Var. 118. *Hos*, 10—24, 27, 45—50, 54—69, 71—73. *In usus*, 10, 11, 12, 16—24, 27, 48, 54—69, 71—74. Utrumque etiam exstat in omnibus fere MSS. Paris. et restitutum est a nobis pro: *hic lignum stabat ad usus*, quos in aliis libris legitur; vid. Comm. *Hoc lignum stabat in usus*, Cod. Put. *Hos lignum stabat ad usus*, Cod. Alex.

Not. 118. *Hos in usus*, ut mensæ inde conficerentur. — *Lignum*, nux, *stabat*, erat, ut passim *stare* et ἱστάναι pro *esse*.[1]

Var. 119. *Decerpserat*, 11.

Not. 119. *Annosam*, quæ hinc facile *dejici*, seu subverti poterat. — *Eurus* pro quovis vento vehementiori.

Var. 120. *Et*, 21, a m. pr. 46, 47, 48, 58. *Sed*, 21, a m. sec. — *Tunc*, 64.

Not. 121. Exquisitissimi etiam cibi nullum saporem habere videntur, eos fastidiunt luxuriosi homines, *nisi*, etc. Sic *ventrem invitant pretio* (appetitum excitant rebus pretiosissimis) ap. Claudian. XX, 329, et *renovant per damna famem* ap. Petron. 119. Conf. Horat. Sat. II, 2, 21; Petron. 55, ibique intpp. — *Nil sapit*, vid. supra ad vs. 81. — *Rhombus*, vid. ad IV, 39. — *Damæ*, Λιβύστιναι δορκάδες, diversissimæ ab iis, quæ Gallis *daims*, nobis *Damhirsche* dicuntur; vid. Ælian. H. A. XIV, 14.

Var. 122. Pro *latos* poeta forte scripsit *citreos*, et illud epitheton margini adscriptum ex alio ejus loco sup. I, 137, in textum irrepsit. Conf. loca Lucani et Martialis, in Comm. adscripta.

Not. 122. *Unguentorum* et *rosarum* vel coronarum usus in conviviis notissimus.[2] — *Latos orbes*, mensas grandes et rotundas; vid. ad I, 137, et h. l. Var. Lect. — *Orbes sustinet grande ebur et pardus sublimis*, hoc est, pes altus seu fulcrum eburneum, cælatum in pardi hiantis figuram,

[1] Vid. Heyn. ad Virg. Æneid. I, 546; VII, 553, et Burm. de Jove Fulgerat. c. 14, pag. 322 seq.

[2] Vid. ad IX, 128, et intpp. Horat. Od. I, 5, 1; 38, 3; II, 3, 13 seq. 7, 22; III, 14, 17.

dentibus ex illis, elephantinis, *quos mittit*, etc. Conf. ad III, 205; Plin. XII, 5, et loca simil. Lucan. X, 144; Martial. II, 43, 9, 10; IX, 23, 5; XIV, 89, et 91. Τραπέζας ἐλεφαντίποδας dixit Lucian. in Somn. Rotundæ mensæ, ferme μονόποδες fuere, quadratæ vero tripedes nec ita in pretio et tenuioribus relictæ, Hennin. Conf. Lips. Antiq. Lect. III, 1.

VAR. 124. *Nutrit*, 29. — *Quos mittunt castra Syenes* suspicari possis; vid. Comment.

NOT. 124. *Dentibus*, quos Pausanias et alii rectius *cornua* [1] appellant. — *Syene* opp. et penins. in Nilo et confinio Ægypti atque Æthiopiæ, sub cancri tropico (Ptol. IV, 5), hod. *Essuen* seu *Asvan* et *Assevan*, quo Juvenalis ablegatus dicitur sub honorificæ militiæ prætextu : nam tres ibi cohortes Romanæ præsidii causa excubabant (Strab. XVII, pag. 797), quæ *Castra* vocantur Plin. V, 9, seu 10, ubi conf. Harduin. Hinc *portam Syenes* h. l. dici putabat Calder. Alii existimant, Elephantidem seu Elephantinam ins. et urbem vicinam (vid. Plin. et Harduin, l. l.) designari, quoniam ex ea et Æthiopia per Syenen, tamquam *portam*, in Ægyptum transitus, et illa ab elephantorum multitudine sic dicta sit; vid. ad VIII, 160.

NOT. 125, 126. « Elephantos fert Africa ultra Syrticas solitudines et in Mauritania : ferunt Æthiopes et Troglodytæ : sed maximos India, » Plin. VIII, 11. Hinc tiam præcipue laudantur *Indi dentes* et *Indum ebur*, verb. caus. Ovid. Met. VIII, 288; Catull. LXIV, 48, et Petron. c. 135. — *Mauri celeres*, ut fere omnes Africæ populi, verb. caus. Pœni (Sil. III, 232), Gætuli (Sil. III, 192 seq.), Autololes (ibid. 306 seq.), Æthiopes Troglodytæ (Herodot. IV, 183; Plin. VI, 29 seu 34), et alii. Conf. Lucan. IV, 677 seq. — *Mauro obscurior*, nigrior, *Indus* orientalis. Μαῦρον Græcis obscurum dicitur. — *Concolor Indo Maurus*, apud Lucan. IV, 678.

VAR. 126. *Nabatæo* pro *Nabathæo* substitui ex 22. Ναβαταῖοι dicuntur Strab. XVI, pag. 779, Plinio et aliis. — *Belua*, non *bellua*, 17, 21, 22, 45, 49; vid. ad IV, 121.

NOT. 126. *Nabatæi*, quorum μητρόπολις fuit Petra, unde Arabia Petræa nomen accepit. Strab. XVI, pag. 779, et Plin. VI, 28 seu 33. Ex his quidam commigrarunt in Africam.[2] Elephanti autem dentes quovis fere biennio, ut cervi certo tempore cornua, *deponunt*, et, quoties id faciunt, plerumque recipiunt graviores crassioresque. Si fides habenda Plin. VIII, 3, seu 4, dentes « deciduos casu aliquo vel senecta defodiunt,.... circumventique a venantibus impactos arbori frangunt, prædaque se redimunt. »

[1] Vid. Drakenb. ad Sil. XVI, 206; Intpp. Plin. VIII, 3 et 10; Broekhus. ad Prop. II, 23 (al. 31), 12.

[2] Plin. XII, 20, seu 44. Conf. Diod. II, 48; Joseph. Ant. Jud. I, 12, 4; Relandi Palæst. pag. 90.

Not. 127. Facete poeta deridet luxum. — *Hinc*, quum mensæ sunt citreæ, et pes earum eburneus, *surgit*, crescit, *orexis*, ὄρεξις (ab ὀρέγομαι, appeto), appetitus ciborum; ut apud Lamprid. in Heliogab. 29, extr. «Amabat sibi pretia majora dici earum rerum, quæ mensæ parabantur, orexin convivio hanc esse asserens.» Conf. vs. 16, et ad VI, 428.

Var. 128. *Bilis* revocavi ex 10—22, 25, 27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et XXXIV MSS. Paris. *vires*, 23, 24, 70, 75, 76, 82, et Cod. Put. Sed illa lectio difficilior est et doctior, hæc emendationem sapit. *Virus* conj. Lindenbr.

Not. 128. *Bilis*, ut *improba ventris rabies*, vel *rabies edendi* de lupo, qui *asper et improbus ira sævit in absentes oves*, apud Virg. Æneid. II, 356, et IX, 63. Prateus: «*Stomacho bilis*, velut ira ad cibos devorandos. Porro famem irritari constat bili stomachum vellicante.» Schurzfleischius: «In Cod. meo additur scholium *amaror*, qui videlicet escas faciat delicatas.» Conf. Var. Lect. — *Pes argenteus* non majoris nunc æstimatur, quam *annulus ferreus*, cujus usus priscis temporibus honorificus fuit; vid. Plin. XXXIII, 1. Nunc eburnei tantum mensarum pedes in pretio sunt, ut aurei annuli.

Not. 129. *Ergo*, quum tam delicate nunc et luxuriose vivatur.

Not. 130. *Caveo*, non invito ad cœnam. — *Qui me sibi comparat*, qui postulat, ut in supellectilem et cœnam non minores, quam ille, sumptus faciam, et *superbus* me frugalem despicit.

Var. 132. *Neque tesselłæ*, 16.

Not. 132. *Tesseræ et calculi*, vel latrunculi ex *ebore*, quorum etiam mentionem faciunt Prop. II, 24, 13, et Martial. XIV, 12, al. 14.[1]

Var. 134. *Quum tamen his nulla*, 13. — *Nec tamen*, 16. *Nulla obsonia unquam*, 16. *Unquam ulla*, 10, 19, 23, 45. *Ulla* abest ab 27, 46, 47, 58. — *Fient*, 19. *Fiant*, 13. — Ceterum *opsonia* (ὀψώνια) scripsi, non *obsonia*.

Not. 134. *Ossea*, non eburnea. — *His*, vilioribus cultellis, cibi non fiunt *ranciduli*, ingratis saporis; vid. ad VI, 185. — *Opsonia*, vid. ad IV, 64. *Non secatur pejor*, pejus; vel: gallina non pejor est et fit, si his cultellis secatur.

Var. 135. *Et ideo*, 13. *Haud ideo*, 15, 25, 27, 48, 54, 55, 57—68, 71—73. — *Pejus*, 24. — *Secetur*, 14, 16.

Not. 136—144. Cf. V, 120—124, et ibi not.—*Structor*, vid. ad V, 120.

Not. 137. *Pergula*, magistri in pergulis docentes, et quidem h. loc. artem scindendi cibos. *Pergulæ* magisteriales erant cellulæ, seu diætæ

[1] Conf. Casaub. ad Theoph. Char. V, 4, et Wernsdorf ad Poet. Latin. min. tom. IV, pag. 408.

propendentes in ædium parte inferiore vel editiore (unde ὑπερῷα), in quibus artifices opera sua, ut populo innotescerent, exponebant venalia, aut omnium artium professores, pictores, ludimagistri et artifices, eas publice docebant.[1] — *Trypheri doctoris*, clarissimi structoris, seu carptoris et scissoris, qui pergulam in Subura (vs. 141) habebat, ibique artem fercula scindendi tradebat discipulis. Nota C. Valesii est: « *Trypherus*, nomen videtur fictum a luxu (τρυφερὸς, delicatus, mollis, a τρυφὴ), aut certe alicujus ævo suo celebris coqui : *pergula* autem fuit tantum appendix ædificii, in publicum spectans, Gall. *échoppe;* ob id artifices et magistri minus noti in pergulis opera sua proponebant, aut docebant, ut innotescerent. »

Not. 138. *Sumen*, cibus delicatior, mammæ suillæ, post recentem partum exsectæ et lactis plenæ. Conf. Martial. XIII, 44, et Plin. XI, 37, seu 84, extr. ibique Hard. — *Pygargus*, vel lagopus, vel caprea Libyca (gazella), a clunibus albis, πυγαῖς ἀργαῖς, sic dicta.[2] Aquilæ etiam genus (*vultur albicilla*, Linn. *Jean le blanc*, Gall.) a cauda albicante πύγαργος appellatum.[3] — Januensis notavit numerari inter animalia comestibilia, Deuteron. XIV, pigargon vel pigargum. Ed.

Not. 139. *Scythicæ volucres*, quæ a Phaside, Colchidis fluvio, *Phasianæ seu Phasiani* dicuntur, quod ibi abundant, vel inde ab Argonautis primum sunt advectæ.[4] Colchidis (hodie Mingreliæ) fines a geographis antt. late extenduntur; sed multo latius fines Scythiæ, cui vicinam faciunt alii Colchidem. — *Phœnicopterus*, genus avis, quæ habet *pinnas* (πτερὰ) colore *phœnicio;* semper in aqua est, abundans in Africa : hujus rostrum tam prolixum est et curvum, ut, nisi merso capite, aqua in os ipsius non possit intrare; Schol. — *Nomen debet quæ rubentibus pennis,* Mart. III, 58, 14. Ejus lingua et cerebellum præcipui saporis.[5]

Not. 140. *Oryx*, caprea unicornis et bisulca, in *Gætulia*, Africæ regione.[6] — *Lautissima cœna*, facete, quoniam non nisi simulacra cibo-

---

[1] Vid. Harduin. ad Plin. XXXV, 10 seu 36, 12; Intpp. Suet. Aug. c. 94; Salmas. ad Script. Hist. Aug. tom. II, pag. 733.

[2] Vetus Scholion h. loc. est: « *Pygargus* fera est specie cervi, quæ retriores partes *albas* habet : ideo et *pygargus* dictus est, quia Græce *nates* πυγαὶ dicuntur (et *album* ἀργόν). *Pygargus* (etiam) avis genus, quæ *lagopus* (ita leg. pro *clagalopes,* et de lagopode vid. Plin. X, 48, et intpp. Martial. VII, 86, 1) appellatur. » Vid. Plin. VIII, 53, seu 79, et X, 8; Ælian. H. A. VII, 19; Bochart. Hieroz. III, 20, tom. I, p. 902, et Spanhem. de Usu et Pr. Num. Diss. III, p. 156 seq. ed. sec. et *Crammer,* p. 440. Ed.

[3] Vid Aristot. H. A. IX, 41; Plin. X, 3, ibique Harduin.

[4] Conf. Mart. XIII, 72, et Wernsdorf. ad Petron. c. 93, in Poet. Lat. minor. tom. III, pag. 70.

[5] Conf. Martial. XIII, 71; Sueton. Vitell. 13; Plin. X, 48, seu 67 et 68, ibique Hard.

[6] Conf. Martial. XIII, 95; Ælian. XIV, 14; Plin. II, 40 et 46; VIII,

rum sunt, etsi lautissimorum. Eadem cœna dicitur *ulmea:* nam scissores seu carptores, artem struendæ mensæ dapiumque rite scindendarum docentes, utebantur simulacris ciborum, ex ulmo aliove ligno confectis, quorum singulæ partes connexæ erant filo, aut leviter conglutinatæ, ita ut vel obtuso cultello (*hebeti ferro*, nisi *hebeti* dictum pro hebetato scissione) possent dividi, et sic tirones membrorum reperire juncturas, ac scite partes distribuere aut carpere discerent: quod non sine sonitu fiebat (unde *sonat*) in *Subura*, quoniam multæ ibi erant structorum pergulæ.[1] De *Suburra;* vid. ad III, 5.

VAR. 141. *Suburra*, 11, 18, 27, 47, 49, 61—69, 71, 72, 73. *Subura* in reliquis; vid. ad III, 5.

VAR. 142. *Frustrum*, 10, 11, 12, 19, 21—25, 27, 45, 49, 54, 57, 58, 61, 62, 63, 65—69, 71, 72, 73, 75, 76, 77, 82, et plurimi Codd. Paris.

VAR. 143. *Et rudis*, 11, 20, 77.

VAR. 144. *Furtis*, 11, 17, 20, 22, 59, 70, 75, 76, 77, 82, et optimi Codd. Paris. *Frustris*, 21, 24, 45. *Frustis*, 10, 11, 14, 15, 16, 18, 19, 23, 25, 27, 46—50, 54—58, 60—69, 71—74, et VII MSS. Paris. quod plerique interpp. probant, ut sensus hujus loci sit: *tirunculus noster non novit frustum capreæ subducere*, scite demere aut abscindere, *imbutus frustis ofellæ*, solitus offulas tantum carnis in frusta concidere. Sed hæc sententia languet; nam plura jam, quam opus fuerat, de arte scindendi dixerat poeta vs. 136—141. Præterea voc. *frustum modo* præcessit, neque necesse est *ofellas*, et quidem *exiguas*, in *frusta* concidi. Præstiterit certe verba, *exiguæ frustis imbutus ofellæ*, ita interpretari: solitus in domo et mensa mea non aves videre, aut feras, scite scindendas, sed ofellas tantum carnis, quæ, ut verba Mart. X, 48, 15, mea faciam, *non egeant*

53 seu 79; X, 73, seu 94; XI, 46, seu 106, et ad hæc loca Hard. *Oryx* animal minus, quam bubalus (vel buculus, ut emendat *Crammer*), quem Mauri *Uncem* vocant; cujus pellis ad cetras proficit, scuta Maurorum minora; Schol. — Vid. *Crammer*. ED.

[1] Conf. ad V, 121, et Valesiana, p. 196. Vetus Schol. *ulmeam cœnam* ad codices lanionum, ex ulmis plerumque confectos, referebat. Non male autem Grangæus putabat, a doctoribus illis discipulos *ulmis* cæsos esse, si quando cibos non apposite sciderint, hosque *ulmorum* ictus, per totam *Suburam* resonantes, facete *cœnam ulmeam* vocari, quod, quum edidicerint apparatum cœnarum, *cœnam* primi, sed *ulmeam* prægustaverint. Structores certe, vel scissores in domo et conviviis nobilium divitumque Romanorum servi erant, et servi tum *ulmeis* plerumque virgis (vid. Plaut. in Asin. II, 2, 74, 96; in Rud. III, 2, 22; in Epid. V, 1, 20; in Amph. IV, 2, 9, et al.), tum in *Subura* sæpe flagris cædebantur (conf. Mart. II, 17). Sed h. loc. de institutione, non de suppliciis agitur, et *lautissima* atque *ulmea cœna* omnino ad aves ferasque, ante memoratas, referenda est, nec *sonat* tantum, sed *cæditur* etiam *ferro*. — Crammerus hic est consulendus; pag. 444. ED.

ferro structoris. Manso *fartis* scribendum esse dicit, et ex ipsis verbis patere, quid sit *fartum ofellæ exiguæ*, scilicet genus farciminis e reliquiis carnis variæ et minutim concisæ, quo *imbutus*, hoc est, a teneris assuefactus, delicatioribus dapibus *incultus puer* (vs. 146) tam facile careret, ut frustum capreæ et latus Afræ avis *subducere* ne in mentem quidem ipsi veniret. Enimvero, ut alia taceam, non facile cuiquam, nisi rusticum vitæ genus naturamque humanam ignoranti persuadebitur, bubulci pastorisque filios talibus fartis a teneris fuisse assuefactos, et iis ne Romæ quidem, ubi demenso vix fames servorum explebatur, in mentem venisse, delicatiores cibos, a se ministratos, gustare. Ex occasione furta nasci, vel proverbia docent, et quæ ruri puero defuerat, quoties eam Romæ oblatam fuisse dicemus? Conf. Comm. ex quo patebit, non sollicitandam esse vulgatam lectionem, in qua gravissimum vir doctus mendum sibi reperisse visus est. — Tamen retinui *frustis*, et sensum vulgarem in interpretatione recepi: quod mihi condonatum a doctissimo duce Ruperti precor. Ed.

Not. 142—144. Neque etiam *tirunculus noster*, servulus, novit scite *subducere* furto partes delicatiorum ciborum, ut servi nobilium ditiorumque hominum, *rudis omni tempore et* adhuc *imbutus* tantum, initiatus quasi huic arti furandi *furtis*, furto *ofellæ exiguæ;* nam *imbutus* h. loc. non est a teneris assuefactus, sed qui alicujus rei initium fecit; vid. Ernesti Clav. Cic. et Heyn. ad Virg. Æneid. VII, 542. Ita lucet hic locus, in quo alius et vulgaris hujus vocis significatus interpretibus, et mihi quoque fraudi fuit. Sic aptissima sunt omnia, irrisio servorum furantium, primum *tirunculi* furtum (rudes enim pastoris bubulcique filii Romæ mox corrumpuntur vitiorum illecebris), diminut. *ofella* (offula, frustulum carnis, panis, etc.), et epitheton *exigua*, quo adjecto vis augetur (ut V, 85, et al.); nam parva plerumque sunt vitiorum initia. Quorum si meminisset Manso, non dixisset: «quis est, quem non offendat tirunculus omnis fraudis et furti expers, idemque *furtis imbutus?*» neque depravasset, quæ corrigere voluit; vid. Var. Lect. — *Capreæ*, capræ silvestris, damæ, etc. — *Afræ*, seu *Africanæ aves* et *volucres* (Hor. Epod. II, 53, et Petron. 93). Vocantur etiam *Libycæ volucres*, Martial. XIII, 45; *gallinæ Numidicæ* et *Africanæ*, Petron. 55; Colum. VIII, 2, p. et Varr. R. R. III, 9, 18, qui docet, eas grandes, varias gibberas esse, Græcisque dici μελεαγρίδας, quibus tamen illas tantum similes esse tradit Colum. loc. laud. et a quibus eas discernit Suet. Cal. 22. Varroni adstipulatur Plin. X, 26, seu 38, ubi vid. Hard. qui præter alia docet, Meleagridas non esse nostras gallinas Indicas (*indianische, türkische, calecutische Hühner, Truthühner, Auerhühner, Puter*), quum his non conveniat descriptio illarum apud Athen. X, 24, et XIV, pag. 655 (attamen illa Varronis, Plinii et Colum.), et gallinæ Indicæ ab occidentali primum India seu America ad nos allatæ adeoque prorsus incognitæ fuerint veteribus. Cf. Bochart. Hieroz. II, 1, 19.

Not. 145. *Plebeios*, vulgares vilesque, *calices*, non pretiosos et multa arte conspicuos. De utroque genere poculorum vid. V, 29—48, et Martial. XIV, 93—96.

Var. 146. *Porrigit*, 16, 21 a m. pr. 60, 65.

Not. 146. *Puer incultus*, non ornatus, *atque a frigore* tantum, vel bene *tutus*, crassa, scil. veste tectus. — *Non Phryx aut Lycius*, sed Italus et rudis, pastoris aut bubulci filius. Conf. vs. 148, 151, et ad V, 56, *non petitus a mangone*, qui servos peregrinos *et magno*, scil. pretio vendit, quique, ut verbis Quintil. II, 15, utar, *colorem fuco et verum robur inani sagina mentitur*. Conf. Plin. X, 50; XXI, 26; XXIV, 6; XXX, 5, et supra ad V, 56 seq. — *Quum posces* aliquid vini aut cibi, *posce latine;* nam servi mei sunt Itali, nec aliam callent linguam, quam latinam; non græcam, cujus studium usumque delicatuli nunc homines affectant.

Var. 147. *Non Lycius*, 21, 22. — *Aut a mangone petitus*, 18.

Var. 148. *Quisquam erit et magno* restitui ex 10, 11, 12, 14—20, 23, 25, 27, 45—50, 54—69, 71, 72, 73, et X Codd. Paris. (Alex. Put. Mazarin. I, Thuan. I, Fauchet. et al.). *Quisquam erit in magno*, 70, 75, 76, 77, 82. *Non a mangone petitus Quisquis erit magno*, 2, 21, 22, 24, 74, et XXV MSS. Paris. et ita conj. Britan. ut sensus sit : quicumque puer erit, non erit acceptus et emptus a mangone divite, et magnum servorum numerum habente. Malim reponere : *Quisquam erit et magnus*, scil. statura, non pretio : nam proceri servi majoris quam parvi æstimabantur; vid. ad III, 240, in Comm. — *Poscis*, 10, 12, 14—17, 19—27, 45—50, 54, 55, 57—69, 71, 72, 73.

Var. 149. *Erectique*, 12, 61, 62, 63, 67—99, 71—74. *Tectique*, 47, 48, 64. *Rectique* in ceteris et 1.

Not. 149. Non *idem habitus* familiæ servorum in magnifica domo. Cf. Lucan. X, 127 seq. Senec. Ep. 95, et de Brev. Vit. c. 12. — *Tonsi*, quales sunt rustici aliique, qui parum curant cultum corporis; intonsa vero coma, hoc est, promissa, seu prolixa, decor juventæ. [1] — *Capilli recti* vel horridi (*fruticantes* IX, 15), vel simplices, sine ornatu et arte, non crispati aut calamistrati et cirrati. Sic Sen. Ep. 95, dixit: *ne quis, cui rectior est coma, crispulis misceatur.*

Not. 150. Contra apud Horat. Sat. II, 8, 70, *omnes Præcincti recte pueri comptique ministrant.* — *Pexi*, deducti pectine, Schol. Conf. Heins. ad Ovid. Met. IV, 311.

Var. 151. *Hic est* pro *est hic* recepi ex 10, 11, 14, 16, 17, 20, 22. Versus 152—161, vulgo ad *bubulci filium* referuntur : unde editores tantum non omnes colon posuere post *bubulci* et *hædos* vs. 153. Henninius autem distinctionem post *bubulci* plane sustulit, et post *hædos* punctum substituit pro colo. Sed *bubulci filius* boves potius, non *hædos notos tristis desiderabit;* et oratio fiet tersior molliorque, si junxeris : *Suspirat longo.... ingenui vultus puer*, etc.

[1] Conf. Horat. Satir. I, 5, 31, et Ep. I, 18, 7; Heyn. Obss. in Tibull. I, 4, 38, et 7, 16.

(alius ac tertius, qui *vina dabit* vs. 159). Ita quoque tres certe describentur pueri poetæ, cui plures fuisse ex voc. *cunctis* vs. 149, intelligitur.

Not. 151. *Pastoris duri*, asperi moribus et ingenio. Conf. Var Lect.

Not. 152. *Suspirare aliquid* docte pro suspirando aliquid desiderare, Gall. *soupirer :* nam propr. dicimur *suspirare aliqua re* vel *in aliqua re* vel *propter aliquam rem.*[1] Dulcedinem autem vss. 152—155 quis est qui non sentiat?

Var. 153. *Tristis notos*, 21.

Not. 153. *Casulam,* in qua natus est et educatus. — *Hædos notos,* quos scil. sæpe olim pavit.

Not. 154, 155. Qui, quamvis servus, vultum, pudorem animumque non servilem habet, sed *ingenuum*, liberalem et generosum, qualis decet pueros *ingenuos*, hoc est, liberis parentibus natos, quos *ardens purpura*, prætexta, *vestit*, hoc est, prætextatos, vid. ad I, 78. — *Purpura* dicitur *ardens*, ut *ignea* Valer. Fl. I, 427; *flammata*, Martial. V, 20, 2, et Stat. Achill. I, 297; *candens*, Horat. Sat. II, 6, 102; *mixto incensa auro*, Stat. Theb. X, 60. Quæ verba, ut Gr. αἴθειν, αἴθεσθαι et φλέγειν, de fulgore coloris ac splendore purpuræ, auri, armorum, etc. sæpissime adhibentur.

Var. 156. *Pupillares..... testiculos* vet. Schol. qui interpretatur : quales habent hi, qui patres non habent, scilicet tumentes in licentia pueritiæ. Ita indubie legendum putabat C. Valesius, quia *pugil* primam syllabam corripiat, et exponebat pueriles, juveniles. Sed hoc sensu vocem legere haud memini, et prima syll. voc. *pugil* anceps fuisse videtur. Produxit eam et Catull. XLII, 5. *Crammer* adsentitur Valesio, quia si *pugillares* admiseris, bis eadem imago occurret : parum enim inter se distant *pugillares testiculi*, et *crassa inguina :* remota autem ab his *pupillaria*, vix pubescentia, adeoque nondum inflata. Ed. — *Raucos*, 16. *Draucus* non male, 58, 77, probb. Calder. Lubin. et Farnab. Sic apud Martial. I, 97, 11 seq.

Una lavamur; adspicit nihil sursum;
Sed spectat oculis devorantibus draucos,
Nec otiosis mentulas videt labris.

Not. 156—158. Puer est simplex, purus et castus, neque turpia aliorum servorum officia præstat, vel obscœna novit. — *Pugillares,* pugilli, seu pugni instar crassos, prægrandes, *bilibres* VI, 372. Conf. Var. Lect. in *balnea*, vid. ad VI, 374, 375. — *Raucus* ex nimis frequenti Veneris usu, quo vox enervatur et raucescit (vid. ad VI, 73, 74), vel potius quia eunuchus est, et jussu heri castratus; vid. ad VI, 368 seq. et 515.

Var. 157. *Velandas*, 45. *Fellandas* conj. nonnulli.

---

[1] Vid. Broekhus. et Heyn. Obss. in Tibull. I, 6, 35, al. 7, 41; Mitscherl. ad Horat. Od. III, 7, 10.

Not. 157. *Nec jam*, nondum, *alas*, earum pilos dropace vel volsellis *vellendos jam præbuit* alipilo, ne fœteant oleantque hircum; nam per ætatem illi pili nondum excreverunt. — *Alæ grandes*, virilitatis indicium XIV, 195. Non ei ante ætatem orti sunt pili sub alis, qui solent fruticari his, qui ante legitimam ætatem per libidinem viri fiunt; Calder. coll. Martial. XI, 23, 7. Non male!

Var. 158. *Cassa*, 22. — *Apposito*, 10. *Crassa nec apposito pavidus tenet inguina gutto* emend. Heins. ad Ovid. Ep. Her. VII, 100.

Not. 158. *Gutto*, olei vasculo. vid. ad III, 263. — *Pavidus*, balnea intraturus, et voraces drauci oculos (Mart. I, 97, 12), veritus; Farn. *non pavidus tegit inguina gutto*, forte quia simplex est, neque novit, illorum adspectu libidinem excitari posse.

Not. 159. *Vina* Tiburtina, non longe petita, aut transmarina. — *Diffusa* in cados. — *Lusit* in infantia.

Var. 161. *Una est atque eadem*, 25, 27, 46—50, 54, 55, 56, 58, 61, 62, 66. *Est* non exstat in 15, 57, 59, 60, 63, 64, 67, 68, 69, 71—74, 77. — *Magistri*, 22.

Var. 162. *Exspectas*, 17 et al. Sed *forsitan* cum subjunctivo jungi solet a Juvenale (conf. I, 150; V, 156; VIII, 113; XIV, 34) et aliis; vid. Heins. ad Ovid. Ep. Her. IV, 53.

Not. 162—164. Forte et speras, Persice, illecebras libidinum, « ut (quæ sunt verba Macrob. II, 1), nos puella ex industria supra naturam mollior canora dulcedine et saltationis lubrico exerceat illecebris. » Nam in comessationibus fidicinæ, tibicinæ, sambucistriæ et cantrices esse solebant, meretrices, quæ lascivis cantilenis et saltationibus (quarum tres modos Scaliger Poet. I, 18, refert, scil. χειρονομίαν, ἄλμα et λάκτισμα) convivas delectarent excitarentque in Venerem (vid. ad vs. 177). Quales tum temporis potissimum erant *Gaditanæ* puellæ. Conf. Stat. Silv. I, 6, 71; Athen. IV, 1, (3), pag. 129; Martial. I, 42, 12; I, 62, 9; III, 63, 5; VI, 71, 1 seq. inpr. V, 79, 26 seq. (in simili frugalis cœnæ descriptione:

> Nec de Gadibus improbis puellæ
> Vibrabunt sine fine prurientes
> Lascivos docili tremore lumbos),

et XIV, 203, de puella Gaditana:

> Tam tremulum crissat, tam blandum prurit, ut ipsum
> Masturbatorem fecerit Hippolytum.

Notus autem est locus Liv. XXXIX, 6. « Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Asiatico invecta in Urbem est. Ii primum lectos æratos, vestem stragulam pretiosam,.... Romam advexerunt: tunc psaltriæ, sambucistriæque, et convivalia ludionum oblectamenta addita epulis; epulæ quoque ipsæ et cura et sumptu majore apparari cœptæ. Vix tamen illa, quæ tum conspiciebantur, semina erant futuræ luxuriæ. » Hanc Juvenalis in

Sat. nostra passimque describit et perstringit. Quam solennis vero ille mos fuerit, jam ex eo intelligitur, quod Macrob. loc. laud. tradit, ne philosophos quidem defuisse, qui psaltrias in convivia intromitti jusserint. Conf. et Gell. XIX, 9. — *Ut Gaditana* puella *incipiat prurire*, mollem lascivumque corporis motum edere, in *canoro choro*, in choro saltantium canentiumque puellarum; nisi *canorus chorus* est potius saltatio cum cantu juncta, ut *lascivus chorus* apud Tibull. II, 1, 88. [1] — *Probatæ*, laudatæ et incitatæ *plausu* accumbentium, convivarum.

Not. 164. *Ad terram descendant*, terram pedibus, alte jactis, vel saltibus tripudiisque indecoris, pulsent; *tremulo clune*, lumbis natibusque lascive motis et vibratis. [2]

Not. 165. Quæ omnia sunt *irritamenta Veneris*, etc. Conf. mox ad vs. 168. — *Urticæ;* vid. ad II, 128.

Var. 166. *Et major*, 22. — *Ipsa*, 18, 27, 46—50, 54, 58, 64.

Not. 166. Hæc Gaditanarum crissatio saltatioque majori afficit voluptate ac libidine *alterum*, femineum, *sexum;* (vid. ad VI, 254.) — *Magis ille* sexus *extenditur* ad Venerem (ita vet. Schol.), erigitur, excitatur ad libidinem, vel potius intenditur (*kommt in Spannung; Bahrdt.*) *et mox urina movetur, auribus atque oculis concepta*, hoc est, irritatur semen genitale, libidine excitata auditu cantilenæ et visu saltationis lascivæ: ut VI, 63 seq. et Martial. XIV, 203. [3] — Alio sensu versus 166—8 cepit Henninius, cujus nota est: « Videtur poeta tangere morem beatiorum, qui scitissimas utriusque sexus alebant delicias in Venerem fractas, easque imbuebant omni libidinis arte, ut nimirum scientissime saltarent, ut suavissime canerent, aliaque libidinis incentiva nossent, ut constat ex Gell. XIX, 9. Sed *tamen*, ait Noster et indignatur, majorem isti Joves voluptatem capiunt ex Ganymedibus suis et Bathyllis eorumque πορνικῇ καλλιφωνίᾳ. » Henninio adstipulantur *Dusaulx* et *Achaintre*, qui h. l. ita exponit: « Lascivis saltationibus et cantilenis Gaditanarum puellarum aptis ad Venerem irritandam poeta opponit saltationes et cantilenas adolescentium, veluti ad excitandam libidinem divitum plerumque draucorum et pathicorum aptiores et efficaciores. — *Major tamen ista voluptas sexus alterius*, masculini, quia in formosis adolescentibus Ganymedibus reperiuntur conjuncti saltationes lubricæ et motus lascivi, ejusque sexus

[1] Plerique h. loc. *prurire* dictum putant pro: pruritum libidinis excitare, scilicet in conviviis; quæ ratio durior est. Confer tamen mox ad vs. 168.

[2] Lubinus et alii: ad terram procumbant, quasi ad sese stupratores admissuræ, idque, ut magis intuentes convivas irritent, clune tremulo et crissante.

[3] Conf. ad VI, 63 seq. et 314; Casaub. ad Pers. I, 20, 21, et Lucian. Nigrin. c. 15, 16 (Opp. tom. I, p. 70, ed. Schmid.)

clunes et lumbi scite *magis extenduntur*, moventur; quod verissimum est: nam in maribus firmiores et significantiores sunt gestus, motus corporis, quam in feminis. »

VAR. 167. *Incenditur* quidam, nescio qui, legunt, teste Prat.

VAR. 168. *Urina paratur*, 27, 46, 47, 48, 54.

NOT. 169—176. *Hæ nugæ*, vanæ deliciæ et illecebræ libidinum, non humilis conditionis hominibus, quales nos sumus, sed nobilibus divitibusque aptæ vel sunt, vel esse putantur. — *Non capit*, non admittit, tamquam ipsi consentaneas. — *Audiat ille*, scil. dives, *qui pytismate lubricat orbem* vs. 173.

NOT. 170. *Testas* crepitacula seu crotala (κρέμβαλα, Gall. *castagnettes*) ex piscium testaceorum testis et conchyliis, quibus Hispani potissimum Indicæque mulieres in saltationibus utuntur.[1] Brodæus in Misc. IX, 17, et alii ita dici putant vasa testacea, parietibus et theatris infarta, ut exceptum spectatorum plausum cum harmonica quadam redderent; alii cymbala seu tympana; alii vero genus plausus, manibus planis et expansis editi sonumque collisarum testarum referentis.[2] — *Cum verbis obscœnis, quibus abstinet* adeo *mancipium nudum* (vid. ad VI, 122), meretrix vel prostibulum, in *olido stans* (vid. ad VI, 123) *fornice*, ut apud Horat. Sat. I, 2, 30. Conf. sup. VI, 131, 132.

NOT. 171. *Ille fruatur*, delectetur.

NOT. 172. *Omni libidinis arte*, qua ad libidinem pelliciuntur homines.

VAR. 173. Versus expeditu difficillimus et hinc forte ejectus e 13, quæ profecto facillima nodi solvendi ratio est. Maximam nobis molestiam creat vox obscura *pythisma*, de qua vid. Comm. *pythismate* exhibent 1, et plerique Codd. tam scripti quam editi, tam nostri quam Parisienses. *Pitismate*, 10, 17, 19, 27, 46—48, 58, 64, 67. *Petismate*, 22. *Pitysmate*, 11, 18, 28, prob. Valla, ut *orbis Lacedæmonius* sit trochus e pinu, ἐκ πίτυος, quem assidua rotatione oleo uncta mulier *lubricaverit*, seu levigaverit: de quo Græcorum, inpr. Spartanorum, ludo vid. Comm. *Pedeumate* exhibet vetus membr. Mureti, quem vid. in

[1] Conf. intpp. Martial. VI, 71, 1 (*Edere lascivos ad Bætica crumata* seu *crusmata*, κρούματα seu κρούσματα, *gestus*); Scalig. Poet. I. 17; Salmas. ad Script. Hist. Aug. pag. 503; Suidas, v. ὀξύβαφον et Διοκλῆς, Schol. Aristoph. Ran. 1340 seq. (1305, ed. Brunck.); Casaub. et Schweigh. ad Athen. V, 4 (21), pag. 193, et XIV, 9 (39), pag. 626. (Δίδυμος φησιν, εἰωθέναι τινὰς ἀντὶ τῆς λύρας κογχύλια καὶ ὄστρακα συγκρούοντας, ἔνρυθμον, seu εὔρυθμον ἦχόν τινα ἀποτελεῖν τοῖς ὀρχουμένοις).

[2] Vid. Casaub. et Ernesti ad Suet. Ner. c. 20, extr. Vetus Schol. « *Testis* antea percutiebant saltantibus pantomimis; quoniam tunc non erat, ut mesochori percuterent manibus. » — Vid. *Crammer*, p. 448. ED.

Var. Lect. X, 6. *Pitteumate* alia Taubmanni, ab eo laudata ad Plaut. Pers. V, 2, 67. *Pede nudo* liber Jac. Schegkii, qui in Præmiss. et Obss. Epist. c. 5, hanc lectionem defendit, ut mos Græcorum innuatur, quos in conviviis nudos saltasse (*pede libero pulsasse terram*, Hor. Od. I, 37, 1), docent Athenæus, et Cic. Pis. 10. — Quæ lectiones, quum non arriderent aliis, dici vix potest, quantopere in iis emendandis operam luserint. Potiores eorum conjecturas paucis recensuisse sufficiet. — *Pædæmate* suspicabatur Cæcil. Minutian. de Orthogr. et *pedemate* (ut legitur in 63, 68, 69, ad marg. 71, 73, 74) Bapt. Egnat. Racem. c. 17; Brodæus Misc. V, 26, et Brit. ut vel designetur βίβασις Λακωνικὴ, genus saltationis, *lubrico pedemate*, πηδήματι, saltu, vel celeri pedum mobilitate, in *orbem*, gyros et ambages, circa tibicinem in medio sedentem atque canentem, exercitæ (vid. Pollux, et Lucian. de Saltat. c. 10, Opp. tom. IV, pag. 347 seq. ed. Schmid.), vel, quæ Brodæi sententia est, *orbis* sit ligneum tympanum, in quod desiluerint, quodque modo saltantes circumduxerint pedibus, modo per longum spatium super stantes uno impetu lubricando agitaverint. — *Pitylismate*, vel *pytilismate* conj. Politianus in Misc. II, 37, 38, et Jul. Scalig. Poet. I, 22, ut sit exercitatio in *Laconico* (vid. Comm.) facta, qua quis summis pedibus ingrediens manus protenderit ocissimeque moverit, alteram retrorsum, alteram prorsum, de quo vid. Galen. II. — *Petteumate* recepit Farnab. ex emend. Mureti in Var. Lect. X, 6, ubi hæc vox deducitur a Gr. πεττεύειν, talis seu calculis, πεττοῖς, ut h. loc. significetur dives aleæ studio deditus, qui mensam ex marmore Laconico assidue ludendo *lubricet*, hoc est, poliat. Conf. vs. seq. — *Pyreismate*, vel *pyreysmate* corrig. Alciatus Parerg. Jur. VI, 3, ut sit exercitatio quædam Laconum, vel nudorum oleoque unctorum, in sudatorio, Laconico, πυρεύματι seu πυριατηρίῳ. — *Proptysmate* Mercurialis Art. Gymn. I, 10, putans intelligi petulantiam ditiorum, qui multo sputo (προπτύοντες, insputantes) irrigaverint Laconicum, ejusque pavimentum lubricaverint, ut facile quis cadere potuerit. — *Pitteremate* Eberh. Mollerus, qui hanc lectionem Lubino probavit excitatis aliquot veterum scriptorum locis, inpr. Luciani. — *Pygismate* Lips. Epist. Quæst. IV, 25, ubi monet, πύγισμα poetæ Siculo dici prædicationem, et verbum *lubricare* obscœni quid præferre, *orbem* vero *Lacedæm.* partem vocari aversam, et diviti pueros Lacedæm. tribui, quoniam ea gens Juvenalis tempore maxime mollis et pueri inde oriundi in nobilium deliciis fuerint. Conf. Philostr. Vit. Apollon. IV, et Mart. IV, 55, 6, 7. — *Poppysmate* Flavius Conjectan. c. 51, ubi docet, verba *poppysma*, seu sibilum (vid. supra ad VI, 584, in Comm.), et *lubricare* de re obscœna adhiberi, et *orbem Lacedæm.* esse nates, aut præposteram Venerem, quoniam Spartanos primum ad athleticam nudasse corpora, et inde libidinem in pueros exarsisse, tradant Thucyd. et Cicero. — Lipsius loc. laud. dicit, Jac. Susium suasisse, ut pro *orbem* substitueretur *orbum*, hoc est, senem orbum, divitem ac fœdum, qui nescio quid obscœni fecerit, vel potius passus sit. — *Urbem* legitur in 23; inepte. — Vid. notam Crammeri, pag. 449. Ed.

Not. 173. Divitis, opinor, hominis descriptio et magnificæ domus, sed valde obscura; unde vix quemquam ullius scriptoris locum reperies,

qui magis virorum doctorum ingenia exercuerit. Simplicissima est, et ceteris, opinor, præferenda interpretatio vet. Schol., quam probarunt etiam Ferrar. Elect. II, 6, et Ach., *qui exspuit supra marmor Lacedæmonium, quo stratum est pavimentum;* inepta autem, quam subiungit, ratio: *ut leve sit, ut saltantibus puellis nihil impediat. Marmor Lacedæm.* seu Tænarium, pretiosissimum et viride.[1] *Pytisma*, Gr. πύτισμα, sputum, a πυτίζειν, synon. verbi πτύειν, exspuere, inpr. vinum, gustandi causa haustum. Donatus: *pytissare*, id est, exspuere, dum sapor vini probatur. Sic apud Terent. Heautont. III, 1, 48, et *pytisma*, apud Vitruv. VII, 4, «in conviviis, quod poculis et pytismatis effunditur, simul atque cadit, siccescit. — *Lubricare* est udum facere et lubricum; *orbis* vero pavimentum tessellatum, seu vermiculatum: nam duplex erat musivarii operis species, altera, quæ crustis marmorum diversicolorum, in quadratas, sexangulas, triquetras, forte et rotundas figuras (vid. Vitruv. VII, 3), sectis, vermiculatas animalium effigies referret; altera, quæ marmoris maculas, quas Plinius XXXV, 1, *ovatas figuras;* Seneca, Ep. 87, *orbes*, et Mathematici ἐλλείψεις vocant, marmori insereret.[2] Quidam *orbem* de triclinio accipiunt, quod nonnumquam rotundum erat (vel ob cottabi lusum), et marmore constratum: alii de mensa (vid. ad I, 137). Sic Salmasius in Obss. ad Jus Att. c. 23, pag. 487, et ad Spartian. Pescenn. Nigr. c. 6, ubi ita hunc locum exponit: Delphica ex Lacedæm. marmore, poculis onusta, ad quam *pytissabant*, hoc est, vinum experiebantur ac degustabant, quod more degustantium, quum ore rejicerent (vid. supra Vitruv. loc. laud.), mensam ipsam *lubricabant.* Aptiore sensu *orbem Laced.* h. l. nates dici, contendit Böttiger. in, *London und Paris* V; *Jahrg.* Nr. VI, 1802, pag. 179. At *Jacobs* in Vol. I, Miscell. Philol. ab Aug. Matthia edit. Altenb. 1803. «Longissime, dicit, a vero sensu aberrant, qui rem obscœnam significari existimant. Cave etiam ne cum Ferrario divitum luxuriam carpi existimes, qui pretiosa triclinia oris excrementis fœdaverint; sed, quod Schol. jam perspexit, est simpliciter magnifici triclinii descriptio, more Juvenalis adumbrata, qui in talibus spurcas voces honestioribus præferre solet. Si quis tamen *pytisma* cum Scaligero de cottabismo accipere velit, nec hic ineptam interpretationem probaverit. Cogitandum est autem de simplicissimo cottabismi genere, quo vini partem residuam e poculo in pavimentum jaculabantur. Pro *orbem* legendum esse suspicabar *œcum*, quod verbum de conclavibus, majoribus hominum conventibus destinatis usurpari solet. Conf. Vitruv. VI, 5, 4.

[1] Vid. Hard. ad Plin. Hist. Natur. XXXVI, 7, seu 11, intpp. Lamprid. in Heliog. 24 («Stravit et saxis Lacedæmoniis ac porphyreticis plateas in palatio, quas Antonianas vocavit»); Broekh. ad Tibull. III, 3, 14, et ad Prop. III, 1, 49, al. 2, 9.

[2] Id jam notavit Hard. ad Plin. loc. cit. et ante eum iisdem verbis Scaliger, ad Manil. p. m. 454.

Nunc perpensa Scaligeri explicatione et Juvenalis dicendi more, qui generalioribus circumscriptiora præferre solet, *orbem* verum esse puto. *Lacedæmonius orbis* est *macula* in marmore Laconico, *circuli speciem gerens*, cujusmodi maculæ marmori pretium addidisse videntur. In hunc sensum accipio locum Sen. Ep. 87. « Pauper sibi videtur ac sordidus, nisi parietes magnis pretiosis *orbibus* refulserint, nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sint. » Equidem adsentior Ferrario, et *pytisma* hoc loco non modo salivam seu sputum, sed etiam merum largius haustum orisque excrementa dici crediderim, adeoque designari et hominem opulentum eumdemque luxuriosum ac potatorem, qui ejusmodi pytismate *orbem Laced.*, mensam, seu pavimentum marmoreum, *lubricet*, madefaciat atque inquinet, et splendidam ejus domum (cui *humilis* vs. 169, opposita est), parte (*orbe Laced.*) pro toto posita. Sic multum et ponderis et sarcasmi inest his verbis atque sententia admodum consentanea tum ingenio poetæ satyrici, tum moribus illius ævi, præcipue vero spurcissimis comessationibus obscœnitatibusque modo (vs. 162 seq. et 170 seq.) memoratis. Eadem firmatur locis simil. VI, 429 seq. et, quæ ibi laudata sunt, Horat. Od. II, 14, 27; Cic. Phil. II, 41, et Salv. IV, ad Eccl. Cath. Cur vero minor spurcities ab hoc. loco aliena est, si majores eidem rei conveniunt, et vs. 162—172, tribuuntur? [1]



[1] Jos. Scalig. ad Manil. p. m. 454, *pitysma* (immo *pytisma*) referebat ad κότταβον seu κοτταβισμὸν, genus ludendi, quo vinum a potu in poculo reliquum, ita in altum jaciebatur, ut in æreas caderet phialas seu pelves, et, si ab his tacta esset ærea statua (μάνης), sub illis posita, sonitus (λάταξ) ederetur (vid. Potteri Archæol. Gr. IV, 20, pag. 711 seq. vers. Rambach.). Hinc putabat, sensum hujus loci esse: Ne exspectes a paupere, quod ei competit, qui non plebeium, ut nos, pavimentum, sed pretiosum crustisque marmoreis vermiculatum *pytismate* tingit. Sed in illo ludo maxime cavendum erat, ne quid vini in terram, seu pavimentum caderet, et quomodo vinum, e poculo effusum, non vero exsputum, πύτισμα, sputum, dici potest? — *Grangæus* suspicabatur, *orbem* significare quid propudiosi, scilicet μολύνειν Κλαζομενὰς, ut apud Suet. Aug. 68, extr. (ubi tamen vid. Burm. et Ernesti), et magis *orbem Lacedæmonium*, sumptum ex Aristoph. cui Clinias dictus Κυσολάκων, unde Hesych. λακωνίζειν, παιδικοῖς χρῆσθαι, et Eupolis μισῶ λακωνίζειν; *pytisma* vero pro re obscœna sumi, ut *sputam, salivam, rorem, serum, spuere, despuere, perdespuere* (apud Catull. LXXIV, 3, ubi tamen vid. Scalig. et Doering.), *vomere* apud Arnob. adeoque sensum hujus loci esse: qui nova Elephantidos figura nudum supinatumque in ventrem exsecrandis uredinibus flagitat. — Plerique intpp. innui credebant annulum equitis frequenti saliva lubricatum, et ostentationis causa indutum sæpius ac detractum; Nic. vero Heinsius, ab Hennio consultus, notas amoris liquore vini in mensa ductas. Alia non magis probabilia conjecere Voss. ad Catull. pag. 59, 60. Politianus Epist. XI, 6;

VAR. 175. *Tamen* pro *eadem*, 16. — VAR. 176. *Faciunt*, 16, 17; id certe melius esse, monet C. Valesius.

NOT. 174—176. Hæc aliaque hujus generis turpia videntur et inhonesta in pauperibus, in divitibus ferri solent, et, ex opinione vulgi, sunt ferenda. vel adeo laudabilia, et pro virtutibus, non vitiis, habentur. Conf. ad IV, 13, 14. — *Alea turpis*, vid. ad I, 88. — *Mediocribus*, ut VI, 582. — *Nitidi*, lauti, ut vers. 1.

NOT. 177 seq. In lautioribus Romanorum conviviis, ut in theatris, acroamata esse solebant, hoc est, homines, qui vel cantu vel saltatione vel facete dictis vel etiam recitatione aliqua auditores oblectarent. [1] Honestiora oblectamenta erant recitationes, inpr. carminum Homeri (*conditoris*, auctoris, *Iliados*) et Virgilii. Illa ab Homeristis et plurimum Latine decantabantur (vid. Wernsdorf. ad Poet. Latin. min. tom. IV, pag. 567 seq.)

NOT. 178. *Maronis altisoni*, præclare, ob majestatem dignitatemque epicam Æneidis. — *Carmina Maronis, dubiam facientia palmam*, victoriam, principatum, scil. carminibus Homeri. Comparationem Homeri Virgiliique certatim instituere viri docti et veteris et nostri ævi, verb. caus. Prop. II, 34, 61 seq. Macrob. Sat. I, 24, et inpr. lib. V, et VI; Plut. de Homero et al. passim, Quintil. X, 1; Gell. III, 11; IX, 9; XVII, 10; Scalig. Poet. V, 2; Ursinus et alii: sed acutissime Heyne in duabus Disquisitt., Æneidi præmissis. Conf. supra ad VI, 437.

VAR. 179. *Laudem* pro *palmam*, 25, 46, 47, 48, 54, 56—60, 64, ex interpretamento.

VAR. 180. *Versus tales*, 45.

NOT. 180. *Versus tales*, tam egregios, quorum præstantiam quisque intelligit sentitque, si vel a rudi puero male recitentur.

NOT. 181. Ad epulas affer hilarem animum omniumque curarum expertem.

VAR. 183. *Totum*, 11, 15, 16, 17, 19—24, 45.

NOT. 183. *Non feneris*, quod ipse debes, aut quod tibi debetur, *ulla mentio* et recordatio ingrata scil. sit tibi hodie, vel *contrahat tibi bilem*, iram tibi moveat et indignationem.

NOT. 184 seq. Jocus paulo liberior acerbiorque, sed aptus illis temporibus morumque corruptelæ. — Vid. notam Crammeri, pag. 451. ED.

Turnebus Advers. XXIV, 28; C. Valesius in edit. Juv. Paris, 1811; Lindenbroch. ad Terent. Adelph. IV, 7; Casaub. ad Suet. pag. 243; Salmas. ad Hist. Aug. pag. 150, et 443, et Faber, Semestr. III, 25. Plura recensui in Nota ad hunc locum.

[1] Conf. ad IV, 434 seq. Ernesti Clav. Cic. voc. *acroama*, et Excurs. VIII, ad Suet. Aug. c. 74.

Not. 185. *Tibi tacito*, dissimulanti suspicionem adulterii, etsi satis probabilem et ex multis signis (vs. 186, 187), manifestam, neque eam prodere audenti; quo tum patientia viri, tum uxoris imperium libertasque dissoluta et effrenata feminarum libido acerbe notantur. Conf. I, 56, 57; VI, 206 seq. 224 seq. 433, al.

Var. 186. *Multitia*, 19, 59.

Not. 186. *Multicia*, vid. ad II, 66. — *Humida*, effusa genitura super veste, Grang. coll. Suet. Ner. c. 28, extr. Alia eaque recentia libidinis indicia sunt *rugæ* vestis, *vexatæ*, disjectæ, *comæ*, *et vultus auresque calentes*, seu rubentes. Conf. Suet. Aug. 69, et Calig. 36.

Var. 188. *Excute limen* conj. Schrader.

Not. 188. *Protenus*, confestim, simul ac *limen* domus meæ intraveris. — *Quiquid dolet* tibi, te mentemque tuam vexat et angit. — *Exuere* aliquid mente vel mentem aliqua re, pro oblivisci, ut ἐκδύσασθαι τὶ et τινὰ, et contra *induere patrem*, apud Claud. Cons. Hon. III, 157. (Conf. ad Sil. I, 38, et VII, 496.)

Var. 189. *Domum*, *servos*, 56, 59, 60.

Not. 189. *Pone*, depone, abjice (animo) *domum*, domesticas curas, vel curam domus, *servorum*, etc. ne quid hodie hilaritatem tuam turbet vel imminuat.

Not. 190. *Sodales*, amicos, *ante omnia*, tamquam acriorem curam.

Var. 191. *Palmæ* pro *mappæ*, 27, 46, 47, 48, 58, 61, 62, 63, 65—69, 71, 72, 73, prob. Curione.

Not. 191 seq. *Interea*, dum nos convivium instruimus, vel cœnabimus, omnes, quotquot sunt, cives Circensibus detinebuntur ludis, unde ne quidem negotii quidquam cum aliquo perficere eoque liberius genio hodie indulgere poteris. [1] — *Megalesia*, ludi Circenses instituti in honorem Cybeles, quæ magna Mater Deum et a montibus Phrygiæ dea *Idæa*, Berecyntia et Dindymene dicebatur; vid. ad VI, 69; Heyne ad Virg. Æn. IX, 80 seq. et 617 seq. *Spectacula* pro spectatoribus posita putabat Grang. Sed poeta potius ipsos ludos dixit *spectacula mappæ*, et per ἐπεξήγησιν *Idæum solenne*. — *Mappa* e loco super carceres escenso editor ludorum iis committendis mittendisque quadrigis signum dabat. [2] De verbis



[1] Vetus Schol. «*Interea* ideo, quia Megalesiaci Circenses ante solem prope edebantur.» Vid. Crammer. p. 452. Ed.

[2] Conf. intpp. Sueton. Ner. 22, et Martial. XII, 29, 9; Tert. de Spectac. c. 16; Scalig. ad Manil. II, 189, et Spalding. ad Quintil. Inst. Or. I, 5, 57. Statuam prætoris mappam mittentis exhibet Ruben. in Elect. et ex eo Ferrar. Analect. de R. V, c. 34.

similisque triumpho Præda caballorum Prætor sedet, vid. ad. X, 36 seq. et infra, Var. 193. —*Pace*, cum bona venia, *immensæ*, etc.; facete.

Var. 193. *Præda caballorum prætor* legitur in 1, 11, 14, 16, 48, 50, 56, 70, 74—77, et nonnullis MSS. Paris. et tam copiose quam erudite defenditur a Gronov. Obss. IV, 24, ubi monet, acerbo sale perstringi munerarium, qui, dum, *similis triumpho*, triumphanti, triumphantis ritu habituque præsideat Circensibus, magnum se virum putet, quum re vera sit *caballorum præda*, hoc est, prodiga illa impensa in equis aurigisque alendis, exercendis, producendis, comedatur miser, patrimonium exhauriat sub vana specie honoris, et intereat. Conf. sup. I, 59, 60; Lips. ad Tac. Ann. I, 15, et Heins. ad Claudian. Fescenn. vs. 11. Ingeniosa profecto interpretatio, quæ tamen paullo longius petita videri possit. — *Prædo caballorum prætor* exhibent 10, 12, 15, 17—27, 45—47, 49, 54, 55, 57—69, 71—73, et plerique Codd. Paris. prob. Grot. ad Capellam, pag. 174. Nonnulli, verb. caus. Schol. in Cod. Junii, prætorem ita dici putant propter equos ab hostibus raptos; alii vero per jocum aut paronomasiam, quod vel optimos equos invitis dominis vili auferat pretio, vel iniquus certaminis judex, seu brabeuta sit, et palma præmioque, seu brabeo fraudans meritos et victores equos efficiat, ut exiguo vendantur pretio, et vel a se emi possint. — *Perda* emend. Salmas. (ad Solin. pag. 465, et ad Trebell. Poll. de XXX tyrannis, c. 17, in Hist. Aug. pag. 305, 312), hoc est, perditor, φθορεὺς, ut *scriba*, *advena*, *transfugæ*, *heredipeta*, *homicida*, *parricida*, et inpr. *officiperda*, apud Caton. Distich. IV, n. 43, et Isidor. in Gloss. — Præstiterit *Præco*, prædicator, laudator, *caballorum*, equorum vel aurigarum victorum, ut *præco virtutis* apud Cic. pro Arch. c. 10. — Vid. not. Crammeri, pag. 453. Ed.

Var. 194. *Nimiæve*, 23.

Not. 194 seq. De insana Circensium spectandorum cupiditate, qua plebs Rom. flagrabat, vid. ad III, 223.

Var. 195. *Auram*, 59, 60, 66.

Not. 195. *Fragor*, acclamatio, et inpr. plausus spectatorum vel auditorum, ut apud Quintil. VIII, 3, pr. et Sen. de Tranq. An. c. 2, ubi vid. Lips. — *Percuti*, *quati*, *verberari*, *feriri*, *pulsari*, *ici* dicuntur *aures* vel loca *fragore*, voce, clamore, rumoribus, etc. [1]

Not. 196. Ex *quo* fragore *colligo eventum* felicem, victoriam, *viridis panni*, factionis prasinæ, cui maxima plebis pars et olim Imperatores favebant. vid. Suet. Cal. 55; Ner. 22, supra ad VI, 590, et VII, 114, ubi etiam de factionibus aurigarum in Circo agitur. De iisdem e spectatorum studiis vid. inpr. Sidon. 23. — *Pannum* autem non sine acerbo sale dixit poeta; quod intelligitur ex loco præclare Plin. Ep. IX, 6.

[1] Vid. ad I, 13, et ad Sil. III, 694; II, 91; V, 273, ad Ovid. Fast. III, 741, et ad Quint. Decl. 301, p. 584. IV, 7; Burm. ad Valer. Flacc. I, 743;

« Si aut velocitate equorum, aut hominum arte traherentur, esset ratio nonnulla : at nunc favent *panno*, *pannum* amant, etc. »

Not. 197 seq. Etiam sarcastice dicta; vid. Cassiodor. Epist. III, 51, *si deficeret* animo viribusque, et hinc cederet ac vinceretur. Conf. vs. 53, et Priscian. lib. VIII. [1]

Var. 198. *In* abest ab 56, 57, 59, 60.

Not. 198. *Cannensis* clades cum delectu memoratur. — *Cannarum in pulvere*, prælio Cannensi, quo ventus, quem Vulturnum Apuli vocant, adversus Romanis coortus, multum pulverem in ipsa ora volvendo prospectum ademit; quod vel ex Liv. XXII, 43, extr. et 46, extr. notum. Conf. ad Sil. IX, 491 seq.

Not. 199 seq. Hæc cum summa indignatione dicta. *Spectent* Circenses ludos *juvenes*, quos magis certe id decet, quam nos viros. — *Sponsio* facta pro victoria hujus vel illius factionis. Conf. Ovid. Art. Am. I, 168, et Tertull. de Spectac. c. 16. *Decet clamor et adsedisse*, ut *me juvat nec spes nec certare*, apud Horat. Od. IV, 1, 29 seq. et *Crammer*, pag. 455. Ed.

Var. 201, 202. Hi versus leguntur h. loc. in 1, 14, 17, 18, 19, 46, 49, 50, 70, 74, 75, 76, 81, 82, et XX Codd. Paris. sed post vs. 159 in quibusdam libris, post vs. 161 in 45, in III MSS. Paris. et Cod. Jun. Hæcmyndano (sed ibi hoc modo : *Quod pudeat, narras aliquid præsentibus ipsis : Spectant hoc*, etc.), post vs. 172, in 16, et post vs. 164, in 8, 35, 36 (vid. Canteri Nov. Lect. III, 6), et in edd. recentt. Farnab. et al. prob. Grang. Post vs. 173, eos inserendos putabat Bahrdt. Prorsus autem absunt ab 10, 11, 12, 15, 16, 20—27, 47, 48, 54—69, 71, 72, 73, 77, et XII Codd. Paris. recte forsan, judice etiam Schurfl. Ab interpolatore procusi videntur, et a librariis deinde ex margine variis locis inserti. Si tamen ab ipsius poetæ ingenio profecti sunt, huic loco magis conveniunt, quam aliis; vid. Comm. — *Spectant*, 18, 16. *Spectant hic* conj. Withof.

Var. 202. *Narrare*, 17.

Not. 201, 202. Non male Henninius : « Sensus obvius : vs. 199, 200. Sed concedamus Circensia ludicra puellis et adolescentulis; vs. 201, cum stomacho subdit : immo spectent et in Circensibus cum maritis suis nuptæ illa, quæ ne quidem dicere præsentibus ipsis, nedum facere pudor prostitutus audeat; relinquamus his hominibus sua crepundia, nos interim curabimus cuticulam, et apricabimur. (Conf. Plin. Ep. IX, 6.) At quærit Grangæus : Quid ludis Circensibus obscœni? Respondebit pro me Ovidius, Art. Am. I, 135—170, et Trist. II, 280 seq. Hanc Circ

[1] Vetus Schol. « *Si deficeret*, si vinceretur Prasinus (Prasina factio); aut si hoc spectaculum deficeret, ut non essent Circenses, sic tristem urbem videres, ut si esset bello victa. » Sed prior ratio præferenda.

licentiam et ipsi Patres priscæ ecclesiæ gravissime notarunt. Fugiendum ergo bonis moribus Circum innuit. » Conf. Var. Lect.

Not. 203. Nobis jam senibus aptior, gratior utiliorque est apricatio seu insolatio, ἡλίωσις s. ἡλιοκαΐα. Ea olim in usu erat et varia, ut tum corpori siccitas, tum cuti color fuscus et post unctionem nitor conciliaretur; vid. Plin. Hist. Nat. XXI, 14; Plin. Ep. III, 1; Kœnig ad Pers. IV, 18, 33; V, 179. — *Nostra cuticula*, jam vetula et in rugas *contracta* oleoque inuncta, *bibat vernum solem*, imbibat ejus ardorem, eoque calefiat; ut apud Martial. X, 12, *totos avida cute combibe soles*, et apud Pers. IV, 18, *adsiduo curata cuticula sole.* — *Vernum solem :* nam Megalenses ludi prid. Non. Apr. agebantur; vid. ad VI, 69.

Not. 204. Verba *effugiat togam* quidam exponunt : exuat togam ad insolationem et balnea ; alii : fugiat curas et negotia togatorum, hoc est, hominum tenuiorum; vid. ad I, 96. An de toga meretricum cogitavit poeta? vid. ad II, 70.

Not. 204 seq. *Jam nunc*, quamvis nondum octava, sed quinta tantum diei hora sit, *salva fronte*, non læso pudore, *in balneum* ire poteris, hoc est, non turpe erit lavari et deinde sexta hora ad cœnam venire : nam festo lætoque die convivia tempestiva non sunt turpia et inhonesta. Cf. ad I, 49, et VI, 418 seq., et Lips. Exc. ad Tac. Ann. XIV, 2.

Not. 205. *Frons* pro pudore, cujus sedes est in ea; ut apud Pers. V, 104, al. Male alii *frontem salvam* putant esse exporrectam curis omnibus depositis.

Var. 206. *Hæc*, 45.

Not. 206. *Facere hoc*, genio otioque indulgere.

Not. 207. *Talis*, voluptariæ et otiosæ.

Not. 208. *Nulla est voluptas, quæ non adsiduitate sui fastidium pariat*, Plin. XII, 17. Τὸ γὰρ ἡδὺ, ἐὰν πολὺ, οὔ τί γε ἡδύ. Conf. etiam Sen. de Vit. Beata, c. 7; Macrob. Sat. VII, 7, et inpr. Cic. de Oratore, III, 25.

SATIRÆ DUODECIMÆ

ARGUMENTUM.

Arguit hæc avidos nimium nimiumque rapaces.

HEREDIPETÆ. — CONTRA HEREDIPETAS. — DE REDITU CATULLI. — DE REDITU CATULLI AD CORVINUM. — IN AVIDOS ET RAPACES.

Juvenalis scribit Corvino, se ob reditum Catulli, amici sui, ex periculosa navigatione vota Diis persoluturum esse, vs. 1—16. Tum describit sævissimam tempestatem, qua coorta arserint vela, et amicus, ut præsentissimum effugeret periculum, pretiosam supellectilem in mare abjicere malumque amputare coactus sit, donec tandem, tranquilla cæli serenitate ac sole cum spe vitæ redeunte, lacera navis portum Ostiensem tenuerit, 17—82. Itaque poeta præ gaudio vix sui compos, servos seque ipsum ad festam hujus diei lætitiam et sacra Diis, tum majoribus, tum domesticis, facienda excitat, 83—92. Ne vero quis suspicetur, hæc ad hereditatem Catulli captandam spectare, monet, ei tres esse liberos, et Novii, aut Pacuvii, aliorumque heredipetarum, his similium, mores ingeniumque ita ferre, ut patribus ne ægram quidem gallinam aut coturnicem impendant, at pro salute orborum divitumque, Gallitæ et Paccii, si vel primum levemque febris sentiant æstum, non modo hecatomben Diis voveant, sed etiam elephantos, si hæc animalia in Italiæ cœlo gignerentur, et servos vel adeo liberos suos, si liceret per leges, immolarent, quum jucundam, etsi incertam, alant spem, fore, ut, si ægri ex morbo convalescant, ipsi, testamentis mutatis, heredes ex asse scribantur, 93—127. Hinc indignatione accensus Juvenalis ejusmodi captatoribus vitam Nestoris et auri montes precatur, sed ea lege, ut nec ament quemquam, nec amentur ab ullo, 128—130.

SATIRÆ DUODECIMÆ

ANALYSIS.

In prima eaque maxima Satiræ parte (vs. 1—92) Juvenalis hanc exornat ideam: « Natali die mihi dulcior hæc lux, qua vota Diis solvenda sunt,

> Ob reditum trepidantis adhuc horrendaque passi
> Nuper, et incolumem sese mirantis amici. »

Inde arripit occasionem heredipetas lepide perstringendi, 93—130;

> Nec suspecta tibi sint hæc, Corvine: Catullus,
> Pro cujus reditu tot pono altaria, parvos
> Tres habet heredes.

Satira plena est festivitatis et facetiarum: quo potissimum refero vs. 11, 23, 33 seq. 39, 44, 45, 57 seq. 95—104, 111—127. Prior ejus pars mollissimos dulcissimosque amicitiæ intimæ sensus affectusque spirat (inpr. vs. 1, 10 seq. et 83 seq.), et graves passim (vs. 48 seq. 57 seq. et al.) immiscet sententias. Festi quoque diei descriptio, vs. 83 seq. animatur vita et actione, tamquam in scena peragantur omnia. Ipse denique transitus ad alteram carminis partem, vs. 93 seq. lepidissimus simul et inopinatissimus est. — Poetices studiosos, ut intelligant, quam varie idem argumentum tractari possit, non pœnitebit, primam hujus Satiræ partem comparasse cum Horat. Od. 36; II, 7, III, 14, et Catull. carm. IX; alteram autem cum Luciani Dial. Mort. V—X, et inpr. cum Horat. Sat. 5, lib. II, in qua heredipetarum artes a Tiresia Ulyssi exponuntur, et Horatius longe superat Juvenalem urbanitate et facetiis in delectu tum dispositionis ac formæ (quæ in nostra quoque Satira admodum quidem venusta est et ingeniosa, sed minus tamen, quam dramatica et διαλογική, qua Flaccus est usus), tum personarum earumque gravissimarum, quibus præter omnem exspectationem lepida et

jocularis tribuitur disputatio de re, quæ ingenio earum aptissima quidem, sed a tempore, quo vixerunt, aliena est. — Ceterum et *Corvini* et *Catulli*, amicorum Juvenalis, non alibi, quod sciam, mentio fit. De aliis *Catullis* vid. supra ad IV, 113, et VIII, 186; Martial. XII, 74; M. Antonin. lib. I, sect. 13, et Capitolini Vita Marci, cap. 3.

SATIRA DUODECIMA.

Natali, Corvine, die mihi dulcior hæc lux,
Qua festus promissa deis animalia cespes
Exspectat : niveam reginæ ducimus agnam :
Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maura.
Sed procul extensum petulans quatit hostia funem,
Tarpeio servata Jovi, frontemque coruscat;
Quippe ferox vitulus, templis maturus et aræ,
Spargendusque mero, quem jam pudet ubera matris
Ducere, qui vexat nascenti robora cornu.
Si res ampla domi similisque affectibus esset,
Pinguior Hispulla traheretur taurus, et ipsa
Mole piger, nec finitima nutritus in herba,
Læta sed ostendens Clitumni pascua sanguis

SATIRÆ DUODECIMÆ INTERPRETATIO.

1. Hic dies, o Corvine, natali meo die mihi jucundior est : hæc mihi vere festa lux, quam, victimas immolando votivas ad aram e vivo cespite structam, celebrare decrevi. Agna candida Junoni sacrificaturus sum; agna ejusdem velleris ac coloris dabitur Palladi, quæ pugnat armata clypeo effigiem Mauræ Gorgonis gerente : sed vitulus Capitolino Jovi destinatus, funem, quo alligatus est, procul extensum succutit, et caput petulans quassat : nempe jam ferox, jam ubere matris depulsus, satisque validus ut emergentibus primum cornibus arbores lacessat, ac per ætatem idoneus, ut templo et aris admoveatur, ejusque caput vino aspergatur. Si divitiis affluerem, ac voluntati opes responderent, adducerem ad aras taurum Hispulla magis obesum, quem tardiorem adeps ac vasta corporis moles faceret; neque ille in vicinis educatus foret pascuis, sed saginatus in opimis Clitumni ripis,

Iret, et a grandi cervix ferienda ministro,
Ob reditum trepidantis adhuc horrendaque passi
Nuper, et incolumem sese mirantis amici.
Nam præter pelagi casus et fulguris ictum
Evasi, densæ cælum abscondere tenebræ
Nube una, subitusque antennas impulit ignis,
Quum se quisque illo percussum crederet, et mox
Attonitus nullum conferri posse putaret
Naufragium velis ardentibus. Omnia fiunt
Talia, tam graviter, si quando poetica surgit
Tempestas: genus ecce aliud discriminis: audi
Et miserere iterum, quamquam sint cetera sortis
Ejusdem, pars dira quidem, sed cognita multis,
Et quam votiva testantur fana tabella
Plurima. Pictores quis nescit ab Iside pasci?
Accidit et nostro similis fortuna Catullo.

generosi sanguinis magnam effunderet copiam, et robustiorem sacrificulum, a quo cæderetur, postularet. Talis, inquam, a me victima immolaretur ad gratias Superis agendas de reverso feliciter amico, qui gravissimo periculo defunctus, ipsa ejus recordatione adhuc perhorrescit, seque liberatum illo, et sospitem esse obstupescit.

17. Nam præter varios maris casus, quibus in ipsa navigatione conflictatus est, et evitatum fulmen, aer totus tetra caligine, quasi perpetua nube, tectus fuit; mox repentina flamma corripuit antennas; adeo ut jam putarent omnes perculsi metu se deflagrare, neque ullum naufragii periculum cum incensa navi comparandum existimarent. In hac vera tempestate omnia tam graviter acciderunt, quam quæ in fictis poetarum tempestatibus describuntur. En aliud periculi genus, nec minori dignum commiseratione, licet omnia fere sint ejusdem generis et gravitatis; sed commune tamen plerisque, et pingi solitum in votivis tabellis, quæ in sacris ædibus prostant. Quis enim ignorat quantum pictores lucri faciant pingendis tabulis, quas naufragi suspendunt in Isidis templo? Eadem igitur Catulli nostri ac ceterorum naufragorum sors calamitasque fuit.

Quum plenus fluctu medius foret alveus, et jam
Alternum puppis latus evertentibus undis
Arboris incertæ. nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem, decidere jactu
Cœpit cum ventis, imitatus castora, qui se
Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno
Testiculi : adeo medicatum intelligit inguen!
Fundite, quæ mea sunt, dicebat, cuncta, Catullus,
Præcipitare volens etiam pulcherrima, vestem
Purpuream, teneris quoque Mæcenatibus aptam,
Atque alias, quarum generosi graminis ipsum
Infecit natura pecus, sed et egregius fons
Viribus occultis, et Bæticus adjuvat aer.
Ille nec argentum dubitabat mittere, lances
Parthenio factas, urnæ cratera capacem,
Et dignum sitiente Pholo, vel conjuge Fusci :

30. Quum totam interioris navis quasi alvum implevissent aquæ, quum arborem qua constabat ratis huc illuc temere jactatam, fluctus modo in hanc, modo in illam partem inclinarent, ac prope subverterent; quum nihil prodesset jam rectoris senis industria, Catullus, ut se præsentissimo exitio liberaret, bona in mare projiciens, cum ventis quasi pacisci de vita cœpit, imitatus sic castora, qui voluntario morsu se ipsum castrat, et eunuchum reddit, cupiens evadere, vel damno testiculorum suorum; adeo intelligit vim medicinæ inesse inguini suo, ob quod solum se lacessitum sentit. Nec mora, inclamans nautas; «Quid cessatis, inquit, mea omnia in æquor præcipitare?» Jamque se ad supellectilem lautissimam in æquas proturbandam accingebat, puta purpureas vestes, quas Mæcenas et alii deliciarum amantes non respuissent : itemque alias textas e lana Bætica, cui etiam ovibus inhærenti rutilum colorem indidit natura, et indoles herbarum quibus oves Bæticæ pascuntur, necnon ipse fluvius et aer illius regionis, vim uterque arcanam habens ad inficiendas isto colore lanas. Insuper Catullus argentea vasa in mare dejicere non dubitabat; patinas a Parthenio fabricatas; cyathos urnæ vini capiendæ non impares, dignos in quibus Pholus vel uxor Fusci potaret; vasa Anglica, quas vocant bascaudas; lances plu-

Adde et bascaudas, et mille escaria, multum
Cælati, biberat quo callidus emptor Olynthi.
Sed quis nunc alius, qua mundi parte, quis audet
Argento præferre caput rebusque salutem?
* Non propter vitam faciunt patrimonia quidam;
* Sed vitio cæci propter patrimonia vivunt.
Jactatur rerum utilium pars maxima; sed nec
Damna levant: tunc, adversis urgentibus, illuc
Recidit, ut malum ferro submitteret, ac se
Explicat angustum, discriminis ultima, quando
Præsidia afferimus, navem factura minorem.
I nunc, et ventis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis a morte remotus
Quatuor, aut septem, si sit latissima tæda!
Mox cum reticulis, et pane, et ventre lagenæ,
Adspice sumendas in tempestate secures.

rimas inferendis dapibus idoneas; pocula cælata ex argento pervetusto, quibus Philippus Macedo, is qui tam callide Olynthum urbem emit, fuerat olim usus. At nunc quotusquisque tandem est, qui vitam servare quam opes, malit? Quem mihi præter Catullum dabis, qui rerum suarum jactura salutem suam et caput redimere non dubitet? Quidam non ad vivendum augent patrimonia sua, sed ad augenda patrimonia sua vivunt, adeo vitio avaritiæ suæ obcæcantur! Interim post abjectam in mare sarcinarum et opum partem optimam, sævire nihilominus tempestas pergit, nec isto damno periculum levius fit: igitur eo demum urgente necessitate recidit, ut ferro malum resecaret, ac ita se in angustias redactum expedire posset; quod quidem maximum discrimen est, si quis cogitur adhibere præsidia, quæ navis magnitudinem minuere debeant. I nunc, qui vitam pelago ventisque permittas, teque includas navi, in qua distes a morte digitis quatuor, aut septem ad summum, si fuerint latissimi asseres, quibus illa compingitur! Perge sane, quisquis es tam inconsultus, tam vitæ tuæ prodigus; sed memineris, quando panem et vinum inferes in ratem, pariter sumere secures, quibus ingruente tempestate utaris ad malum diffringendum.

Sed postquam jacuit planum mare; tempora postquam
Prospera vectoris, fatumque valentius Euro
Et pelago; postquam Parcæ meliora benigna
Pensa manu ducunt hilares, et staminis albi
Lanificæ, modica nec multum fortior aura
Ventus adest; inopi miserabilis arte cucurrit
Vestibus extentis, et, quod superaverat unum,
Velo prora suo : jam deficientibus Austris,
Spes vitæ cum sole redit : tum gratus Iulo,
Atque novercali sedes prælata Lavino,
Conspicitur sublimis apex, cui candida nomen
Scrofa dedit, lætis Phrygibus mirabile sumen,
Et nunquam visis triginta clara mamillis.
Tandem intrat positas inclusa per æquora moles,
Tyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia rursum,
Quæ pelago occurrunt medio, longeque relinquunt
Italiam. Non sic igitur mirabere portus,

60. Postquam æquor, stratis placide fluctibus, conquievit; postquam serena cæli facies illis qui vehebantur navi arrisit, et maris ac ventorum inclementiam vis amica fati superavit, Parcis candidam et meliorem lanam e colu trahentibus, tunc ventus in levem zephyrum decrescens aspirare cœpit, ac pristinum cursum navigii miserabilis prora tenuit, manca arte adhibita, nimirum extensis nautarum vestibus, loco velorum tempestate amissorum, præter unum quod in hac eadem prora supererat. Demum Austro quiescente, discussisque nubibus, sol videri cœptus est, ac spes, simul eo viso, salutis revocata. Nec ita multo post apparuit Albanus mons, quem Iulus dilexit, et quem Lavinio, novercæ suæ oppido, prætulit, ut ibi Albam conderet, ita dictam ab alba porca, quam Trojani maxima cum voluptate invenerunt triginta porcellos inaudito hactenus portento enixam. Demum Catulli navis portum Ostiensem subit, munitum molibus ante paucos annos instauratis ac refectis, quæ in æquor longe procurrentes, tanquam brachia, illud amplectuntur et includunt, et longe post se ripas Italiæ relinquunt. Hæc maris Tyrrheni Pharus est, ac portus eis quos natura fecit, præstantior et mirabilior. Navarchus ratem mutilam provehit in interiorem portus

Quos natura dedit : sed trunca puppe magister
Interiora petit Baianæ pervia cymbæ,
Tuti stagna sinus : gaudent ibi vertice raso
Garrula securi narrare pericula nautæ.
Ite igitur, pueri, linguis animisque faventes;
Sertaque delubris et farra imponite cultris,
Ac molles ornate focos glebamque virentem :
Jam sequar, et sacro, quod præstat, rite peracto,
Inde domum repetam, graciles ubi parva coronas
Accipiunt fragili simulacra nitentia cera.
Hic nostrum placabo Jovem, Laribusque paternis
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.
Cuncta nitent; longos erexit janua ramos,
Et matutinis operatur festa lucernis.
Nec suspecta tibi sint hæc, Corvine : Catullus,
Pro cujus reditu tot pono altaria, parvos
Tres habet heredes : libet exspectare, quis ægram

partem, ubi mare inoffensum est, ac stagno simile, et ubi tutæ sunt etiam naviculæ, quales in lacu Lucrino visuntur prope Baias. Expositi nautæ caput detonsum ostentant; et quæ fugerunt pericula renarrant læti.

83. Agite ergo, famuli, et facite ut silentio attentisque mentibus sacrificio intersitis; templum floribus ornate; cultros mola salsa conspergite; aram e cespite construite; ignem adornate. Jam vos consequar, et facto legitime sacrificio, quæ pars est præcipua officii et pietatis, referam me domum, ubi coronas e floribus impono deorum domesticorum statuis fragilibus et cera nitentibus. Hic meum Jovem, et alios quos domi colo, quos majores mei coluere, superos, oblato thure conciliabo, et violas omnis coloris affatim spargam. Factum bene; omnia nitida et ornata sunt; frondentibus arborum ramis postes januæ vestiuntur; et lucernæ frequentes, ibidem summo mane accensæ, diei festæ lætitiam redolent.

93. Neque vero sinistram de me suspicionem aliquam tibi, Corvine, moveant isthæc officia pietatis. Catullo, pro cujus reditu tot aras exstruo, sunt filii tres domi, et heredes. Cedo, quem reperias,

Et claudentem oculos gallinam impendat amico
Tam sterili: verum hæc nimia est impensa; coturnix
Nulla unquam pro patre cadet. Sentire calorem
Si cœpit locuples Gallita et Paccius orbi,
Legitime fixis vestitur tota tabellis
Porticus: exsistunt, qui promittant hecatomben,
Quatenus hic non sunt nec venales elephanti,
Nec Latio, aut usquam nostro sub sidere talis
Belua concipitur; sed furva gente petita:
Arboribus Rutulis et Turni pascitur agro,
Cæsaris armentum, nulli servire paratum
Privato; siquidem Tyrio parere solebant
Hannibali, et nostris ducibus, regique Molosso
Horum majores, ac dorso ferre cohortes,
Partem aliquam belli, et euntem in prælia turrim.
Nulla igitur mora per Novium, mora nulla per Histrum
Pacuvium, quin illud ebur ducatur ad aras,

qui, ut gratificetur ejusmodi amico, a quo nihil sperandum, utpote qui sit pater, quique liberos habeat, immolare gallinam velit morbidam et moribundam, immo (namque hæc ipsa scilicet gallinæ impensa nimia est) coturnicem? At vero, si Gallita, si Paccius, qui opibus abundant, qui liberis carent, febriculæ æstu tentantur, confestim videas templi porticum totam refertam tabellis, in quibus captatores descripserint vota sua pro illorum incolumitate rite suspecta: non desunt, qui sacrificium centum boum se facturos polliceantur, siquidem Romæ non venduntur elephanti, nec in Italia et nostris regionibus istæ belluæ nascuntur, sed ab Africæ aut Asiæ longinquis oris abducuntur. Armentum autem elephantorum quod Cæsaris proprium est, et quod in Rutulorum, quibus olim imperavit Turnus, campis pascitur, nobilius est quam quod privatis hominibus mancipetur. Quia scilicet istorum elephantorum majores, non ad alios quam bellorum usus a ducibus nostris, itemque Annibale, et Pyrrho, Molossorum regi, solebant adhiberi, quum eorum tergo turres militibus bellum gesturis imponerentur, ac medias in acies immitterentur. Sed elephanti Romæ si qui nunc essent, profecto non dubitarent Novius et Hister Pacuvius eosdem adducere ad altaria, et illos pro

Et cadat ante lares Gallitæ, victima sola
Tantis digna deis, et captatoribus horum.
Alter enim, si concedas mactare, vovebit
De grege servorum magna aut pulcherrima quæque
Corpora; vel pueris et frontibus ancillarum
Imponet vittas; et, si qua est nubilis illi
Iphigenia domi, dabit hanc altaribus, etsi
Non sperat tragicæ furtiva piacula cervæ.
Laudo meum civem, nec comparo testamento
Mille rates : nam si Libitinam evaserit æger,
Delebit tabulas, inclusus carcere nassæ,
Post meritum sane mirandum, atque omnia soli
Forsan Pacuvio breviter dabit : ille superbus
Incedet victis rivalibus : ergo vides, quam,
Grande operæ pretium faciat jugulata Mycenis.

salute unius muliérculæ Gallitæ offerre diis ipsius penatibus, dignas solum numinibus victimas, dignas eorum astutis cultoribus. Quin etiam erit ex iis captatoribus, qui, si detur hæc ipsi facultas et venia, superis vovebit lectissimos e suis famulis, qui mancipia et ancillas vittis ac tæniolis, instar victimarum, adornatas aris admovebit : immo etiam suam ipsius filiam, si quam domi jam viro maturam habeat, velut alteram Iphigeniam, etsi non speret cervam aliquam pro filia sua furtim et tragico nodo suppositum iri. Ego vero Pacuvium esse virum egregium et sapientem judico : neque comparandam puto Græcorum classem totam, quam immolanda filia servandam Agamemnon voluit, testamento et hereditati, quam Pacuvius sua pariter filia sacrificanda captat. Nam si ægrotus ille dives mortem evaserit, testamentum vetus a se factum delebit, ut novum conficiat, quo Pacuvium, tanquam optime de se meritum, forte uno verbo solum heredem scribet, inescatus illo videlicet sacrificio, et veluti piscis in nassam inductus. Pacuvius hereditate lauta donatus plaudet sibi, et incedet superbus, ac suos æmulos, mœrentes victosque deridebit. Jamne intelligis, quantum lucri fecerit ille captator, quum suam Iphigeniam pro divite orbo mactare non dubitavit, ut rex Mycenarum Agamemnon?

Vivat Pacuvius, quæso, vel Nestora totum:
Possideat, quantum rapuit Nero: montibus aurum
Exæquet; nec amet quemquam, nec ametur ab ullo!

123. At ego patior illum sane opibus et vita frui per tot annos, quot Nestor vixit: tantas habere divitias, quantas Nero prædatus est, ac montium altitudinem nummorum acervis exæquare; sed ea lege ut neminem habeat amicum, nemini sit amicus.



VARIÆ LECTIONES

ET NOTÆ

IN SATIRAM DUODECIMAM.

Variæ lectiones. 1. *Carior hæc lux*, 17, 19, 20, 24, et XX MSS. Paris. *Clarior* (hoc est, præstantior, vel memorabilior), 11, 21, 22, et quidam Codd. Paris. prob. Schurzfleisch. Alterutra profecto lectio genuina videtur, et vulgata emendationem sapit. Ea tamen exstat in 1, in Cod. Put. et aliis.

Notæ. 1. *Corvinus* amicus poetæ, ad quem hæc Satira missa est, et quem Juvenalis una cum Catullo ad festam lætitiam invitasse videtur. Suavissimum est initium: *Hæc lux*, dies, *dulcior mihi natali die*, qui ceteris et lætior et sanctior est, atque, ut omnis fere dies festus, religione epulisque quotannis celebrari solebat. Hic dies *Jure solennis mihi sanctiorque Pæne natali*, Horat. Od. IV, 11, 17. Conf. Var. Lect. *hæc lux*, dies, quo rediit Catullus, mihi amicissimus. Conf. vs. 15 seq. et 29 seq.

Var. 2. *Festus* restitui ex 10, 11, 12, 15—22, 25, 26, 27, 45—50, 55—63, 65—69, 71—74, et plerisque Codd. Paris. *Festas*, 14, 23, 24, 54, 64, 70, 75, 76, 77, 82, nescio quo sensu.

Not. 2. Color orationis ductus ex Hor. Od. IV, 11, 6 seq. — *Cespes*, ara e vivo cespite, cespititia, βωμὸς αὐτοσχέδιος, qualis tempore urgente et in privatis etiam sacrificiis exstrui solebat. Conf. vs. 85. — *Festus*, festo diei et lætitiæ conveniens, ut *festa frons* et similia apud Virgil. Æneid. II, 249, et al. — *Animalia*, victimas. — *Deis promissa* et vota olim, quum Catullus discederet, pro reditu ejus et incolumitate. Conf. vs. 15 seq.

Var. 3. *Ducimus* revocavi ex 1, 7, 9, 11, 12, 15, 19, 20, 22, 24, 45, 49, 55, et XXXI MSS. Paris. probb. Pith. Schurzfl. et Heins. ad Ovid. Met. XV, 114. *Dicemus*, 23. *Cædimus* in reliquis libris. Sed *ducimus* est doctius, *cædimus* vulgare, quod haud dubie ex marg. in textum irrepsit; vid. Comm.

Not. 3. *Ducimus* (vs. 11, *traheretur* funibus) sc. ad aram, ut v. 122, X, 65, et passim de victimis (vid. Heins. ad Ovid. Met. XV, 114). Sic et Gr. ἄγειν. — *Reginæ*, in honorem ejus. *Regina* et βασίλεια quævis Dea major vocatur, sed inprimis Juno, regina deorum. — Quidam hic For-

tunam intelligunt, sed male, ut opinor. Ed. — *Junoni Reginæ* templa Romæ condidere Camillus et M. Æmilius. (Liv. V, 22; XXXIX, 3.) *Niveam agnam* : nam diis superis albæ, inferis nigræ mactabantur victimæ.

Var. 4. *Mauræ*, 16.

Not. 4. *Par vellus*, nivei velleris agna, ejusdem generis victima. — *Pugnanti* cum *Gorgone Maura*, hoc est, Palladi, pugnanti cum ægide, vel ope ægidis, hoc est, clipei vel thoracis, in cujus medio erat caput Medusæ Gorgonis, a Perseo in *Mauretaniæ* finibus vel in extrema Africa interfectæ. — *Gorgones*, seu Grææ fuere tres filiæ Phorci, Φορκίδες; sed Medusa κατ' ἐξοχὴν dicta Γοργώ.[1] — Gorgonis caput omnes, qui ipsum intuebantur, in saxa convertebat. Fabulam sic interpretantur docti viri, sapientiam scilicet sui spectaculo reddere homines stabiles, immobiles et constantes. Ed. — *Maura* alii ita dictam potius putant a paria, quia Cyrenaica erat. « Medusa quippe Phorcynis Cyrenei filia; at Cyrenæi inter Æthiopes numerati; vel qui habitavere in mari Atlantico; est autem Atlas mons Mauritaniæ. » Ed.

Not. 5 seq. Adumbratur h. l. et quidem præclare natura ferocis vituli, non, ut quidam putant, valde reluctantis, quod mali erat ominis. Nam « observatum est a sacrificantibus, ut, si hostia, quæ ad aras duceretur, fuisset vehementius reluctata, ostendissetque, se invitam altaribus admoveri, amoveretur, quia invito deo offerri eam putabant, » Macrob. Sat. III, 5.[2] Conf. similes victimarum immolandarum descriptiones apud Horat. Od. III, 13, 3 seq. et IV, 2, 54 seq. ubi Jani jam recte notavit, eas convenire homini, meditatione sacrificii, quod parat, pleno, easque inprimis valere ad victimæ, per se exiguæ, pulchritudinem commendandam, declarandamque super ea re lætitiam ac spem, gratam diis hostiam fore. *Procul*, longe, *extentum funem*, quo ad aram ducitur. Ascensius et alii victimas dicunt ad aram fune longiore et laxo, non arcte ligato, ductas fuisse, ne visæ essent invitæ ire et trahi, quod mali fuerit ominis.

Var. 6. *Quæ fronte coruscat*, 20.

Not. 6. *Jovi Tarpeio*, seu Capitolino. Tria, quæ h. l. memorantur, numina, Juno, Minerva et Jupiter, simul in Capitolio colebantur.[3] — *Frontem coruscat*, crispat, vibrat, quatit, ut *coruscare tela*, *linguam*, etc.

[1] Conf. Heyn. ad Apoll. II, 4, 2, et 3; ad Virg. Æn. II, 616; VIII, 435, et Comm. de Theog. Hesiodi, p. 142 seq. De sensu mythi vid. *Creuzer's Symbolik*, tom. IV, pag. 57, 270, 460.

[2] Conf. Saubert. de Sacrif. cap. 19, pag. 456—459.

[3] Vid. Drakenb. vel nos ad Sil. X, 432 seq. et intpp. Horat. Od. I, 12, 19, 20.

(vid. Heins. ad Ovid. Met. IV, 493), nisi malis, vibrat frontem, micantem propter cornua primum protuberantia; vel denique *coruscat* κατὰ *frontem*, hoc est, micat in fronte, cornibus jam enascentibus. — *Coruscare*, ut κορύσσειν seu κορύπτειν, proprie est arietare seu cornu petere, κερατίζειν (verb. caus. apud Theocr. III, 5), deinde splendere, quoniam lucidæ res vibrant et quatiunt ex se fulgoris radios. Conf. Lucret. II, 320, ibique Wakef. Vetus Schol. «movet sicut telum, quod coruscat.»

Var. 7. *Maturus templis*, 19. — *Aris*, 15, 21, 22.

Not. 7. *Maturus templis et aræ*, aris templorum; jam satis grandis, ut sacrificetur. Conf. VIII, 169.

Not. 8. *Spargendus mero*: nam consecrabatur victima vino in caput, inter cornua (ut apud Virg. Æn. IV, 61), libato seu infuso; *merum*, ut apud Ovid. Met. VII, 584, *Fundit purum inter cornua vinum.*

Not. 9. *Ducere ubera matris quem pudet*, ut *matre relicta* apud Horat. Od. IV, 2, 54; sed quanto venustius illud! — *Vexat nascenti robora*, arbores, *cornu*, ut apud Virg. Georg. III, 232, 233.

Not. 10 seq. Hoc suaviter adjectum et sensui amicitiæ convenienter. Vota autem et sacrificia facultatibus cujusque respondebant: at dii non nisi purum ejus, qui dona offert, animum respiciunt. Conf. Horat. Od. II, 17, 30 seq. III, 23, 9—20; IV, 2, 53 seq. — *Res* familiaris. — *Similis*, par, *affectibus*, voluntati, cupiditati vel affectui amoris.

Var. 11. *Hispula*, 27. *Hisbulla*, 17 a m. sec. 18. *Gispulla*, 66. *His pulla*, 11, 15, 16, 17. *Hispello* legendum docuisse Thaddæum Donnolam de patria Propertii et Bern. Montfaucon., monet Schurzfleisch. — *Ipse*, 15, 46, 48, 49, 55.

Not. 11. *Pinguior Hispulla*, facete. Conf. Var. Lect. et ad VI, 74. — *Traheretur*, sc. funibus, ut *ducere* vs. 3.

Not. 12. *Mole*, pinguedine. — *Finitima in herba*, in pascuis Romæ vicinis, forte ut apud Horat. Od. III, 23, 11, *Albanis in herbis*, in pascuis lætis circa Albam Longam.

Not. 13. *Clitumnus*, Umbriæ Cisapenninæ fluvius (nunc *Timia*), qui juxta Mevaniam (hod. *Bevagnam*) *Tiniæ* fl. (*Topino*) miscetur, et cujus aquæ ea vis inesse putabatur, ut candida redderet armenta, quorum magna ibi in *lætis pascuis* copia erat, unde multa Romam adducebantur, ut in solennibus mactarentur sacrificiis.[1] — *Sed* cujus *sanguis, ostendens læta Clitumni pascua*, *iret*, manaret, profunderetur, et quidem ingenti

[1] Vid. intpp. Plin. Epist. VIII, 8; Virg. Georg. II, 146 seq. Prop. II, 19, 25, 26; Claud. Cons. Hon. VI, 506 seq. Oberlin. ad Vib. Seq. pag. 101 seq. 221 seq. Keyssleri Itinerar. pag. 887 ed. pr.

impetu ac vi, qua *ostendit*, taurum pinguem esse, et in *lætis*, opimis, *pascuis* nutritum. Conf. Var. Lect.

Var. 14. *Magno* pro *grandi* Serv. ad Virg. Æneid. VIII, lapsu memoriæ. — *Magistro*, 21. — Oratio autem h. loc. scabra est, atque impedita, et vix dubito, quin totus hic versus obelo sit transfigendus, et vs. 13, pro *sanguis* reponendum *sacri*, quæ verba per compendium scripta non admodum differunt. Sic *flumen sacrum* et *sacras undas Clitumni* dixere Virg. et Claud. in Comm. laudati. Ita quoque aptissimum est verbum *ostendens*, scil. niveo pellis colore, quo non satis commode referri potest, si de *sanguine* agitur.

Not. 14. *A grandi* ac robusto *ministro* sacerdotum, popa, qui plerumque robustus est et obesus, victimis saginatus. Conf. Pers. VI, 74.

Not. 15. Pro ituris suscipiuntur vota, quæ solvuntur in *reditu*.

Not. 16. *Amici*, Catulli (conf. vs. 29 seq.), qui nunc ipse *miratur*, *incolumem sese* esse et tot tantaque pericula maris evasisse.

Var. 17. *Ictus*, 9, 21. *Et fulminis ictus Evasit*, 9, prob. Pith. Recte, opinor, si *et* pro *etiam* dictum acceperis, et majorem distinctionem posueris post *Evasit*. Tum *ignis* vs. 19 ad fulmen referri potest. Vulgata tamen lectione servata augentur pericula.

Not. 17. *Pelagi casus*, pericula maris, inpr. tempestatem. *Evasi*, quod evasit. Conf. Var. Lect.

Var. 18. *Cælum densæ*, 24.

Not. 19. *Nube una*, atra nube, per totum expansa cælum. — *Subitus antennas impulit*, subito in eas incidit, illas percussit, *ignis*, non fulguris (nam Catullus *fulguris ictum evasit* et *præter* fulmen *subitus ignis*, adeoque ab eo diversus, *antennas impulit*), sed Helenæ (*Helenenfeuer, le feu Saint-Elme*), electrica materia vel igneus ardensque vapor, qui, præcipue post tempestatem, in mari circumvolat et malo navis adhæret; de quo vid. Plin. II, 37.[1] Conf. Var. Lect. ad vs. 17. — *Crammer*, p. 460, interpretationem hanc doctiorem quam veriorem judicat, quippe si evasit ignem Catullus, adesse debuit ignis: quid, quod correptam jam fuisse navem igne, satis manifesto ostendunt quæ sequuntur *vela ardentia*. Præterea putat hac ratione vix explicari posse qua caussa antennæ, igne Helenæ *impulsæ*, possint dici a poeta, quum contra, qui curiose inspexerit incendia, illud quoque observatum habeat necesse sit, cœpto semel igne venti quoque turbinem plerumque exoriri, idque vel sereno alioquin cælo. Ed.

Var. 20. *Pertusum*, 29.

[1] Conf. ibi Hard. Barth. ad Stat. Theb. VII, 792 seq. et Heyn. Opusc. Acad. tom. III, pag. 257.

Not. 20 seq. Præclare adumbratur pavor eorum, qui navi vehuntur. — *Attoniti* vocantur, *qui vivi stupent et in totum sibi excidunt*, Sen. Nat. Quæst. II, 27.

Not. 21. *Conferri*, comparari, *posse*, hoc est, incendium multo terribilius esse naufragio.

Var. 23. *Graviter, quando*, 11. Schurzfleisch. nota hæc est : «Puto legendum *quam quando*. In primigenio exemplari fuerit QUANdo. Majores literæ notabant, syllabam bis legendam; sed exscriptores, ut sæpe in bonis auctoribus factum, rei non attendebant: ut tamen versui consulerent, *si quando* posuerunt. Non aliter Schol. legisse, clara ejus verba docent: *id est*, *tales tempestates contingunt navigantibus*, *quales fingere solent poetæ*.» Nihil horum mihi certe persuasit vir doctus. — *Pontica surgit Tempestas* (hoc est, sæva, qualis in Ponto Euxino esse solet), 45, et Cod. MS. Ignat. Hannielis, teste ac prob. Lubino. Sed quanto venustior vulgata lectio! vid. Comm.

Not. 23. *Si quando*, hoc est, aliquando, *poetica surgit*, exoritur, *tempestas*, hoc est, atrox et sæva tempestas fingitur aut describitur a poetis rem exaggerantibus. Facete, ut apud Lucian. quomodo historia conscribenda sit, Opp. t. III, p. 405, ed. Schmid. δεήσει γὰρ τότε (ὁ συγγραφεὺς) ποιητικοῦ τινὸς ἀνέμου ἐπουριάσοντος τὰ ἀκάτια, etc. et in Timon. pr. καὶ εἴ τί σε ἄλλο οἱ ἐμβρόντητοι ποιηταὶ καλοῦσι, καὶ μάλιστα ὅταν ἀπορῶσι πρὸς τὰ μέτρα. — ἅπαντα γὰρ ταῦτα λῆρος ἤδη ἀναπέφηνε καὶ καπνὸς ποιητικὸς ἀτεχνῶς, ἔξω τοῦ πατάγου τῶν ὀνομάτων.

Not. 24. Ita exclamabundi loqui solent scriptores, superveniente novo aliquo infortunio (vid. Barth. ad Stat. Theb. III, 349), etiam de re vel improvisa ac subita vel gravi, attentionem moturi. — *Aliud genus discriminis*, quod, sententiis quibusdam facete præmissis et interjectis, memoratur, vs. 29, seq.

Var. 25. *Sunt*, 11.

Not. 25. *Cætera*, quæ mox dicturus sum. — *Sortis ejusdem*, non minus tristia.

Var. 27. *Templa* pro *fana*, 7, e glossa.

Not. 27, 28. Vid. ad XIV, 302 : *quis* enim *nescit* tot quotidie fere naufragia esse, ut *pictores* jam eorum pictura sibi parare possint, quæ ad victum suppeditent? *Ab Iside pasci*, ali, *pictores*, quoniam in ejus potissimum templis *tabellæ*, in quibus pictum erat naufragium, suspendebantur. Navigantes ejus tutelæ commissos fuisse monet Lucianus, et præcipuum illius festum Romæ erat *Isidis navigium*, de quo vid. Lactant. Inst. I, 11, et Apul. Met. l. XI, pag. 367, ed. Elm.

Var. 31. *Emergentibus*, 16. — Semper miratus sum, neminem interpretum hæsisse in hoc loco, in quo duo genitivi, *puppis* et *arboris*, vel sine copula, cum voc. *latus* junguntur, neque commoda exoritur sententia, sive navem h. l.

et *puppim* et *arborem*, ut quidam putant, sive, ut alii, malum dici *arborem*, censeas. Tandem legi hanc Schurzfl. notam : « Locus mihi non videtur sanus. *Puppis* exponunt de nave, *arboris* etiam : quis inde sensus? Meo judicio in voce *incertæ* latet mendum, et legerim : *Quum plenus fluctu medius foret alveus et jam Alternum puppis latus, evertentibus undis Arboris incurvum, nullam prudentia cani Rectoris quum ferret* (vid. mox ad vs. 33) *opem : decidere*, etc. Sic consentiunt Scholia : *Latus dabat navis et arbore coacta. Arboris incurvum* dixit malum jam curvatum, quem scil. undæ evertunt, quum jam alveus aquis plenus est, et latus puppis non minus. Conf. Pontani Analecta, II, 11, de *alterno puppis latere*, et de toto hoc loco Heins. de Sat. Horat. pag. 107; Rigalt. ad Phæd. fab. 50, et Schotti Enodatt. I, 25. » Sed bonæ latinitatis scriptor malum curvatum non dicet *arboris incurvum*, et oratio præterea scabra est, nisi ante voc. *nullam* copula *et* vel *ac* inseratur. Non magis probanda explicatio Ach. qui, commate post *undis* posito, verba seqq. ita exponit : *Prudentia cani rectoris conferret nullam opem*, scil. periculo *arboris*, navis. Probabilior videtur conjectura illustr. Jacobsii, qui legit *Undis Æquoris incerti*, monetque, tales undas esse fluctus a diversis et inter se præliantibus ventis commotos (vid. Claud. in Ruf. I, 90, et Sen. Med. 939), et hinc etiam ventum, qui crebro mutetur, *incertum* dici, verb. caus. Prop. II, 7, 71, eodemque sensu *dubios fluctus*, *pontum*, *æquor*, *æstum*, Liv. XXXVII, 16; Lucan. V, 569, 602; Claud. in Rufin. I, 72.

Not. 31. *Alternum latus arboris* (navis, ut apud Ovid. Her. XII, 8, non mali, ut apud Virg. Æneid. V, 504) *incertæ*, fluctuantis (*instabilis*, apud Virg. Georg. IV, 195), quæ fluctibus et ventis modo in dextrum, modo in lævum latus jactabatur; unde etiam *alternum latus*. Confer Varias Lectiones.

Var. 32. *Incerti*, 45. *Incerto*, 17—23, 25, 46, 47, 48, 55, 58, 59, 60, 65, et X Codd. Paris. quod Ascensius exponit : mali, arboris incertitudine, incerto hiatu. — Ad hunc locum *Crammer*, pag. 462, sententiam quoque suam affert, legens ex MSS. *incerto*, id est, ob vacillationem et incertitudinem arboris, seu mali. *Incerto* substantive ait capiendum, ut jam Mancinellus vidit; neque id alienum esse ab optimis scriptoribus viri docti dudum ostenderunt. Vid. Drak. ad Liv. XXIX, 64, et al. Ed.

Var. 33. *Cum feret*, 24. *Cum ferret*, 11, 17—20, 22, 45, et plurimi Codd. Paris. — Hanc lectionem *cum ferret* probat *Crammer* ex MSS. huc citatis, quibus adde Cod. Hafniensem et Voss. optimum. Ed.

Not. 33. *Rectoris cani*, senis adeoque usu periti; quo periculum augetur. — *Decidere*, de vita quasi pacisci *cum ventis jactu*, projectis bonis suis et pro vita oblatis, ut ita lis dirimatur, hoc est, navi exonerata, vita saltem servetur jactura bonorum. Lepida dictio petita a litigantibus, qui de re vel rem controversam secum decidunt, litem dirimunt pactione. Conf. Gron. Obss. II, 6.

Var. 34. *Castora* legit Kœnig. de Satir. Rom. pag. 81, putans designari

hominem impudicum et morbo infami graviter laborantem. Sed vid. Comm.

VAR. 35. *Damna*, 46, 47, 48. *Damnum*, 17.

NOT. 34, 35. Festiva et apta comparatio, etsi continetur errore vulgi, quo *castor* seu fiber, ab hominibus exagitatus, *testiculos* suos morsu avulsos abjicere putatur, ut ipse salvus *evadat*, quasi *intelligat*, sciat, propter castoreum se maxime expeti insidiasque sibi parari. Conf. simil. loc Sil. XV, 484 seq.[1] Idem de dentibus elephantorum memorat Plin. VIII, 3, seu 4.

VAR. 36. *Testiculi* restitui ex 7, 9, 11, 12, 15, 17—21, 24—27, 45—49, 55, 57, 59, 60, 65, 81, omnibus MSS. Paris. Serv. ad Virg. Georg. I, 58, aliisque exemplis veterrimis, inspectis ab Nic. Heins. quem vid. ad Claud. Cons. Stil. II, 167, ubi permulta hiatus exempla ex Juvenale aliisque poetis congessit. Conf. supra ad I, 151. *Testiculo*, 23. Vulgata lectio *Testiculorum* emendationem sapit eorum, qui talem hiatum Juvenali familiarem esse non reputabant. Hinc etiam alii, teste Ascensio, legunt, *cupient evadere damna Testiculis*, et Mancinellus, *damno Testiculi, atque ideo*, etc. in 59, 60, *Meditatum*.

NOT. 36. Poeta ridet opinionem vulgi; *inguen*, testes et castoreum. «Nostris temporibus notum est, castoreum, medicamentum, in testiculis castoris non contineri, sed in sacculo infra ventrem posito;» Ach. *medicatum*, active, ut passim, pro: ad medicandum et medicinas utile.

NOT. 37. *Fundite*, projicite in mare. Quare? vid. intpp. Act. Apost. XXVII, 38.

VAR. 39. *Mecœnatibus*, 45, 46, 49, 50. *Mæcenatibus*, 47; vid. sup. ad I, 66.

NOT. 39. *Vestem teneris quoque Mæcenatibus aptam*, vid. ad I, 66.

VAR. 40. Malim *ipsa Infecit natura*.

NOT. 40 seq. *Atque alias* vestes, *quarum pecus ipsum natura*, indoles, *generosi graminis infecit*, hoc est, e lana aut vellere pecudum, seu ovium Hispanarum, cujus color nativus, seu naturalis, est rutilus aut purpureus, quem ei non ars operaque hominum, purpura et lutum, tribuit, sed naturæ beneficium, *gramen generosum* ac præterea *vis occulta egregii fontis, Bætis* fl., et *aeris*, seu cæli temperies juxta illud, in Hispania, cujus maximus fluvius est *Bætis*, Arabibus inde dictus *Vadi al Kibir*, fluvius magnus, corrupte *Guadalquivir*. Conf. Virgil. Eclog. IV, 42 seq. Plin. VIII, 48; Martial. V, 38, 7; VIII, 28, 5, 6; IX, 62; XII, 100; XIV, 133.

[1] Vid. Arist. H. A. VII, 5; Ælian. H. A. VI, 33 et 34; Dioscor. II, 23, et 26; Horus Hierogl. II, 65 et 214; Schott. Nod. Cicer. I, 25; Hard. ad Plin. VII, 30, s. 47; XXXII, 3, s. 13; XXXVII, 6.

Var. 41. *Et* abest a 15, 23, 71, 73.

Not. 43. *Argentum*, argentea vasa, ut I, 76, *mittere* in mare *lances factas* a *Parthenio. Parthenius* cælatoris nomen, Schol. Sculptor, de quo Plin. Grang. Sed, quod jam monuit Lessingius (Laocoon, pag. 293, 294, ed. sec.), neque a Plinio, neque ab alio memoratur; et dura est ellipsis præpositionis. Conf. Var. Lect. et Notam ad III, 90. *Crater* vas vinarium et quidem capacius, pateræ seu poculi formam referens (vid. intpp. Horat. Od. III, 8, 13; 18, 7). De *urna* vid. ad VI, 426.

Var. 44. *Partemio*, 21, 22. Forte legendum *Partheniæ*. Samos insula et urbs primum appellata Παρθενία (vid. Strabon. V, pag. 457; Plin. V, 37, ibique Harduin.): nota autem sunt *vasa Samia*. Conf. ad XVI, 6, in Commentar.

Not. 45. Facete amplitudo crateris designatur. *Cratera dignum Pholo*, Centauro, *sitiente*, vini avidissimo. Locus desumptus ex Stesichoro, Lyrico poeta, qui Centaurorum et Lapitharum convivium describens, ait Pholum implevisse Herculi, hospiti suo, craterem trium lagenarum capacem, quem prior ipse exhausisset; Grang. Verba Stesichori servavit nobis Athen. XI, 14, pag. 499 (XI, 99, ed. Schweigh). Σκύπφειον (propr. Σκύφειον) δὲ λαβὼν δέπας ἔμμετρον ὡς τριλάγυνον, Πῖεν ἐπισχόμενος, τό ῥά οἱ παρέθηκε (Φόλος) κεράσας.[1] — *Conjuge Fusci*, quæ ebriosa fuit, Schol. Quidam suspicantur, hanc esse Laufellam, de qua vid. VI, 320 seq. et IX, 117. *Fuscus* forte idem, cujus mentio fit XVI, 46 (ubi vid. not.), vel alius, de quo vid. ad IV, 112.

Var. 46. *Bascandas*, 18, 19, 30, 49, 55, 57, 58. *Bascaldas*, 15. *Bastaudas*, 25. *Bascaulas*, 11, 21. *Pascaudrias*, 16. *Mascauda*, 8, prob. Salmas. — *Escalia*, 4, 11, 12, 15—24. Nil interest. Sed *escaria* vulgaris scriptura. — *Et multum*, 22.

Not. 46. *Bascaudas*, vasa, ubi calices lavabantur, et cacabus; Schol. Conchæ æreæ, genera vasorum; Papias. Canistra Britannica (*Baskets*); Marshall. Conf. Martial. XIV, 99. — *Escaria* vasa, lances, *multum cælati*, multa vasa, h. loc. pocula aurea argenteaque eaque cælata.

Var. 47. *Biberet*, 20. — *Calidus*, 45. *Pallidus*, 1, 75; al. *Callidus* ingeniosius forte quam verius; H. Vales. Præstat autem et auctoritatis et sensus caussa.

Not. 47. Poculorum pretium augetur antiquitate et dignitate priorum possessorum. *Biberat* ex *quo*, quibus poculis usus fuerat. — *Emptor Olynthi*, Philippus, Alexandri Magni pater, qui multis artibus frustra usus est,



[1] Cf. Diod. V, 2; Heyn. ad Apollod. II, 5, 4, et ad Virg. Ge. II, 455 seq. Intpp. Val. Fl. I, 337, 338; Junii Obss. IV, 5, et Barth. ad Stat. Theb. II, 564.

ut *Olynthum*, maximam olim Thraciæ urbem,[1] Atheniensium imperio eriperet, eamque tandem cepit, Lasthene et Euthycrate pecunia corruptis; vid. Demosth. Olynth. Thucyd. I, 58 seq. et Diodor. XVI, 53, 54. — *Callidus*, vid. Justin. IX, 8. Idem Philippus plures civitates emit (Sen. Ep. 94), et castellum olim oppugnaturus, quod exploratores munitissimum esse nuntiaverant, quæsivisse ex iis dicetur, εἰ χαλεπὸν οὕτως ἐστὶν, ὥστε μηδ᾽ ὄνον προσελθεῖν χρυσίον κομίζοντα;[2] *Poculo aureo pulvinis subdito Philippum regem dormire solitum* tradit Plin. XXXIII, 3, seu 14.

VAR. 48. *Ecquis nunc alius* emend. Jacobs. quia in his verbis et præc. nulla plane sit oppositio.

ANAL. 48 seq. Poeta narrationem interrumpit quatuor versibus insertis, quibus vituperatio avaritiæ, illis temporibus vigentis, et laus Catulli continentur. *Alius*, præter Catullum.

NOT. 49. *Caput*, vitam. — *Rebus*, rei familiari, opibus.

VAR. 50. *Faciant*, 21. — *Quædam*, 13. Pro *quidam* forte substituendum esse *quique* vel *quisque*, ne hæc repugnent iis, quæ poeta proxime vs. 48 et 49 dixerit, aut totum potius versum una cum seq. propter scabram orationem monacho deberi, qui has lacinias margini adsuerit, dudum suspicatus sum. Postea vidi, idem Bentleio in mentem venisse, qui ad Hor. Art. Poet. vs. 337, hæc notavit: « Vides hic in mediam narrationem sententiolas has intrudi, putide prorsus et perquam inscite. Quorsum enim hic *Quidam?* quum jam dixerat, ne unum quidem ulla mundi parte vitam patrimonio præferre? Quale autem illud, *facere patrimonia?* quæ scabies locutionis? Quam alienum et pannosum illud, *vitio cæci?* quod eo tantum adsuitur, ut versiculi cento sarciatur. Ergo obelo configendos hos versus 50 et 51 censeo; etiamsi vetus Schol. pro genuinis agnoverit. Solebant olim sententiosa hujusmodi in margine allini, quæ postea in contextum irrepserunt. Sic disticha Epimythia, quæ singulis Avieni fabulis subjunguntur, omnia supposititia sunt, et in Galeano, quo usus sum, codice nulla comparent. » Refragatur Ach. cujus nota est: « Nihil in his versibus inconveniens est nec alienum, nihil quod glossam redoleat, quin immo sententiam omni parte veram illi versus mihi offerre videntur. Adde quod in omnibus Codd. legantur, et id certe aliter evenisset, si, ut Bentleius temere affert in medium, ex glossa a monacho assuta nati fuissent. »

VAR. 51. *Cæci vitio*, 16, 20.

NOT. 50, 51. *Non propter vitam*, vitæ sustentandæ causa, *faciunt pa-*

[1] Vid. Xenoph. Hist. Græc. lib. V, pag. 433—442; Interpp. Curt. VIII, 8, 9, 19; Nep. Pelop. I, et Steph.

[2] Vid. Plut. Apophth. Opp. t. II, pag. 178, ed. Francofurt. et Cicer. ad Att. I, 16.

trimonia, opes colligunt, *quidam, sed vitio cæci*, avaritia excæcati, *propter patrimonia vivunt*, putant se eam ob causam vivere, ut opes cumulent. Conf. VIII, 83, 84, et ad XI, 11. Sed vid. Var. Lect.[1] — Duo isti versus in mentem revocant lepidam illam Harpagonis sententiam, quam literis aureis exaratam velit, apud nostratem *Molière, l'Avare*, act. III, sc. 5: *Il faut manger pour vivre, et non pas vivre pour manger*. Ed.

Not. 52 seq. Retexitur tela abrupta. *Jactatur* in mare a Catullo et sociis ejus. *Sed nec damna*, jactura bonorum, *levant* in sublime atque tollunt scil. navem (scopulo vadisve hærentem, ut apud Virg. Æneid. I, 145, quem locum contulit Hein.), vel *levant*, imminuunt, sc. discrimen. Sed neutra vox antea est memorata.[2] Conf. Var. Lect.

Var. 53. Præstiterit *sed nec Damna juvant*, ne jactura quidem bonorum prodest, quidquam proficit. Dura certe est ellipsis (vid. Comm.), sine qua vulgaris lectio expediri haud potest. Mira tamen hæc, et vix digna, quæ refutentur, Heineckio videntur et videbuntur omnibus, qui silices concoquere didicerunt. — *Ingentibus*, 45. *Vergentibus*, 57.

Not. 53. *Adversis* fatis *urgentibus*, prementibus, periculo crescente. *Adversis* ventis, alii. *Illuc recidit*, eo redactus est. Conf. Var. Lect.

Var. 54. *Recidit*, 1, 14, 70, 75—77, et XII MSS. Paris. *Accidit*, 21 a m. pr. et duo Codd. Paris. *Decidit*, 10, 11, 12, 15—21 a m. sec. 22—27, 45—50, 54—69, 71—74, 81, et XXI MSS. Paris. solenni permutatione, prob. Grang. ut respondeat Gall. *il en vint là*. Sed *decidere*, vel proprie, vel metaphorice, motum e loco superiori indicat: at *res illuc* vel *huc recidit* dicitur pro, res eo jam rediit, seu huc redacta est (Gall. *il fut réduit à*); et hæc sententia convenit h. loc., non illa. Conf. Gronov. et Drakenb. ad Liv. XLIII, 6; Ernesti ad Tac. Ann. III, 59, et ad Suet. Claud. c. 9; Heins. ad Ovid. Ep. Her. XIV, 46, et ad Claudian. Bell. Gild. vs. 44. Refragatur Hein. cujus nota est: « *Decidit* præsens est, quamquam sequitur imperfect. *submitteret* (conf. Corte ad Sall. bell. Cat. 44), et hic congruit; nam *decidere* significat cadere ex altiore loco et pejorem sortem accipere, ut bene monuit Oudend. ad Sueton. Claud. 9, ubi etiam apte laudavit Plin. Epist. IV, 11, *nunc eo decidit, ut exsul de senatore fieret*. » Sed hic locus non plane respondet nostro. Ceterum syllaba *re* anceps est in verbis compositis, quæ a consona incipiunt, et brevis in *redeo*, *redoleo* aliisque, quæ hiatus vitandi caussa literam inserunt; vid. Heins. ad Ovid. loc. laud. idem et Broekhus. ad Prop. IV, 8, 44; Drakenb. ad Sil. I, 309, Scaliger. ad Manil. I, pag. 48, et ad Prop. II, 24. *Illuc Res cadit* conj. H. Vales.

---

[1] Multi sunt, qui ob hanc caussam colligunt patrimonia, tanquam ut habeant, non tamen ut utantur, sed avaritiæ satisfaciant. Schol.

[2] Alii: *sed nec* res in mare projectæ *levant damna*, discrimen. At *damna* eo sensu non capi posse, vel tironibus notum.

— *Succideret* pro *submitteret*, 7, e glossa. — *Hac re* pro *ac se*, 21. *At se*, 27, 46—49.

NOT. 54. *Malum ferro*, securi, *submitteret*, succideret.

VAR. 55. *Explicat augustum*, 21, 25, 57. *Explicet* emend. Lubinus hoc sensu : ut se arctum, impeditum et in angustias redactum propter malum faciat expeditiorem, impedimentum mali removens. Ac sic certe dicendum erat *explicaret*, ut modo *submitteret*. Plathnerus legit : *submitteret. Hoc se Explicat angustum*, etc. quod probant Jacobs. et Heineck. Ille tamen verba seq. sic interpungit : *Hoc se Explicat angustum discriminis, ultima quando*, etc. ut hæc omnia per gnomen et hoc sensu sint dicta : In eo apparet summum discriminis, quando quis sponte pericula auget, malum succidens et præcipitans, navemque adeo ea parte privans, sine qua alias ne navigari quidem posse videtur. Huic *angustum discriminis* non latinum videtur, et præferenda distinctio Marshalli, quam et nos nunc substituimus in locum vulgatæ : *ac se Explicat angustum, discriminis ultima quando* (quoniam, quandoquidem) *Præsidia*, etc. — *Crammer*, pag. 466, profitetur omnium adhuc proxime rem tetigisse videri, qui legit et distinxit, *hoc se explicat angustum discriminis : ultima*, etc. nec videt, cur non sit bene latinum, *angustum discriminis*, « quum *angustis viarum in Virgilio* nemo litem moverit, nec similibus, quorum haud parvus acervus est. » ED.

NOT. 55. *Se angustum*, in angustias adductum, impeditum, implicatum magnis difficultatibus ac periculis, *explicat*, expedit ex iis, propr. se arctum expandit, angustum, quo inclusus erat, spatium dilatavit. — *Discriminis ultima*, maxima tunc pericula adsunt, *quando præsidia afferimus*, quum ea præsidia afferimus, quæ *navem* faciunt *minorem*, leviorem; Marshall.[1] Conf. Var. Lect. Succisionem vero mali ultimum esse naufragii remedium, nota res est.

VAR. 56. *Auferimus*, 22.

VAR. 57. Nota Jacobsii est : « Lubenter amplecterer *doloso* pro *dolato*, si codex offerret. Τόλμα.... νεῶν ἀρχηγὲ.... οἷον ἐτεκτήνω δόλιον ξύλον, apud Antiphil. Epigr. XXIV, in Brunck. Anal. tom. II, pag. 175, ubi quædam notavimus tom. II, part. II, pag. 55. Vulgatam qui tueri velit, is *dolato* pro *tenui* accipiat. *Gracile lignum* dixit Stat. Sylv. III, 2, 78. Conf. Mitscherl. ad Horat. Od. I, 3, 10. » Minus forte arridebit hæc interpretatio, quam emendatio illa.

ANAL. 57—61. Poeta cogitatione ac sensu periculorum, quæ in ami-

[1] Alii, qui distinguunt : *ac se Explicat angustum, discriminis ultima quando*, etc. exponunt : quod facere solemus, quando, etc. quæ durissima est ellipsis. Non magis probanda interpretatio Achaint. *tunc angustum se explicat*, scilicet periculum, hoc est, extremum est, *quando*, quum *ultima præsidia*, remedia, *afferimus*, etc.

cum ingruerant, intime affectus, omnem acerrime exsecratur navigationem, tamquam rem non minus temerariam ac periculosam, quam miseram. Similiter multi poetæ navigantium audaciam increpant.[1] — *I nunc*, ut in simili loco Sen. Med. 650, et supra VI, 306, ubi vid. not. — *Nunc*, postquam audisti, navigantibus tot tantaque imminere pericula. — *Ventis animam*, vitam, *committe*, ut apud Horat. Od. I, 3, 10:

. . . . . Qui fragilem truci
Commisit pelago ratem,

et Senec. Med. 304. *Animam levibus credidit auris.* — *Dolato ligno*, vid. Var. Lection. — Dolatum lignum dici conjicit Lubinus ex eo quod navis facta sit ex ligneis asseribus dolabra levigatis et elaboratis. Ed.

Var. 58. *Et digitis*, 12.

Not. 58, 59. Laertius lib. I, tradit Anacharsidem, quum audisset, τέτταρας δακτύλους εἶναι τὸ πάχος τῆς νεώς, dixisse, τοσοῦτον θανάτου τοὺς πλέοντας ἀπέχειν. Hinc et Dio Chrysost. Orat. LXIV, de Fortuna navem appellat τριδάκτυλον ξύλον πεύκινον. Aratus Phæn. 300. ὀλίγον δὲ διὰ ξύλον Ἄϊδ' ἐρύκει. Seneca Controv. III; *parva* (navigiorum) *materia sejungit fata*, et Med. vs. 306 seq. *Potuit tenui fidere ligno, Inter vitæ mortisque vias Nimium gracili limite ducto*, Conf. et inf. XIV, 288. Ovid. Am. II, 11, 25 seq. et Jacobs. ad Anthol. Gr. vol. II, part. II, pag. 55.

Var. 59. *Aut septem*, 8, 9—24, 27, 45—50, 54—61, 63, 64, 65, 70, 77, 81, 82. *Ac septem*, 25, 62, 66—69, 71—76. — *Lautissima*, 8, 9, 22.

Not. 59. *Tæda*, ut alibi *pinus*, cognata arbor, pro navi, e pinu texta, h. loc. pro tabula vel assere navis. (Conf. Gron. Obss. III, 13, extr.) *Latissima*, crassissima.

Var. 61. *Accipe*, 21, 64, probb. Brit. Lubino et Farnab. At vid. Comm.

Not. 60, 61. *Mox*, ubi in navi eris et lustrabis res, quas tecum tulisti et quæ tibi maxime necessariæ sunt ad vitam et salutem, præter panem et vinum, *adspice*, respice (ut apud Ovid. Fast. VI, 29, et Virg. Æneid. II, 690), etiam *secures*, quæ *sumendæ* sunt (alii: ne obliviscaris tecum *sumere* secures), quibus opus est *in tempestate*, ad malum succidendum. — *Reticulum* pera, ad modum retis texta, ut apud Horat. Sat. I, 1, 47. *Ventre lagenæ*, lagena ventrosa, hoc est, ampla, itineri apta. Conf. IV, 107, al.

Var. 62. *Mare planum*, 22. *Latum mare*, 15.

Not. 62—67. Sedata tempestate, 67 seq. *Vestes* pro velis, quæ igne



[1] Conf. Prop. lib. III, cap. 7, 29 seq. (al. 5, 41 seq.); Horat. Od. I, 3, 9—24, ubi vid. interpp. et Burman. ad Ovid. Amor. lib. III, cap. 2, et ad Phædr. lib. IV, cap. 6, 8; Barth. ad Grat. pag. 45.

conflagrarant (vs. 19 seq.), extendebantur et in *prora* alterum *velum* minus, quod unum superfuerat; atque ita (75 seq.) lacera navis portum subiit Ostiensem. 62. *Jacuit planum mare*, hoc est, tranquillum factum est et *planum*, quo sensu passim *unda* vel *mare jacere*, *stare*, *cubare*, *sedere*, et contra *surgere* dicitur.[1]

Var. 63. *Vectores*, 16, 21, 22, et multi Codd. Paris. *Victoris*, 23, 24. *Victori*, 45. *Vectori* (Catullo) quidam Codd. Paris. et ita forte leg. cum H. Valesio.

Not. 63. *Fatum*, quo salus nautarum et Catulli continebatur, *valentius Euro*, ventis, *et pelago*, efficacius fuit tempestate. Fatis dii quoque ipsi impares, eorumque leges fixæ. (vid. ad Sil. V, 76, 406.)

Var. 64. *Meliore*, 15. *Benigne*, 16, 19, 24.

Not. 64 seq. Conf. ad III, 27. *Pensa ducere*, ut *pensa trahere*, *torquere*, *versare*, *volvere*.

Not. 65. *Parcæ hilares*, adspirante fortuna et cœptis blandiente; ut contra *Sorores tristes* et *duræ*.[2] — *Stamen album* Parcarum longiorem feliciorremque vitam significat et portendit, ut contra *atrum* vel *pullum* mortem et infortuninm.[3] — *Lanificæ staminis albi*, docte pro, ducentes stamen album vel lanam staminis albi, hoc est, lanam albam facientes.

Var. 66. *Non multa*, 74. *Non multum*, 45. *Non multo*, 25, 27, 46—50, 54—69, 71, 72, 73. At sic turbatur oratio: nam hæc quoque verba ad πρότασιν pertinent, et ἀπόδοσις est vs. 67, *inopi miserabilis*, etc.

Not. 67. Bene *miserabilis* visu *prora*, navis, malo, velis aliisque armis destituta; et *arte inopi*, non multum fructuosa, quam necessitas docuerat, *extentis vestibus*, velorum loco expansis, ut apud Tac. Ann. II, 24, ubi etiam *vestes* sunt proprie sic dictæ, non, ut Schol. putabat, funes aut vela aut artemon.

Var. 68. *Extensis*, 10, 11, 12, 15—27, 45—50, 54—69, 71—74, ut *extensum* supra vs. 5.

Var. 69. *Velut prona*, 22.

Not. 69. *Velo*, minori, in *prora*, quod *dolon* vocatur, ut majus ἀρτέμων, *artemon*, et, quod ad puppim est, forte *epidromus*. *Suo*, quia in prora est, vel vestibus opponitur, quæ proprie non sunt vela navis. *Deficientibus* vi, vel cessantibus. — *Austri* cum delectu positi, tamquam venti vehementiores ac tempestatem cientes.

---

[1] Vid. Heyn. ad Virg. Ecl. II, 26; Nic. Heins. et nos ad Sil. V, 583.

[2] Vid. Broukh. et Heyn. ad Tibull. III, 3, 35, et nos ad Sil. I, 281.

[3] Conf. Intpp. Hor. Od. II, 3, 16; Martial. IV, 73, 3, 4; VII, 58, 7, 8.

VAR. 70. *Tunc gratus*, 18, 22.

NOT. 70. Sic Neptunus *Collectasque fugat nubes solemque reducit* apud Virg. Æneid. I, 143.

NOT. 70—72. *Tum conspicitur sublimis apex*, mons Albanus, *gratus*, dilectus, *Iulo*, seu Ascanio, Æneæ filio, quippe qui, condita in eo Alba Longa, *sedem* ibi imperii collocavit et Laviniæ, *novercæ* suæ, concessit *Lavinium*. Res notissima vel ex Liv. I, 1, et 3; Virg. Æneid. I, 267 seq. ubi vid. Heyne.

NOT. 71. *Lavino* : nam veteres etiam *Lavinum* pro *Lavinium* dixisse videntur.[1]

VAR. 73. *Miserabile*, 1, 9, 81. Male! Vetus Scholion est: « aut *mirabile*, quia triginta fetus habuit: aut *miserabile*, quod miseratum sit Phrygibus. » — *Numen*, 29, quod arridere potest, si memineris, *numen* poetis proprie Dei voluntatem ejusque indicium, monitum et oraculum dici; vid. Heyn ad Virgil. Æneid. I, 8, 133, 666; II, 123; III, 372; IV, 611; V, 56; VII, 11; VIII, 78; IX, 661; XI, 232. Ceterum verba *lætis Phrygibus mirabile sumen* parenthesi forte includenda, quoniam mox sequitur vox *clara*, quæ ad *scrofam* referenda est.

NOT. 72—74. Etiam hæc nota ex Virg. Æneid. III, 388 seq. VIII, 42 seq. 81 seq. ad quæ loca vid. Heyne. Conf. Varr. R. R. II, 4, *cui*, Albano monti, ut et Albæ Longæ, *nomen dedit candida scrofa*, sus alba. *Phrygibus*, Iulo et Trojanis, *lætis* ob repertam ex oraculi responso suem. *sumen*, sus. Conf. Var. Lect. et ad XI, 138.

VAR. 74. *Nusquam*, 16.

NOT. 74. *Mamillas* facete forsan substituit poeta pro porcis, ut rei miraculum augeretur.

NOT. 75 seq. Describitur portus Ostiensis, de quo Suet. Claud. cap. 20: « Portum Ostiæ exstruxit, circumducto dextra sinistraque brachio et ad introitum, profundo jam salo, mole objecta, quam quo stabilius fundaret, navem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Ægypto fuerat advectus, congestisque pilis superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia[2] dirigerent. » — *Moles*, ingentia saxa, in mare jacta alteque exstructa instar aggeris, quibus pars maris *inclusa* et exclusa. Itaque jungo : *moles positas per æquora*, in æquore; non, ut suadet H. Valesius, *intrat æquora inclusa per moles positas*, molibus jactis. — *Tyrrhenamque Pharon*, turrim excelsam,

[1] Vid. Heyn. Obss. in Tibull. II, 5, 49, et ad Virg. Æneid. I, 2, in Var. Lection.

[2] Conf. Cluv. Ital. Ant. III, 3, et Burman. ad Valerium Flaccum, VII, 84 seq.

in mari Tyrrheno ædificatam.[1] — *Brachia*, portus partes vel moles prominentes et dextra sinistraque *porrectas*, protentas in mare, *rursum*, retro (*rursum* enim propr. quasi *revorsum*), hoc est, ultra Pharon, ad introitum portus exstructam.[2]

VAR. 76. *Inclusaque brachia*, 15. — *Rursus*, 10—12, 17—26, 45—50, 54—69, 71—74. *Sursum* emend. Schrader.

VAR. 77. *Occurrunt* restitui ex 17—19 a m. sec. 20, 21, 23, 24, 27, 48, 54—68, 71—74, et quibusdam Codd. Paris. ut sensus sit: quæ alto mari in cornua quasi coeunt, ut apud Hom. Od. N, 97: δύο προβλῆτες ἀκταὶ ἀποῤῥῶγες, λιμένος ποτιπεπτηυῖαι, hoc est, προσπεταννύουσαι ἑαυτὰς κατὰ τοῦ λιμένος, quomodo hæc verba interpretatur Heyn. ad Virg. Æneid. I, 160, 161. *Pelago currunt*, 1, 10, 11, 12, 14, 15, 16, 19, a m. pr. 22, 25, 26, 45—47, 49, 50, 69, 70, 75, 76, 77, 82, et multi Codd. Paris. quæ verba vulgo exponunt: in altum procurrunt mare (Schol. vet. *intrant mare et admittunt terram solidam*). Sed ita *in* vel *per pelagus* dicendum erat.

NOT. 77. Magnitudo portus Ostiensis designatur. — *Pelago occurrunt*, vid. Var. Lect. — *Relinquunt Italiam*, ab ejus ora recedunt.

VAR. 78. *Nec sic*, 11.

NOT. 78, 79. Hæc verba languere videntur; nisi forte hæc eorum sententia est: Hic portus Ostiensis multo mirabilior, quam naturales, qui passim a poetis describuntur, admirationem magis, quam veritatem sectantibus.

NOT. 79. *Magister*, gubernator, *petit interiora tuti stagna* (aquas) *sinus*, hoc est, subit portum interiorem, ubi naves tutæ sunt a tempestate et naufragio, unde vel *cymbæ Baianæ*, quali utuntur in lacu Lucrino, *pervius*, navigabilis est.

VAR. 80. Post *cymbæ* et *sinus* punctum positum in 82, et aliis.

VAR. 81. *Tunc stagnante sinu gaudent ubi*, vel *ibi*, 10, 11, 12, 15—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et XXXIII MSS. Paris. prob. Ach. Quæ verba



[1] Cf. Burm. loc. laud. Wernsdorf. Poet. min. t. V, p. 120 et 149; Heins. ad Ovid. Met. XI, 393, et XIII, 903.

[2] Ita voc. *rursum* interpretari malim cum Grangæo, quam cum vet. Schol. *iterum*: « quia Trajanus portum Augusti restauravit in melius, et interius tutiorem sui nominis fecit. » Ab Augusto quoque portum hunc inchoatum esse nemo, quod sciam, prodidit. Exstruxit eum Claudius, et perfecit Nero, si numis ejus fides habenda. Trajanum vero addidisse interiorem, Cellarius in Geogr. antiq. II, 9, inde colligit, quod, quem geminum injecta mole fecerit Claudius, postea tergeminus seu triplex fuerit, λιμέσι τρισὶ περιγραφόμενος, Philostorg. de Alarico, XII, 3. Conf. Tab. Peuting. Possis et jungere *rursum intrat* atque *rursum* exponere ut *rursus* X, 150, quod tamen minus arridebit.

vulgo sic explicant : portu tranquillos habente fluctus, tempestate jam sedata, *tunc*, ubi in portum venere. *Tuti stagna sinus*, 1, duo Codd. Paris. et edd. rec. 84. Pro *delubris* C. Vales. conj. *polubris*, seu *pollubris*, hoc est, pelvibus, lebetibus; vid. Fest. et Non. c. 5, n. 11.

Not. 81. *Vertice raso :* nam in luctu summoque vitæ periculo caput radi et crines ab iis, qui ex naufragio vel diuturno morbo alioque discrimine salvi evaserant, diis sospitatoribus offerri solebant.[1] — Falso ergo, ut opinor, quidam « caput nautæ radebant more servorum, liberationem ac salutem a diis exspectare se velut profitentes. » Nemo etenim nescit consuetudinem hanc resecandæ comæ diisque vovendæ a veteribus sæpius usurpatam; quod e Berenices capillorum in sidus transformatorum fabula constat. Ed.

Not. 82. Comparentur verba Euripidis (Ὡς ἡδὺ τὸν σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων); Sen. Ep. 78; Macrob. VII, 2, et Cic. Ep. ad Div. V, 12. — *Garrula*, quæ garrulos faciunt homines; vel pro garrulis nautis, vel denique adject. pro adverbio, ingenti garrulitate, qualis plerumque est hominum, magno periculo liberatorum — *Nautæ*, Catullus ejusque socii, quorum affectus animi egregie adumbrantur.

Anal. 83—92. Præclara conversio! nam descripto periculo et reditu Catulli, repente sensus in actionem transeunt, qua dramatica ac vivida rerum adumbratione summa poeseos virtus continetur. Poeta ob reditum amici, qui in extremo vitæ discrimine versatus erat, lætitia exsultans, advocat servos; jubet properare necessaria ad vota pro reditu Catulli solvenda remque divinam rite faciendam; omnis moræ impatiens est. Festinantes oculis quasi cernimus servos et dominum jam sequentem, jam diis majoribus vota solventem in templis et mox Laribus domi, ubi omnia ad festam lætitiam parata sunt. *Linguis animisque favete*, εὐφημεῖτε, solennis in sacris formula, qua populus vel tacere jubebatur, vel fari verba bona, εὔφημα, boni ominis, ne, qui adessent, seu consulto seu temere, quid mali seu sinistri ominis dicerent, quo vel profanaretur res sacra, vel ejus vis infringeretur.[2] – Cicero de Divinat. lib. I, n. 102 : « Rebus divinis quæ publice fierent, ut faverent linguis, imperabatur. » Ed.

Not. 84. *Serta* vel coronæ, etiam frondes et infulæ, in magna, vel

---

[1] Conf. Anthol. Gr. VI, 21; Epigr. I; Artemid. Oneirocr. I, 23; Lucian. Hermot. c. 86 (δοκῶ δέ μοι οὐκ ἀλόγως ἂν καὶ ξυρήσασθαι τὴν κεφαλὴν, ὥσπερ οἱ ἐκ τῶν ναυαγιῶν ἀποσωθέντες ἐλεύθεροι); Petron. c. 63; Potteri Archæol. Gr. III, 20; IV, 5; Kirchman. de Fun. Rom. II, 14, et Jacobs. ad Antholog. Græc. vol. II, part. II, pag. 422.

[2] Conf. ad VI, 539; Casaub. ad Theoph. Char. XIX, 3; Mitscherl. ad Hor. III, 1, 2, 14, 11; Heyn. ad Tibull. II, 1, 84, 2, 1.

publica vel privata, lætitia, super postibus foribusque et templorum et ædium suspendebantur. [1] — *Farre*, hoc est, mola salsa, ex farre tosto et sale, *cultri*, frons victimæ et ignis seu focus adspergebantur.

Not. 85. *Ornate*, parate, vel potius coronate. — *Molles focos glebamque virentem*, hoc est, aram confectam e cespite molli ac virenti seu recenti (Conf. ad vs. 2, et Mitscherl. ad Horat. Od. I, 19, 13, ubi *vivus cespes* eodem sensu dicitur), non aram *molli* cinctam vitta, ut apud Virg. Ecl. VIII, 64.

Var. 86. *Quod restat*, 9 a m. sec. prob. H. Vales.

Not. 86. *Sacro*, *quod præstat*, quod præstantius et majus est, in Capitolio et majoribus Diis *peracto*. Conf. supra vs. 2—9. *Peracto rite*, bene et recte, ex legibus præscriptis, animo, loco ac tempore idoneo. — *Rite* vox sacrorum seu religiosa. [2]

Not. 87, 88. Poeta etiam domesticos placat deos : tanta ejus est lætitia, tantus amoris gratique animi affectus! Præclare autem *parva* Jovis Lariumque *simulacra*, *graciles coronas* et *fragili cera* de diis parvarum ædium. Conf. simil. loc. IX, 137, 138, ibique not. Eorum vero simulacra cur *nitent cera?* quia cerea erant? quod nusquam me legere memini. Nota Ach. est : videtur Lares magna parte cera confectos fuisse, unde eos Horat. Epod. II, 66, *renidentes* vocat. Nonnulli eam designari putant *ceram*, de qua vid. ad IX, 139, et X, 55. *Fragili cera*, flexibili, molli, ut apud Ovid. Met. XV, 169, vel potius de simulacris cereis, quæ facile franguntur.

Var. 89. *Hac*, 23.

Not. 89. *Hic*, domi, postquam Jovi Tarpeio vitulum mactavi (conf. supra vs. 6), *Jovem nostrum*, meum, domesticum (vid. ad IX, 137), *cujus parvum simulacrum* domi habeo, *placabo*, venerabor et ei satisfaciam, agens gratias et vota persolvens, ne irascatur, [3] vel potius *thura dans*. *Laribus paternis*, vid. ad VIII, 14.

Not. 90. *Jactabo*, spargam flores, inpr. *violas* (vid. Casaub. ad Pers. V, 182), et quidem *omnium*, quotquot sunt, *colorum*, nigram seu pullam (τὸ μελάνιον, seu κατ' ἐξοχὴν τὸ ἴον, *wilde*, *dunkle Märzviole*), albam (λευκόϊον, *helle Viole*, *Levkoje*) luteam (τὸ φλόγινον), pallentem, etc. [4]

[1] Conf. vs. 91, et ad VI, 51; IX, 85; Intpp. Virg. Æneid. II, 249; IV, 459; Homer. Iliad. α, 39; Toup. Opusc. tom. II, pag. 102, ed. Lips.

[2] Conf. Interpp. Horat. Od. I, 32, 16; IV, 4, 25, 6, 37; 15, 28.

[3] Conf. Interpp. Horat. Od. I, 36, 2, et III, 23, 3.

[4] Vid. Curtii Sprengelii Antiq. Botan. Spec. I, c. 1; Lips. 1798, et Voss. ad Virg. Eclog. II, 47; V, 38; X, 39.

VAR. 91. *Cuncta micent*, 10. *Uncta, nitens longos... operitur festa lucernis* conj. H. Vales.

ANAL. 91, 92. Jam omnia domi parata sunt ad festi diei lætitiam. — *Erexit janua ramos*, hoc est, rami, inpr. laurorum, erecti, suspensi sunt in janua; vid. ad vs. 84, et VI, 51, *longos ramos*, ut *grandi lauro ornetur janua*, VI, 79, ubi vid. not.

VAR. 92. *Operatur* restitui ex 10, 11, 12, 15—27, 45—50, 54, 55, 57—69, 71, 72, 73, 75, 76, 81, et omnibus MSS. Paris. Id vulgo ita interpretantur: *festa* janua *operatur* sacris, hoc est, rem sacram facit, vel janua mea *operatur festa*, celebrat festivitatem; *matutinis lucernis*, matutino die seu tempore. Bahrdt. vertit: *die Thüre feiert schon bei früher Lampen Licht.* Ego malim: *festa* janua *operatur*, operam dat, *lucernis matutinis*, hoc est, servi occupati sunt in lucernis ad januam suspendendis et matutino jam tempore accendendis. *Operari* est idem quod operam dare, verb. caus. sacris, textis, Musis, etc. vid. Heyn. ad Tibull. II, 1, 65; 3, 36, et ad Virg. Georg. I, 339; Bentl. et Jani ad Horat. Od. III, 14, 16. *Operantur*, 1 et 8, prob. Pithœo, qui vellem adjecisset rationem et h. loc. sententiam. Schol. vet. exponit, sacrificant. Equidem eodem sensu accipio: *operantur festa* (plur. pro sing.) *lucernis*, hoc est, festo hoc die jam mane parantur lucernæ. Præstiterit tamen *operitur*, hoc est, tegitur, vestitur (venuste de copia lucernarum, ut mox vs. 100. *Legitime fixis vestitur tota tabellis Porticus*), quod ex emendat. Lips. Elect. I, 3, repositum in 70, 77, 82, probb. Prat. Lubin. Grang. et Schurzfleisch. Ita et legitur in MSS. Scriver.

NOT. 92. Sacris festisque diebus, in omni publica privataque lætitia, ad januas ac fenestras, etiam medio die, catenulis suspendebantur *lucernæ*, lampades, cerei, funalia accensa; unde *festa janua*, et forte non sine sale acerbo *matutinis*, tanquam claro die opus esset alia luce. [1] — *Operatur*; vid. supra Var. Lect.

NOT. 93 seq. Subita aptaque transitione ad alterum idque primarium Satiræ argumentum progreditur poeta arripitque occasionem sibi oblatam heredipetas perstringendi. — *Suspecta*, quasi non profecta ex animo in amicum benevolo et vera lætitia, sed ex studio captandæ hereditatis.

VAR. 95. *Neu* conj. Schrader.

NOT. 95 seq. Καινὴν γάρ τινα ταύτην τέχνην ἐπινενοήκατε, γραῶν καὶ γερόντων ἐρῶντες, καὶ μάλιστα εἰ ἄτεκνοι εἶεν· οἱ δὲ ἔντεκνοι ὑμῖν ἀνέραστοι, Lucian. Dialog. Mort. VI, 3. — *Libet exspectare*, exspectet aliquis, vel

[1] Conf. Lips. Elect. I, 3, et ad Tac. Ann. III. 9 (ubi de redeuntis Pisonis domo agitur); Casaub. ad Pers. V, 180, 181; Grot. ad Capellam, pag. 31, Ferrar. de Lucern. sepulchr. pag. 5; Sagittar. de Jan. vett. c. 32.

frustra exspectabo donec reperiatur, qui, etc. (Germ. *darnach warte einer*, vel, *den mögt' ich sehen.*)

Not. 96. Bene non modo *gallinam* dixit poeta, sed et *ægram* atque *oculos claudentem*, moribundam. *Impendat*,-mactet, ut dono eam mittat vel pro salute amici sacrificet diis; de quo vid. ad XIII, 233. — *Amico tam sterili*, a quo tam parum emolumenti speres, qui tam exiguam fructus spem præbeat, quum tres habeat filios; vid. ad VII, 49. Alii *sterilem amicum* εἰρωνικῶς dici putant.

Var. 98. *Cadat*, 22. — *Dolorem*, 22. *Colorem*, 73, 77.

Not. 98. Ne vilis quidem avicula *pro patre*, pro eo cui liberi sunt, *cadet*, mactabitur.[1] — *Coturnix* autem h. loc. pro vilissima ave: de quo vid. Bochart. Hieroz. part. II, lib. I, cap. 15, et Varr. R. R. III, 5, 17; Plin. X, 23, seu 33: «Coturnicibus, inquit, veneni semen gratissimus cibus: quam ob caussam eas damnavere mensæ; simulque comitialem propter morbum despui suetum, quem solæ animalium sentiunt, præter hominem.» (ad quæ verba vid. Harduin.) Idem Plinius paullo ante dixerat, coturnices sæpe volando fessas tanta in naves incidere copia, ut eas pondere suo demergant. Sed vilitas coturnicum non tam ab ingenti, quæ Romæ fuerit, harum avium multitudine, quam ab illis caussis, a Plinio memoratis, repetenda. — *Calorem*, æstum febris, ut apud Tibull. IV, 11, 2, ubi vid. Heyn.

Var. 99. *Gallitta*, 17. *Gallica*, 46, 48, 49. — *Pactius*, 25, 57, 58, 60, 64. *Patius*, 21. *Poeticus*, 22. *Pictius* 17. — *Orbus* 16.

Not. 99—120. Si *Gallita* et *Paccius*, hoc est, divites iidemque *orbi*, vel levi tentantur morbo; captatores reverentiam iis amoremque votis pro salute eorum susceptis probare certant, ut ab illis, talibus officiis delenitis, si ex morbo convalescant, heredes scribantur. *Paccius*, vid. supra ad VII, 12, in Var. Lect.

Var. 100. *Fraxis*, 22. — *Libellis*, 2, 3, 4, 7, 10, 11, 15, 17, 19—22, 29, 45, omnesque Codd. Paris. quod magis satiricum videbatur Schurzfl. ut poeta dicat, non tabellas amplius, sed totos libros in porticibus templorum fixos delubraque quasi iis vestita esse. Hinc et vet. Schol. in Cod. Schurzfl. *Ironia: tabulis longis*. Eamdem lectionem revocavit Ach. adjecta hac nota: *libellis* scil. supplicibus, preces et vota continentibus, templorum parietibus et statuis deorum affixis, appensis.

Not. 100. *Legitime*, rite et ordine. — *Fixis*, suspensis, in parietibus. — *Vestitur*, bene de copia et ornatu. — *Tabellis* votivis, quæ vota continebant suscipienda, et in *porticibus* atriisque ædium ac templorum, vel aliis

[1] Ut apud Tibull. I, 1, 23; IV, 1, 15; Horat. Od. III, 18, 5.

locis publicis figebantur, ut omnes voti essent conscii. « Non defuerunt, qui depugnaturos se armis pro salute ægri Caii, quique capita sua titulo præposito voverent, » Suet. Calig. c. 14, ubi vid. Ernesti. Conf. Var. Lection.

Var. 101. *Promittunt*, 10, 11, 17—20, 25, 27, 45—50, 54—60, 64, 66, et plerique Codd. Paris. Sed nostra lectio auribus gratior est, et vera latinitas postulat ut formulam loquendi *sunt*, vel *exsistunt* et *inveniuntur*, *qui* conjunctivus excipiat. Conf. Ernesti ad Cic. Off. I, 2, n. 17, et c. 20, extr. c. 24, pr. Fin. I, 20. al.

Not. 101. Ἑκατόμβη, sacrificium, propr. centum boum,[1] sed et ovium, caprarum, etc. — *Promittant*, diis voveant pro salute ægrorum.

Var. 102. *Quatinus* multæ edd. etiam Hennin. Sed argutantur vett. Grammatici, qui contendunt, *quatenus* esse adverbium, quod *quo fine*, et *quatinus* conjunctionem, quæ *quoniam* significet. Nullum esse discrimen, nisi in scriptura, ut in *protenus* et *protinus*, scripturamque per *e* antiquiorem esse, docent Jani ad Horat. Od. III, 24, 30; Cellar. Orthogr. Latin. tom. II, pag. 48, ed. Harles. et Casaub. ad Suet. Claud. 26. Ceterum legendum crediderim: *Quatenus hic non sunt res venales elephanti, Nec Latio. Haud usquam.... concipitur; sed furva a gente petita* (nisi malis *petitum*..... *armentum*) *Arboribus*, etc. — *Hi* pro *hic*, 15. — *Elephantes*, 27, 46, 47, 48, 50, 54, 58, 61, 63, 65—68, 71, 73. *Elephantis*, 45, 49, 55.

Anal. 102—114. Elephantos voverent heredipetæ, si *hic*, Romæ, vel in *Latio* nascerentur. Apta sententia, cujus tamen vis infringitur intempestiva doctrina. Conf. Var. Lect.

Var. 103. *Haut usquam*, 11. *Haud usquam*, 47, 48, 49, 54, 59, 60, 64, 65, prob. Schurzfl. *Aut numquam*, 15, 16. — *Nostro sub sidere* pro *sub nostro sidere* revocavi ex 10, 61, 62, 63, 65—69, 71, 72, 73.

Not. 103. *Nostro sub sidere*, cælo ejusque vertice, climate (ut contra *terras alio calentes sole* dixit Hor. Od. II, 16, 18), non *concipitur*, nascitur; vid. tamen Colum. III, 8, 3, et Pigh. ad Valer. pag. 801.

Var. 104. *Belua*, non *Bellua*, 17, 18, 20, 45—50, 59, 60, 64; vid. ad IV, 122. — *Fulva*, 11. — Punctum post *petita* ponendum monet Ach. Sed in nostra quoque distinct. voc. *petita* referendum ad præc. *belua*, et hæc per apposit. ut vulgo dicunt, vocatur *Cæsaris armentum*.

Not. 104. *Furva*, nigra, a *gente*, ab Indis, Mauris, Æthiopibus; vid. ad XI, 125, 126. De voce *furvus* copiose disputavit Heins. ad Ovid. Metam. III, 273.

[1] Vid. Sophocl. Trachin. vs. 762, ibique Hœpfner, et *Larcher* ad Herodot. I, not. 107.

Nor. 105. *Arboribus Rutulis et Turni agro*, in saltibus agrisque Rutulorum, quorum rex olim Turnus fuit, et metropolis Ardea, *pascitur*, ut et in agro Tiburtino (vid. Martial IV, 62, et VII, 12), in quem vetulos elephantos de armento Imperatorum actos putabat H. Vales., ut eorum dentes ibi pristino candori restituerentur cæli solique beneficio.

Nor. 106. Elephanti sunt *armentum Cæsaris*, non a *privatis* hominibus ali possunt, sed a solis Imperatoribus, qui hæc animalia, quorum usus olim in bellis erat (vid. 107 seq.), nunc ad voluptatem et spectacula, ludorumve Circensium pompam adhibent.[1] — *Privato*, vid. ad VI, 114.

Var. 107. *Tyrio siquidem*, 22. — *Servire* pro *parere*, 11, 16, 21 a m. sec. 61, 62, 63, 66—69, 71—74, probante Schurzfleisch. qui tamen mihi non persuasit, veteris elegantiæ esse, idem verbum bis ponere. — *Solebat*, 16, 21, 21, 23.

Nor. 108 seq. *Siquidem majores horum* elephantorum, qui nunc a Cæsaribus voluptatis et spectaculorum caussa aluntur, *parere solebant Hannibali Tyrio*, cujus patria fuit Carthago, colonia Tyriorum, *et nostris ducibus*, Romanis, qui eos non modo in triumpho duxerunt (vid. Plin. VIII, 6, ibique interpp.), sed illis etiam in bello usi sunt, verb. caus. L. Scipio apud Appian. Bell. civ. II, 96. — *Regi Molosso*, Pyrrho, Epirotarum regi, in cujus *bello elephantos Italia primum vidit, et boves Lucas appellavit, in Lucanis visos ann. Urb. CCCCLXXII*, Plin. VIII, 6. *Molossi*, gens Epiri.

Var. 109. *Et dorso*, 10, 16, 18, 19, 20, 22—27, 45—50, 54—69, 71—74. *Et dorso ferre cohortis Partem aliquam bellis* (hoc est, in præliis vel in prælia) legendum arbitrabatur H. Vales.

Var. 110. *Belllique*, 9 a m. sec. et 23, haud dubie hiatus vitandi caussa. At vid. ad I, 151. — *Turmam* pro *turrim*, 10, 11, 15, 18, 19 a m. sec. 20, a m. sec. 22, 23, 25, 45—50, 54—69, 71—74, 77. *Turbam*, 2, 4, 7, 16, 17, 19 a m. pr. 21, 24, 27. Utrumque etiam exhibent omnes Codd. Paris. præter Putean.

Var. 111. *Phonium*, 16. — *Histrum* restitui ex 10, 11, 12, 17, 18, 21, 45—50, 54, 55, 57, 58, 64, 66, 67, 71—74, quoniam et supra II, 58, in omnibus fere libris legitur *Hister*, quod ejusdem viri nomen esse videtur. *Istrum*, 19, 20, 23, 24, 25, 56, 59, 60, 65, 68. *Istram*, 14, 15, 16, 22, 27, 61, 62, 63, 65 (Paris. 1512), 69, 70, 75, 76, 77, 81, 82.

[1] Vid. Plin. VIII, 2, et 7; Sueton. Cæs. 37; Fabric. ad Dion. XLIX, pag. 574, 23; Spanhem. de usu et pr. num. tom. I, pag. 170, 720, et Jacobs. ad Anthol. Gr. vol. II, part. II, pag. 169.

Not. 111. *Nulla mora per Novium* (vid. ad VI, 333) scil. foret, si Romæ et in Italia elephantorum copia esset. *Novius* et *Pacuvius* heredipetæ tunc temporis famosi. De hoc conf. II, 58 seq.

Not. 112. *Ebur*, elephas; *ducatur ad aras;* vid. ad vs. 3.

Var. 113. *Galittæ*, 17, 18. *Gallites*, 22. *Gallillæ*, 66. *Gallicæ*, 45, 48. *Gallinæ*, 61, 62, 63, 67. — *Victima sacra*, 10, 15—27, 45—50, 54—69, 71—74, et XXX MSS. Paris. Non male : nam *sacra* poetis etiam dicuntur, quæ vel magna, vel admirabilia, vel præclara sunt: ut et ἱερὰ ac δῖα, apud Homer. Iliad. α, 141, 366; β, 535; δ, 416; λ, 194; ρ, 464, et al. Conf. ad Sil. VII, 9. Hinc etiam *sacra* revocavit Ach. Sed major vis inest τῷ *sola*, modo post *Gallitæ* comma ponatur, non post *sola*, et sensus h. loc. sit : quæ *victima sola tantis deis digna* est. Hinc vulgarem distinctionem mutavi. *Sola* exstat in 1, 8, 11—14, 70, 75—82, et V MSS. Paris. in quibus est Putean. et Thuan. I.

Not. 113. *Gallitæ*, ut vs. 99. Quæ *victima sola* est *digna tantis deis*, Laribus Gallitæ, ditissimæ matronæ; vel potius hominibus, tam divitibus et orbis, qui a *captatoribus* non solum divino coluntur honore, sed etiam *tanti* illis videntur *dii*, ut elephanti iis sacrificandi sint, non vulgares victimæ. Ita egregie ingenium et mores *captatorum*, seu heredipetarum adumbrantur : cui picturæ mox etiam vividiores fortioresque inducuntur colores vs. 115—120. — *Alter enim*, Pacuvius (quod ex vs. 128 intelligitur), ne illud mireris, pro salute ægri hominis, qui orbus et ditissimus est, *corpora servorum*, etc. hoc est, *servos* atque *ancillas*, quin et liberos *voveret, si concederes*, si per leges liceret, *mactare* horum *corpora*, sacrificia humana. Quæ sacrificia non tam ad opinionem antiquitatis, mortem morte redimi posse, quam ad divinum honorem hominibus præstandum et mitigationem iræ deorum, spectant.

Var. 116. *Et* pro *aut*, 10, 11, 12, 15—20, 22, 25, 27, 45—50, 54—63, 65—69, 71—74.

Var. 117. *Vel frontibus*, 15. Vox *pueris* languet et importuna est, quia modo *servorum* mentio facta eademque sententia bis expressa est. Legendum puto: *nec pueris et frontibus ancillarum Imponet vittas; sed si qua est*, etc. hoc est, non modo servis, sed etiam filiæ.

Var. 118. *Imponat*, 16.

Not. 118. *Frontibus ancillarum Imponet vittas*, tanquam victimarum, quæ vittis circum tempora ornatæ immolantur. Sic de Sinone aræ destinato Virg. Æneid. II, 129, 133.

. . . . Mihi sacra parari,
Et salsæ fruges, et circum tempora vittæ. Ed.

Not. 118, 119. Filiam adeo, si qua ei est, eamque jam *nubilem* (quo scelus augetur), sacrificabit pro salute ægri, quemadmodum olim Agamemnon, quum cervam Dianæ sacram fixisset, et tempestas, ira Deæ im-

missa, classem Græcam in Aulide retineret, Calchantis consilio, ut iratam deam placaret, ei immolandam statuit *Iphigeniam*, filiam suam, natu maximam; quam tamen Diana, *cerva* pro ea substituta et caligine sacrificantibus objecta, in terram Tauricam per nubes detulit ibique templi sui sacerdotem fecit. Fabula notissima ex Euripid. Iphigen. in Aulid. et in Taurid. Hygin. fab. 98, al. et varie olim tractata : nam alii Iphigeniam vere immolatam tradunt; alii loco cervæ substituunt ursam, vel anum, vel juvencam, vel bovem, etc. [1] — *Iphigenia*, vid. ad vs. 127.

NOT. 120. Etsi non sperandum sit heredipetæ, filiam suam ope divina servatum iri, quod contigisse Iphigeniæ, *cerva* ei supposita, *tragici* poetæ fabulantur. *Cerva* fuit *piaculum*, sacrificium expiandi sceleris iræque mitigandæ caussa Dianæ factum, et quidem *furtivum*, quia furtim vel insciis Græcis cerva pro ipsa Iphigenia fuit substituta : eadem *tragica* dicitur, quoniam ex ingenio tragicorum poetarum profecta est. Facetissimo itaque sale et artes heredipetarum et poetarum figmenta notantur.

VAR. 121 *Testamentis*, 77.

ANAL. 121—127. Etiam hi versus pleni facetiarum. — *Laudo civem meum*, Pacuvius mihi multo sapientior Agamemnone ejusque consilium magis, quam hujus, laudandum videtur, et salutem divitis orbi, ob *testamentum*, vel amplæ hereditatis spem, pro qua vel filiam immolare haud dubitat, multum puto præferendam esse saluti *mille* navium, hoc est, classis Græcorum, pro qua Iphigenia est mactata : nam si dives convaluerit ex morbo, testamentum forte mutabit et Pacuvium ex asse scribet heredem, summo ejus amore devinctus, vel existimans adeo salutem suam ac valetudinem illius votis et sacrificiis tribuendam esse.

NOT. 122. *Mille rates*, seu naves Græcorum Trojam profectas esse poetæ memorant, certo numero pro incerto posito (vid. ad Sil. III, 229, et Heyn. ad Virg. Æneid. II, 198). — *Libitinam evadere*, ut *Libitinam vitare* apud Horat. Od. III, 30, 7, pro, mortem effugere. Nam Venus Libitina funerum dea apud Romanos, in cujus templo apparatum funebrem servabant ejus redemptores, vel curatores funerum, qui *Libitinarii* inde dicti sunt.

VAR. 123. *Nassæ*, 2, et *Nattæ*, 4, 11, in quibus omnium scholion vetus legitur : *Nassa*, seu *Natta physicus*, *qui infirmos domunculis suis inclusos curabat.* Sed vulgata lectio multo venustior est, et illud medici nomen Scholiastarum ingenio effictum. *Nattæ* etiam exstat in IV MSS. Paris.



[1] Conf. Tzetz. ad Lycophr. vs. 183, Heyn. ad Virg. Æneid. II, 116; Heins. et Burm. ad Ovid. Met. XII, 34.

Not. 123. *Delebit tabulas* testamenti, in quibus alios scripserat heredes. — *Inclusus carcere nassæ* venuste dicitur dives et orbus, qui *mirandis meritis*, officiis, votis ac sacrificiis, ab heredipeta irretitus et devinctus capitur, velut piscis in nassa. — *Nassa*, κύρτος (Oppian. Ἁλιευτ. III, 85, et 341 seq.), ἐκ σχοίνων λαβύρινθοι (Theocr. XXI, 11), calathus vimineus angusti colli, quo quum intravit piscis, exire non potest. Ea γραφικῶς describitur in loc. sim. et class. Sil. V, 47 seq. ubi vid. not. Conf. Cic. ad Att. XV, 20; Plaut. Mil. II, 6, 98, et loca scriptorum, in quibus similis est metaphora, a captura piscium desumpta, Plaut. Truc. I, 1, 21, 22, et Curc. III, 61; Martial. VI, 63, 5, 6; Horat. Satir. II, 5, 44; Epist. I, 1, 79, et, qui de eadem re agit, Lucian. in Tim. § 22 : Οἷος αὐτοὺς ὁ θύννος ἐκ μυχοῦ τῆς σαγήνης διέφυγεν, οὐκ ὀλίγον τὸ δέλεαρ καταπιὼν, in Dial. Mort. VI, 4. Ὁ δὲ, τοσοῦτόν μοι δέλεαρ καταπιὼν, ἐφειστήκει θαπτομένῳ πρώην ἐπιγελῶν, in Dial. Mort. X. Νῦν Ἑρμόλαος ἔχει τὰ ἐμὰ, ὥσπερ τις λάβραξ καὶ τὸ ἄγκιστρον τῷ δελέατι συγκατασπάσας, in Hermotimo, cap. 59. Ὡς ὀλισθηρὸς εἶ καὶ διαδιδράσκεις ἐκ τῶν χειρῶν, ἀλλ' οἰόμενος ἐκπεφευγέναι ἐς τὸν αὐτὸν κύρτον ἐμπέπτωκας.

Not. 125. *Forsan* non sine vi dictum : innuit enim, incertam hominis spem esse, adeoque improbiora ejus vota, sacrificia et cupiditatem. *Breviter :* nam paucis tantum verbis opus est in testamentis, quibus heredes ex asse scribuntur, nec plura in iis memorantur heredum nomina vel legata. Conf. ad I, 68.

Var. 126. *Incedit*, 15, 21, 22. — *Vide*, 27, 47, 48, 58, 66.

Not. 126. Præclare de simili re Lucian. in Timone § 22. Ἐκεῖνος μὲν, ὅςτις ἄν ᾖ ποτὲ, ἁρπασάμενός με (sc. Plutum, hoc est, divitias) αὐτῇ δέλτῳ, θέει φέρων ἀντὶ τοῦ τέως Πυῤῥίου, ἢ Δρόμωνος, ἢ Τιβίου, Μεγακλῆς, ἢ Μεγάβυζος, ἢ Πρώταρχος μετονομασθεὶς, τοὺς μάτην κεχηνότας ἐκείνους εἰς ἀλλήλους ἀποβλέποντας καταλιπὼν, ἀληθὲς ἄγοντας τὸ πένθος, etc. — *Rivalibus*, aliis heredipetis, eamdem hereditatem captantibus. — *Incedere* aptum h. loc. verbum, quod superbiæ seu ostentationis et gravitatis vim passim habet; vid. ad Tac. Ann. IV, 23, 5, ad Liv. I, 26, 9. Cort. ad Sall. Jug. 31, et intpp. Virg. Æneid. I, 46.

Not. 127. *Jugulata Mycenis*, Iphigenia (a patria sic dicta, ut apud Ovid. Met. XII, 34), hoc est, immolatio filiæ. Nam *Mycenis* h. loc. filia Pacuvii (altera quasi Iphigenia vel ei similis), ut supra vs. 119. *Iphigenia*, quoniam pro salute ægri divitisque hominis, ut vera Iphigenia pro salute Græcorum, immolatur.

Anal. 128—130. Poeta, qui ridendo dixerat verum, nunc cum summa indignatione Pacuvio eique similibus heredipetis dira imprecatur, vitam longissimam, et, qualis avarorum esse solet, miserrimam : quid enim tristius esse potest, quam ex divitiis, iisque inhoneste partis, nullam percipere voluptatem et per longam vitam omnibus æque ac sibi ipsi gravem esse atque odiosum? Imprecatio tamen hæc non tam ab indignatione,

quam ab ironia et sarcasmo petita videtur Ach. — *Vivat vel Nestora totum*, hoc est, totam Nestoris ætatem.[1]

Not. 129. *Quantum rapuerit Nero* docent Xiphilinus, Suet. Ner. c. 26, 32, et alii. — *Montibus aurum*, auri cumulum, *exæquet*, ut apud Valer. Max. II, 9 : « Partarum rerum æquatus cælo cumulus sedem stabilem non habebit. »

Not. 130. Conf. Ovid. in Ibin vs. 115 seq.



[1] Conf. Martial. X, 24, 11 (*post hunc Nestora*); X, 48, 4 (*immodico Nerone calet*, hoc est, thermis Neronianis); XI, 12, 5 (*Mentora frangis*, id est, toreuma Mentoreum); Heinsium ad Ovidii Metamorphoseon lib. XII, vs. 188, et de Neronis æstate supra ad X, 246.



D. JUNII JUVENALIS

AQUINATIS

SATIRARUM

LIBER QUINTUS.

D. JUNII JUVENALIS

AQUINATIS

SATIRARUM

LIBER QUINTUS,

CUM INTERPRETATIONE LATINA,

VARIIS LECTIONIBUS,

ET SELECTISSIMIS OMNIUM COMMENTARIIS.

SATIRÆ DECIMÆ TERTIÆ

ARGUMENTUM.

Mens cruciat pravos, sapiens fert damna modeste.

(Ita pro vulg. *Mors cruciat pravos* legitur in 19, 27, al. et sic jam correxerat Lips. Epist. Quæst. IV, 15).

SCELERA TANDEM PUNITA. — DE FRAUDIBUS AD GABINIUM, CUJUS AMICUS ABNEGAVERAT DEPOSITUM.
— IN FRAUDULENTOS. — AD CALVINUM CONTRA ILLOS, QUI DE AMISSIONE TEMPORALIUM NIMIS DOCENT.

Calvinum, cum gemitu et luctu querentem de perfidia amici, qui depositum (decem sestertia) abnegaverat, consolaturus poeta, ipso statim principio, vs. 1—12, breviter recenset inculcatque solatia, quæ deinde (vs. 13—249) uberius planiusque persequitur, docens, (*a*) non tenuem Calvino censum, ideoque damnum, quod passus sit, mediocre esse et æquo ferendum animo (vs. 7, 8, 13—

16); (β) tale flagitium non rarum esse inde ab Saturni ævo, neque viro jam sexagenario longoque rerum usu imbuto, miraculo debere esse, his præsertim temporibus, quibus multo graviora quotidie committantur, et egregius sanctusve homo monstro portentoque similis sit (vs. 16—74 et 120—173); hanc vero improbitatem summamque, qua nunc pejeretur, audaciam minime miram videri propter perversas de diis opiniones ineptamque theologiam, quæ contemptum gignat divini numinis efficiatque, ut alii omnino negent deos esse, qui res humanas curent, alii pœnas iis solvere malint, quam perjuriorum flagitiorumque fructu carere, alii denique spem impunitatis inde concipiant, quod lenta deorum ira ipsique exorabiles sint, et quod ille crucem pretium sceleris tulerit, hic diadema (vs. 75—119); (γ) damna et injurias suppliciis improborum, vel ira ac vindicta non sarciri, et ultionem minuti atque infirmi animi, ideoque maxime feminarum, non virorum, minimeque philosophorum, voluptatem esse (vs. 174—192); (δ) improbos mala conscientia, quæ pœna sit omnium gravissima, cruciari, et *nocte dieque suum gestare in pectore testem;* hinc iis cibum inter dentes crescere, vina displicere vetera, somnos breves ac turbidos esse, minima tonitrua fulguraque pavorem incutere, et quemcumque morbum ab infesto Numine immissum videri (vs. 192—235); (ε) malos homines, libidini indulgentes, sensim adsiscere consuetudinem peccandi, et sic plerumque serius aut citius pœnas dare (vs. 236—249).



SATIRÆ DECIMÆ TERTIÆ

ANALYSIS.

Satira egregia et plena salis sententiarumque gravissimarum. Consolationis etiam monumenta proponit exquisitissima, et ad vulnus Calvini sanandum efficacissima. Eadem aptissima quoque est ingenio satirico. Neque enim poeta eidem indulget dolori, nec molli affectu insinuat se in tristem amici animum, sed acriter objurgat eum, quod, quum vir idemque dives ac jam senex sit, et perditis vivat temporibus, non viriliter levem ferat jacturam, sed muliebriter ingemiscat, vel vindictæ ardeat cupiditate, qua res amissæ non reparentur, neque reputet videatque, aliis multo acerbiora, quam ipsi, accidisse. Inde occasionem petit, corruptos seculi sui mores, a priscis valde diversos, ineptamque theologiam, tanquam præcipuam improbitatis caussam, notandi. — Neque tamen dissimulo, quæ severo judici in hac satira displicere possint, et nævi sint corpori egregio inspersi. Primum enim gravissimarum vis sententiarum passim (vs. 23 seq. 40 seq. 62 seq. 162 seq.) ostentatione artis, et intempestiva doctrina ac frigida declamatione infringitur. Deinde ingrata est earumdem fere rerum sententiarumque repetitio vs. 19 seq. et 120 seq. vs. 23 seq. et 126 seq. Præterea ordo rerum dicendarum nonnunquam perturbatur, e. g. vs. 199 seq. ubi historia Glauci parum commode imagini malæ conscientiæ (vs. 192—235) inseritur; vs. 75—119, ubi descriptioni corruptelæ morum scelerumque Romæ vigentium (vs. 16—173) eorum origo et caussæ inculcantur, quæ ei potius subjungendæ erant; vs. 120—173, quibus poeta non nova quæ promittit solatia affert, sed telam potius vs. 23—74 textam, et vs. 75—119 abruptam retexit. Denique dispositio carminis et œconomia parum probanda videtur: nam initio (vs. 1—12) totum ejus argumentum omniaque solatia in epitomen quasi re-

dacta exhibentur, et deinde copiosa exornantur oratione; quæ ratio rhetorem magis decet, quam poetam satiricum. Eadem tamen Juvenalis etiam sequutus est in Satira decima. — De tempore, quo hæc Satira videatur scripta esse, vid. Commentarium ad vs. 16, 17, et 157.

SATIRA DECIMA TERTIA.

Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi
Displicet auctori : prima est hæc ultio, quod se
Judice nemo nocens absolvitur, improba quamvis
Gratia fallaci prætoris vicerit urna.
Quid sentire putas omnes, Calvine, recenti
De scelere et fidei violatæ crimine? sed nec
Tam tenuis census tibi contigit, ut mediocris
Jacturæ te mergat onus; nec rara videmus,
Quæ pateris : casus multis hic cognitus, ac jam
Tritus, et e medio Fortunæ ductus acervo.
Ponamus nimios gemitus : flagrantior æquo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere major.
Tu quamvis levium minimam exiguamque malorum

SATIRÆ DECIMÆ TERTIÆ INTERPRETATIO.

1. Quidquid contra leges et in malum exemplum committitur, illi, a quo admissum est, dolorem ac pudorem incutit. Primum hoc supplicium ob sua flagitia rependunt scelerati, ut nulli suo ipsorum judicio et conscientia non condemnentur, licet iniqua judicis sententia et corrupti suffragii urna sint absoluti. Illum autem, qui depositam apud se pecuniam, et suæ fidei a te, Calvine, concreditam per immanem perfidiam nuper abjuravit, nonne vides ab omnibus etiam condemnari, tanquam perjurum et impium? Neque vero est adeo tibi angusta res familiaris, ut levi ejus generis jactura damnoque parvo sis ad egestatem redigendus : neque infrequens illud infortunium tuum est, sed multis evenire solitum, ac sumptum e medio veluti acervo calamitatum, quibus vexare mortales quotidie Fortuna solet. Itaque noli plus æquo indulgere mœrori; homo gravis et constans dejici dolore non debet, nec vehementius, quam res ipsa poscat, afflictari. Pudeat te, quod

Particulam vix ferre potes, spumantibus ardens
Visceribus, sacrum tibi quod non reddat amicus
Depositum : stupet hæc, qui jam post terga reliquit
Sexaginta annos, Fonteio consule natus?
An nihil in melius tot rerum proficis usu?
Magna quidem, sacris quæ dat præcepta libellis
Victrix Fortunæ Sapientia : ducimus autem
Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitæ,
Nec jactare jugum, vita didicere magistra.
Quæ tam festa dies, ut cesset prodere furem,
Perfidiam, fraudes, atque omni ex crimine lucrum
Quæsitum, et partos gladio vel pyxide numos?
Rari quippe boni : numerus vix est totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.
Nona ætas agitur, pejoraque sæcula ferri
Temporibus, quorum sceleri non invenit ipsa
Nomen, et a nullo posuit Natura metallo.

exigui ac levis mali particulam tolerare nequeas, et furentis in morem animo excandescas, ob fraudem amici depositum tibi restituere negantis, quod sancte custodiendum ab eo et reddendum erat. Miraris hoc scilicet, tu homo sexagenarius, et editus in lucem quo tempore Fonteius consulatum gerebat! Nihilne tandem didicisti ac profecisti ad casus adversos levius ferendos tam longa experientia? Magnam quidem vim habent philosophiæ præcepta, quæ in sapientum libris exstant, ac docent, quo pacto vincere Fortunam possimus; nec minorem tamen ad beate vivendum facultatem dat ipsa vitæ quotidianæ consuetudo et rerum usus, quum perferendo ærumnarum jugo nos assuefacit, et ad hanc patientiæ disciplinam magister erudit.

23. Age, quem dabis mihi diem tam sacrum, tam festum, quin aliquis in eo deprehendatur perfidus, fraudulentus, fur, omne criminum genus lucri caussa susceptum, et opes ferro aut veneno partæ! Exiguus nempe numerus proborum est. Vix tot sunt, quot urbis Thebanæ portæ, vel ostia Nili, qui ditat Ægyptum. Sæculum nostrum ferreo illo sæculo deterius est, neque ullum habet metallum natura, quo nonæ hujus ætatis improbitatem designet. Et nos

Nos hominum divumque fidem clamore ciemus,
Quanto Fæsidium laudat vocalis agentem
Sportula. Dic senior bulla dignissime, nescis,
Quas habeat Veneres aliena pecunia? nescis,
Quem tua simplicitas risum vulgò moveat, quum
Exigis a quoquam, ne pejeret, et putet ullis
Esse aliquod numen templis aræque rubenti?
Quondam hoc indigenæ vivebant more, priusquam
Sumeret agrestem posito diademate falcem
Saturnus fugiens; tunc, quum virguncula Juno,
Et privatus adhuc Idæis Jupiter antris.
Nulla super nubes convivia Cælicolarum,
Nec puer Iliacus, formosa nec Herculis uxor
Ad cyathos, et jam siccato nectare tergens
Brachia Vulcanus Liparæa nigra taberna.
Prandebat sibi quisque Deus; nec turba Deorum
Talis, ut est hodie, contentaque sidera paucis

tamen Superum hominumque fidem imploramus clamore tanto, quantum edere solent venales Fæsidii clientes, quum illi verba in foro facienti applaudunt. Ignoras scilicet, o bone senex, et digne cui appendatur, ut pueris, e collo bulla, ignoras, inquam, quas aliena pecunia illecebras habeat, et quo risu simplicitatem tuam homines prosequantur, quum a quopiam postulas, ne falsum jusjurandum dicat, et inesse credat aliquam vim divinam templis et altaribus victimarum sanguine infectis. Hæc sane probitas, hi mores erant usitati apud primos Italiæ incolas, antequam Saturnus regno pulsus, et Jovem fugiens, pro sceptro falcem messoriam acciperet; quum puella Juno; quum Jupiter, nondum rerum potitus, privatam in aliqua montis Idæ spelunca vitam degeret; quum nullas in cælo communes solemniter epulas Superi celebrarent, necdum Ganymedes, filius Trois, aut Hebe, formosa Herculis uxor, miscerent illis pocula; nec e furvis Liparæarum insularum antris progressus Vulcanus ad cælestes illas epulas, multo nectare hausto, labra humentia brachiis nigris abstergeret : unusquisque deorum domi suæ privatim cœnabat : non tam numerosum erat cælicolarum uti modo est, agmen; et orbis sidereus paucis

Numinibus miserum urgebant Atlanta minori
Pondere: nondum aliquis sortitus triste profundi
Imperium, aut Sicula torvus cum conjuge Pluton;
Nec rota, nec Furiæ, nec saxum, aut vulturis atri
Pœna; sed infernis hilares sine regibus umbræ.
  Improbitas illo fuit admirabilis ævo.
Credebant hoc grande nefas et morte piandum,
Si juvenis vetulo non adsurrexerat, et si
Barbato cuicumque puer, licet ipse videret
Plura domi fraga, et majores glandis acervos.
Tam venerabile erat, præcedere quatuor annis,
Primaque par adeo sacræ lanugo senectæ!
Nunc, si depositum non inficietur amicus,
Si reddat veterem cum tota ærugine follem,
Prodigiosa fides et Tuscis digna libellis,
Quæque coronata lustrari debeat agna.

diis habitantibus contentus, leviori pondere Atlantem, nunc miserum, premebat: nondum ex illis unus regna profundi maris et propter procellas tristis gubernanda ductis sortibus acceperat; non trux Pluto cum Proserpina uxore umbras terrebat, neque ulla rotæ Ixioneæ, Furiarum, Sisyphiæ rupis, et diri vulturis mentio; sed læti, nullo rege, Manes suo arbitratu ætatem agebant.

53. Aurea illa ætate, portenti simile quidpiam erat, si quis nequam et flagitiosus foret: immane tunc scelus et capitali pœna plectendum censebatur, si adolescens venienti seni, aut puer adolescenti barbato, honorem assurgendo non testaretur, quamvis esset ditior, et majorem domi suæ copiam fragorum, glandisque conspiceret. Tantam apud eos venerationem obtinebat ætas quatuor duntaxat annis provectior! ita succrescens primum barba eodem colebatur tunc honore, quo senectus sancta apud nos afficitur! Nunc si depositam pecuniam amicus non deneget, crumenamque cum nummis ob vetustatem rubigine ac situ detritis restituat, portentosa illa prædicatur esse fidelitas, et digna quæ cum ceteris prodigiis in libros Etruscorum haruspicum referatur, immo quæ instar inauditi monstri certis sacrificiis, ut agna floribus coronata,

Egregium sanctumque virum si cerno, bimembri
Hoc monstrum puero, aut miranti sub aratro
Piscibus inventis, et fetæ comparo mulæ,
Sollicitus, tamquam lapides effuderit imber,
Examenve apium longa consederit uva
Culmine delubri, tamquam in mare fluxerit amnis
Gurgitibus miris et lactis vortice torrens.
  Intercepta decem quereris sestertia fraude
Sacrilega? Quid, si bis centum perdidit alter
Hoc arcana modo? majorem tertius illa
Summam, quam patulæ vix ceperat angulus arcæ?
Tam facile et pronum est superos contemnere testes,
Si mortalis idem nemo sciat! Adspice quanta
Voce neget? quæ sit ficti constantia vultus?
Per Solis radios, Tarpeiaque fulmina jurat,
Et Martis frameam, et Cirrhæi spicula vatis,
Per calamos venatricis pharetramque Puellæ,

expietur. Ego quidem, quum virum hac virtute et fide præditum intueor, videre mihi videor infantem membris partim ferinis constantem, aut pisces ab attonito agricola in agro quem arat inventos, aut mulam gravidam: nec minus rei novitate perturbor, quam si pluisset lapidibus, aut apum examen, instar oblongi racemi conflatum, in templi cujuspiam fastigio consedisset, aut torrens flumen magno impetu in mare portentosas sanguinis et lactis undas devolveret.

71. Ingemiscis, quod per impiam fraudem ablata fuerint tibi decem sestertia: quid igitur dicas, si cernas alterum quempiam ducenta sestertia itidem amisisse, quæ similiter alterius fidei et custodiæ clam et sine testibus commiserat? Si videas tertium plures pariter nummos perdidisse, qui vix in ingentis arcæ angulo poterant contineri? Adeo facile et prompte scelerati pro nihilo pendunt, quod testes perfidiæ suæ et conscios habeant deos, si nullus homo conscius testisque sit! En ille perjurus ac perfidus, quam firmo et erecto vultu, quam intenta voce depositum abnegat? aspice mendacem! Jurat per solis radios, per Jovem fulminantem, per Martem ense, Apollinem jaculis instructum, per Dianam pharetra et sagittis

Perque tuum, pater Ægæi Neptune, tridentem;
Addit et Herculeos arcus, hastamque Minervæ,
Quidquid habent telorum armamentaria cæli.
Si vero et pater est; comedam, inquit, flebile nati
Sinciput elixi, Pharioque madentis aceto.
Sunt, in Fortunæ qui casibus omnia ponant
Et nullo credant mundum rectore moveri,
Natura volvente vices et lucis et anni;
Atque ideo intrepidi quæcumque altaria tangunt.
Est alius, metuens ne crimen pœna sequatur;
Hic putat esse Deos, et pejerat, atque ita secum:
« Decernat, quodcumque volet, de corpore nostro
Isis, et irato feriat mea lumina sistro,
Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego, numos.
Et phthisis, et vomicæ putres, et dimidium crus
Sunt tanti? pauper locupletem optare podagram
Ne dubitet Ladas, si non eget Anticyra, nec

armatam, Neptunum tridente, Herculem arcu, Minervam hasta; demum per tela omnia quæ in cæli armamentariis servantur, jurare non dubitat. Quod si liberos habet; Si fallo, inquit, ita mihi Superos iratos imprecor, ut filii carissimi caput aceto Ægyptio elixum atque incoctum cogar comedere.

86. Neque vero mirum est, illos impios tam fidenter pejerare, et aras sine ullo metu tangere; quippe quum ex illis sint qui omnia Fortunæ et casui tribuant; qui nullum, a quo regatur hic orbis, numen agnoscant; qui diei, noctis, et quatuor anni tempestatum varias vices oriri a natura existiment. Alii exsistere deos quidem arbitrantur, ac proinde timent, ne perjurii pœnas luant; pejerant nihilominus, et sic taciti cogitant: « De meo corpore statuat Isis quodcumque volet; oculos meos irata sistro suo percutiat, dummodo pecunia, quam abjuro, fruar, vel ipsis oculis captus. Morbis omnibus, phthisi, apostematibus, crure diffracto et mutilo, emuntur bene nummi; tanti valent. Si sapit Ladas ille, velocitate pedum inclytus, si elleboro Anticyræ et Archigene medico non indiget, profecto podagram, quæ ipsi opes allatura sit, anteponet pernicitati suæ, cum qua est inops et fame con-

Archigene: quid enim velocis gloria plantæ
Præstat, et esuriens Pisææ ramus olivæ?
Ut sit magna, tamen certe lenta ira Deorum est.
Si curant igitur cunctos punire nocentes,
Quando ad me venient? sed et exorabile numen
Fortasse experiar; solet his ignoscere: multi
Committunt eadem diverso crimina fato;
Ille crucem sceleris pretium tulit, hic diadema.»
  Sic animum diræ trepidum formidine culpæ
Confirmant: tunc te sacra ad delubra vocantem
Præcedit, trahere immo ultro ac vexare paratus.
Nam quum magna malæ superest audacia causæ,
Creditur a multis fiducia: mimum agit ille,
Urbani qualem fugitivus scurra Catulli:
Tu miser exclamas, ut Stentora vincere possis,
Vel potius, quantum Gradivus Homericus: «audis,
Jupiter, hæc; nec labra moves, quum mittere vocem

ficitur: quam enim utilitatem habet pedum illa velocitas, et corona in certaminibus Olympicis data, si est cum fame ac paupertate conjuncta? Deinde, tametsi gravis deorum ira sit, est eadem certe ad puniendum tarda. Quod si omnes improbos merito afficere supplicio decreverint, quandonam ad me in tanto numero pervenient? Quidquod fieri poterit, ut eos placabiles et propitios habeam; perjuris non raro ignoscunt; denique eadem admittunt scelera plerique, eventu ac pretio perquam diverso; unus in crucem tollitur, alter in solium evehitur.»

106. His rationibus mentem conscientia sceleris anxiam perjurus erigit, ac discutit metum: ita confirmatus, tibi ad templum, ubi jurare illum cogas, eunti præibit sponte; immo te huc pertrahere non cunctabitur et urgere: quum enim aliquis, male sibi conscius, præ se fert audaciam insignem, putatur a multis esse propter innocentiam confidens ac securus. Ille perfidus ac sacrilegus instar histrionis personam fictam sustinet, qualem servus agit scurriliter in quadam Catulli poetæ urbani comœdia: tu interim infelix validius, quam Stentor vel ipse Mars apud Homerum, vociferaris, et in has erumpis querelas: «O sancte Jupiter, audis hunc sacrilegum peje-

Debueras, vel marmoreus, vel aheneus? aut cur
In carbone tuo charta pia thura soluta
Ponimus, et sectum vituli jecur, albaque porci
Omenta? ut video, nullum discrimen habendum est
Effigies inter vestras, statuamque Vagellî. »
Accipe, quæ contra valeat solatia ferre,
Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata legit
A Cynicis tunica distantia, non Epicurum
Suspicit exigui lætum plantaribus horti.
Curentur dubii medicis majoribus ægri;
Tu venam vel discipulo committe Philippi.
Si nullum in terris tam detestabile factum
Ostendis, taceo; nec pugnis cædere pectus
Te veto, nec plana faciem contundere palma,
Quandoquidem accepto claudenda est janua damno,
Et majore domus gemitu, majore tumultu
Planguntur numi, quam funera. Nemo dolorem
Fingit in hoc casu, vestem deducere summam

rantem, nec labra moves! at loqui et exclamare certe, licet ex ære conflatus aut marmore, debueras: cur ergo ad aras tibi consecratas piis effusa chartis adolemus thura, cur vituli exta, intestina porci obesa immolamus, si hæc inulta pateris? Sic est, nihil vestræ deorum statuæ a Vagellii statuis differunt. »

120. Ita tu quidem Superos incusas: audi vicissim rationes quibus tuum solari dolorem, et querelas compescere conabor ego, qui neque Cynicorum scholas frequentavi, neque perlegi placita Stoicorum, quos tunica tantum forma dispar et dissimilis distinguit a Cynicis; neque Epicurum admiror oleribus hortuli sui victitare solitum. Ægroti gravioribus implicati morbis adhibeant sane medicos præstantiores: tu curari vel a Philippi discipulo recte possis. Si nullum facinus in terris vides cum illa tui amici perfidia comparandum, nihil caussæ dico, quin dedas te penitus dolori, et pectus ac vultum utraque manu percutias ac dilanies; quin domum tuam occludas, ut fit in summo luctu et funeribus parentum ac propinquorum, quæ minus moleste graviterque toleras, quam pecuniæ jacturam; hæc enim non simulato mœrore defletur, non veste

Contentus, vexare oculos humore coacto :
Ploratur lacrymis amissa pecunia veris.
Sed si cuncta vides simili fora plena querela,
Si, decies lectis diversa parte tabellis,
Vana supervacui dicunt chirographa ligni,
Arguit ipsorum quos litera gemmaque princeps
Sardonychus, loculis quæ custoditur eburnis :
Ten', o delicias! extra communia censes
Ponendum? qui tu gallinæ filius albæ,
Nos viles pulli nati infelicibus ovis?
Rem pateris modicam et mediocri bile ferendam,
Si flectas oculos majora ad crimina : confer
Conductum latronem, incendia sulphure cœpta
Atque dolo, primos quum janua colligit ignes;
Confer et hos, veteris qui tollunt grandia templi
Pocula adorandæ robiginis, et populorum

leviter scissa, non lacrymis per vim extortis; at ex animo deploratur; et oculi sponte veras effundunt lacrymas.

135. Sed si reperire est in foro quoslibet homines de ejusmodi sceleribus et damnis conquerentes, si debitores quos sua ipsorum manus et scriptura, quos signum annulo et nobili gemma impressum convincit aliquam syngrapham ab ipsis scriptam et obsignatam fuisse, nihilominus hoc pernegant, et adulterinum esse chirographum falsumque clamitant, licet illa syngrapha decies recitata fuerit palam, variis in locis, et coram diversis testibus; valde profecto delicatus es; si putas te ex hominum grege communi, et usitatis casibus eximendum, quasi gallinæ albæ, ut parœmia fert, esses filius; quasi ceteri præ te uno viles et contemnendi forent pulli, tanquam ovis sinistræ volucris nati.

143. Si graviores, quibus alii quotidie afficiuntur, calamitates expendas, leve illud tuum profecto damnum esse intelliges, nec ad tantam bilem excitandam aptum. Compara, sodes, cum infortunio tuo, latrocinia quæ fiunt ab conductis pecunia prædonibus : incendia domorum, quando clam sulphur et alia id genus ignis irritamenta per dolum foribus admoventur : confer sacrilegia, quum impio furto subripiuntur vasa ob vetustatem sacro quodam honore digna, do-

Dona, vel antiquo positas a rege coronas.
Hæc ibi si non sunt, minor exstat sacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis, et faciem ipsam
Neptuni; qui bracteolam de Castore ducat.
An dubitet, solitus totum conflare Tonantem?
Confer et artifices mercatoremque veneni,
Et deducendum corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adversis innoxia simia fatis.

Hæc quota pars scelerum, quæ custos Gallicus Urbis
Usque a lucifero, donec lux occidat, audit?
Humani generis mores tibi nosse volenti
Sufficit una domus: paucos consume dies, et
Dicere te miserum, postquam illinc veneris, aude.
Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? aut quis
In Meroe crasso majorem infante mamillam?
Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam

naria populorum, coronæ ab aliquo rege prisco Superis oblatæ, et in templis repositæ. Quod si præda tam dives in iis nulla exsistit, aureæ laminæ de femore Herculis, de vultu ipso Neptuni, aut de Castore abraduntur a sacrilegis levioribus: nec mirum, quippe qui graviora, nullo perculsi metu, flagitia suscipere soleant, ac totam Jovis tonantis ex auro statuam igni liquefacere. Compara cum eodem amico depositum tibi subducente, illos qui parant, vel emunt venena; compara parricidas, quibus hæc irrogata legibus pœna est, ut inclusi sacco e bovis pelle facto, simul cum infelici et innocenti simia, in æquor abjiciantur.

157. Hæc tamen scelera, quæ hactenus memoravi, minima pars eorum sunt, quæ quotidie ad Rutilium Gallicum, urbis præfectum, unius tantum diei spatio a mane ad vesperam deferuntur. Si velis nosse quam profligata hominum vita sit, unam hujus Gallici inspice domum; quid in ea geratur, per dies aliquot expende; tum, per me licebit, deplores calamitatem tuam. Nemo Alpium incolas tumidis strumosisque esse faucibus; nemo mulierum Ægyptiarum mammas obesis pueris crassiores miratur: nemo Germanorum oculos cæruleo colore tinctos, flavos eorumdem crines, unguento delibutos et instar cornuum recurvatos; quia nimirum hæc

Cæsariem, et madido torquentem cornua cirro?
Nempe quod hæc illis natura est omnibus una.
Ad subitas Thracum volucres nubemque sonoram
Pygmæus parvis currit bellator in armis:
Mox impar hosti, raptusque per aera curvis
Unguibus a sæva fertur grue: si videas hoc
Gentibus in nostris, risu quatiare; sed illic,
Quamquam eadem assidue spectentur prælia, ridet
Nemo, ubi tota cohors pede non est altior uno.
— Nullane perjuri capitis fraudisque nefandæ
Pœna erit? — Abreptum crede hunc graviore catena
Protenus, et nostro (quid plus velit ira?) necari
Arbitrio: manet illa tamen jactura, nec umquam
Depositum tibi sospes erit: sed corpore trunco
Invidiosa dabit minimus solatia sanguis.
— At vindicta bonum vita jucundius ipsa....
— Nempe hoc indocti, quorum præcordia nullis
Interdum, aut levibus videas flagrantia causis:
Quantulacumque adeo est occasio, sufficit iræ.

in iis regionibus usitata et communia sunt omnibus. Quando grues infestis unguibus in Pygmæos e Thracia repente, velut sonora nubes, incurrunt, illi pumiliones aciem scilicet instruunt, et pusillis armis accinguntur; nec resistendo pares, a gruibus sævis per auras sublime rapiuntur. Hoc si cerneres in Italia, risum profecto non teneres: apud Pygmæos vero, quamvis hoc idem vulgo spectetur prælium, nemini ea res tamen risum movet, ubi nullus in toto exercitu miles pedis unius mensuram excedit. — Ergone, inquis, inultum crimen perfidiæ et fraudis nefandæ amicus feret? — Finge illum statim in tetrum carcerem conjici, ac tuo arbitratu interfici, nihil enim, credo, amplius expetet ira tua: non idcirco tamen depositum tibi tuum restituetur, neque illato damno medicina sic fiet; leve duntaxat solatium et invidiæ plenum, ex ejus cruento et mutilato cadavere accipies. — At enim dulce est ulcisci, et vita ipsa dulcius? — Nimirum ita sentiunt homines imperiti ac barbari, qui nulla aut levi de caussa interdum animis excandescunt, quorum bilis vel minima occasione in iracundiam et furorem exardescit.

Chrysippus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium, dulcique senex vicinus Hymetto,
Qui partem acceptæ sæva inter vincla cicutæ
Accusatori nollet dare. Plurima felix
Paulatim vitia, atque errores exuit omnes,
Prima docens rectum Sapientia : quippe minuti
Semper et infirmi est animi exiguique voluptas
Ultio : continuo sic collige, quod vindicta
Nemo magis gaudet, quam femina. Cur tamen hos tu
Evasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, et surdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multo sævior illis,
Quas et Cædicius gravis invenit, et Rhadamanthus,
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.
Spartano cuidam respondit Pythia vates,
Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret

Non ea mens Chrysippi et oratio, non Thaletis hominis mitissimi; neque senis illius prope melliferum montem Hymettum nati, nempe Socratis, qui accusatori suo particulam veneni, quo in diro carcere exstinctus est, largiri noluisset. Est hoc philosophiæ scilicet beneficium, quæ una vel maxime confert ad beate vivendum, ut quæ sunt recta doceat homines, et ex illorum animis vitiorum sensim et errorum omnium fibras extirpet. Ac sane quam imbecillum animum et pusillum semper arguat voluptas ultionis, vel ex eo facile intelliges, quod hujusmodi voluptate mulieres potissimum ducantur. Cave tamen putes flagitiosis impune esse : domesticum illi tortorem habent, a quo intus plectantur, nempe mentem ream et sceleris conscientia trepidam, quæ semper et indefessa surdis flagelli verberibus laniatos quatit et cædit. Nulla, mihi crede, pœna gravior ab atroci Cæditio, vel severo Rhadamantho excogitata unquam fuit, quam gerere in sinu suo testem sui sceleris, qui diu noctuque illud nobis objiciat intentetque.

199. Lacedæmonius quidam cogitabat depositum apud se retinere, ac interposito etiam jurejurando abnegare : oraculum Apollinis consuluit; quæsivit quid censeret Phœbus, an id facere appro-

Depositum retinere, et fraudem jure tueri
Jurando; quærebat enim, quæ numinis esset
Mens, et an hoc illi facinus suaderet Apollo?
Reddidit ergo metu, non moribus; et tamen omnem
Vocem adyti dignam templo veramque probavit
Exstinctus tota pariter cum prole, domoque,
Et, quamvis longa deductis gente, propinquis.
Has patitur pœnas peccandi sola voluntas.
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet: cedo, si conata peregit?
Perpetua anxietas nec mensæ tempore cessat,
Faucibus ut morbo siccis interque molares
Difficili crescente cibo: sed vina misellus
Exspuit; Albani veteris pretiosa senectus
Displicet: ostendas melius, densissima ruga
Cogitur in frontem, velut acri ducta Falerno.
Nocte brevem si forte indulsit cura soporem,
Et toto versata toro jam membra quiescunt,

bante deo posset. Responsum est a Pythia, pœnas ipsum graves daturum, qui hoc ab Apolline quæsivisset, in dubiumque rem ejusmodi revocasset. Quo ille terrore ac pœnarum metu attonitus magis, quam studio virtutis et amore inductus, depositam pecuniam restituit: idem tamen verum ac dignum Apolline responsum fuisse comprobavit suo, ac suorum liberorum, propinquorum, et universæ familiæ ab ultima stirpe penitus exstinctæ exitio. Ita solam peccandi voluntatem Superi plectunt: et vero qui scelus pectore deliberatum concepit, perinde nocens est, ac si illud admisisset. Quid vero si meditatum facinus etiam complevit? Nonne meritas expendet pœnas? Hinc illa mentis anxiæ ac male metuentis sollicitudo, quæ hominem non deserit in ipsa mensa, ubi fauces aridæ, tanquam febri laboraret, cibum deglutire vix possunt, hærentibus inter ipsos dentes dapibus, et eos, quia ægre trajiciuntur, magis magisque implentibus. Respuit vina, vel optima; Albanum vetus et generosum fastidit; si generosius aliquod afferas, ita densas rugas fronte contracta ducit, quasi Falernum acre austerumque biberet. Si per noctem a curis ac metu respirare paulisper, et indulgere somno

Continuo templum et violati numinis aras,
Et, quod præcipuis mentem sudoribus urguet,
Te videt in somnis: tua sacra et major imago
Humana, turbat pavidum, cogitque fateri.
Hi sunt, qui trepidant et ad omnia fulgura pallent,
Quum tonat, exanimes primo quoque murmure cæli;
Non quasi fortuitus, nec ventorum rabie, sed
Iratus cadat in terras et judicet ignis.
Illa nihil nocuit; cura graviore timetur
Proxima tempestas, velut hoc dilata sereno.
Præterea, lateris vigili cum febre dolorem
Si cœpere pati, missum ad sua corpora morbum
Infesto credunt a numine; saxa Deorum
Hæc et tela putant: pecudem spondere sacello
Balantem, et Laribus cristam promittere galli
Non audent: quid enim sperare nocentibus ægris
Concessum? vel quæ non dignior hostia vita?

cœpit, post artus toto cubili diu multumque jactatos, confestim tetra somnia illi objiciunt templum in quo pejeravit, aras quarum numen violavit; quodque illum majori afficit terrore, te videt, te ipsum quem spoliavit. Effigies tua, instar alicujus numinis, aut Furiæ, humanæ staturæ modum excedens, attonitum percellit, et ad crimen confitendum adigit. Ejusmodi sceleratos, simul ac tonitru quodpiam increpuit, aut fulgur emicuit, cohorrescere videas primo cæli murmure, expallescere, metu exanimari, perinde quasi non casu aliquo, et ventorum vi nativa, fulguraret tonaretve, sed certo numinis irati consilio, et ultrice judicis dextra missum fulmen ipsorum capiti ingrueret. Quod si præsentem procellam effugiunt incolumes, proximam gravius reformidant; et quamvis cælum videant serenum, dilatam ad breve tempus duntaxat tempestatem ac perniciem suam arbitrantur. Ad hæc, si laborare febri occipiunt, si latus illis condoluit, his morbis ab irato deo se plecti putant, his tanquam saxis et telis peti: neque valetudinem a Superis deprecari audent votiva, quam aris admoveant, ove, aut diis penatibus gallum immolandum promittere: quid enim sperent scelerati ægrotantes? Quæ victima, quam illi, dignior vita non est?

Mobilis et varia est ferme natura malorum.
Quum scelus admittunt, superest constantia: quid fas
Atque nefas, tandem incipiunt sentire peractis
Criminibus; tamen ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa et mutari nescia: nam quis
Peccandi finem posuit sibi? quando recepit
Ejectum semel adtrita de fronte ruborem?
Quisnam hominum est, quem tu contentum videris uno
Flagitio? dabit in laqueum vestigia noster
Perfidus, et nigri patietur carceris uncum,
Aut maris Ægæi rupem scopulosque frequentes
Exsulibus magnis: pœna gaudebis amara
Nominis invisi, tandemque fatebere lætus,
Nec surdum, nec Tiresiam quemquam esse Deorum.

236. Naturam improborum vide, quorum mentes variæ semper et mutabiles: illis nihil est audacius ac deliberatius, quum peccant; postquam peccarunt, tunc metu, pudore, pœnitentia perturbantur, et quid sit virtutem inter ac vitium discriminis, agnoscunt. Nihilominus ad eadem flagitia quæ condemnaverant, revolvuntur, naturæ quodam impetu inveteratam servantis consuetudinem, et pravos mores dediscere nescientis. Quotus enim quisque certos in peccando limites prescripsit sibi, quos ultra non progrederetur? Quis exutam semel verecundiam induit rursum, ac in frontem attritam revocavit? Quis uno tantum scelere contentus fuit? Perjurus ille amicus tuus, alio aliquo scelere implicatus, laqueo deprehendetur, ac merito supplicio mactabitur: vel abripietur in carcerem nigrum, ibi unco vinciendus; vel in exilium amandabitur, per scopulum Ægei maris aliquem ex iis ad quos famosi exules deportantur. Illius invisi hominis crudelem cruciatum lætus adspicies, ac tandem gaudens nullum inter deos surdum, et cæcum, ut Tiresiam, esse fateberis.



VARIÆ LECTIONES

ET NOTÆ

IN SATIRAM DECIMAM TERTIAM.

VARIÆ LECTIONES. 1. *Malum* Cod. MS. Hammondi et inde ed. Lond. 1612, teste ac prob. Henninio, quo judice hæc lectio longe elegantior est et magis refert acumen Juvenalis. Præstiterit ita certe *quodcumque mali*. Sed mea qualicumque sententia vulgaris lectio aptissima est, et unice vera; illa autem ab hoc loco aliena. *Malum committit exemplo*, qui illud non primus, sed post alios facit. *Exemplo* autem *malo* aliquid *committit* is, qui turpe perpetrat facinus, quod alios male docet, et ad idem facinus incitat.

NOTÆ. 1. Sen. Ep. 42. « Nulla major pœna nequitiæ, quam quod sibi ac suis displicet : » et præclare Ausonius :

Turpe quid ausurus te sine teste time.

Conf. Var. Lect. — Eadem sententia expressa est a nostrate *Massillon* : *Partout nous rendons hommage par nos troubles et par nos remords secrets à la sainteté de la vertu que nous violons*. ED.

VAR. 2. *Actori*, 13, 16. — *Hæc est*, 15, 17.

NOT. 2. *Ultio*, pœna. *Se judice*, judicio animi sui et conscientiæ.

NOT. 3. *Nemo nocens;* hæc pæne ad verbum transtulit *L. Racine, la Religion, chant I*, vs. 411 :

« De ses remords secrets triste et lente victime,
« Jamais un criminel ne s'absout de son crime. » ED.

Confer Pauli Epist. ad Roman. II, 14, 15. *Quamvis improba gratia prætoris*, a reo corrupti, *vicerit fallaci urna*, hoc est, fecerit, ut reus judicio vincat fallacibus sententiis judicum sortito datorum : nam prætor seu quæsitor, cui quæstio seu caussa capitalis obtigerat, sortiebatur vel sorte legebat et dabat judices selectos e decuriis, tabellis in urnam conjectis; unde reo favere poterat, secernens in judicibus legendis ejus vel suos amicos. Idem quoque judicibus tabellas dabat, absolutionis, condemnationis et ampliationis, quas hi, in consilium missi, in *urnam* conjiciebant, iisque eductis sententiam ferebat : unde *urna* etiam h. loc. ad suffragia judicum selectorum, a reo corruptorum, referri potest. Sed h.

loc. *prætoris* potissimum *gratia* iniqua notatur.[1] Hinc probabile fit, amicum Calvini, qui depositum abnegaverat, accusatum ab eo, sed prætoris judicumque corruptorum sententiis absolutum fuisse.

VAR. 4. *Fallaci*, 1, 8, 21, 70, 75, 76, 81, 82. *Fallacis prætoris*, 10, 11, 12, 15, 16, 17, 19, 20, 23—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et omnes Codd. Paris. probb. Lub. et Ach. *Prætoris fallacis*, 13. — *Urnam*, 10, 12, 13, 15, 16, 17, 19—24, 27, 45—50, 54—57, 59—69, 71—74, 77. *Fallacem..... urnam* malebant quidam.

VAR. 5. *Quid censere putas*, 15. *Putas homines*, 11, prob. Schurzfleisch. — *Retenti* (hoc est, depositi abnegati ac non redditi) conj. Rutgers. Var. Lection. II, 17.

NOT. 5. *Calvinus*; alius forte Calvinus Umber, malus poeta, apud Mart. VII, 89.

VAR. 8. *Videbis*. 11, prob. Schurzfl.

NOT. 8. *Te Mergat*, funditus te evertat bonis et ad paupertatem redigat. Conf. ad X, 57.

VAR. 9. *Hic multis*, 16, 25, 27, 45—47, 49, 54, 55, 57, 58, 60, 64, 65.

NOT. 10. *Casus tritus*, vulgaris (metaph. petita a via), *et e medio*, non e summo, *Fortunæ* adversæ, hoc est, malorum, *ductus acervo*, multum abest a summo infortunio.

VAR. 11. *Nimios questus*, 7.

NOT. 11. *Flagrantior*, acrior, vehementior.

NOT. 12. Conf. Horat. Epod. X, 17, et Senec. Epist. 99. *Vulnere*, damno.

VAR. 13. *Laborum* pro *malorum*, 17, 20, 21, 29, quod doctius videri potest, vel exquisitius. *Laboris*, 13.

NOT. 13, 14. Junge : *particulam malorum*, *quamvis minimam levium exiguamque*, *vix ferre potes*, *Ardens visceribus spumantibus*, æstuantibus bile et ira, in qua sanguis ab imis præcordiis exæstuat. Conf. ad I, 45.

VAR. 15. *Quod non tibi*, 16.

VAR. 16. *Hic*, 11, 16, 64. *Hoc*, 10.

NOT. 16. *Depositum*, quidquid custodiendum alicui datum est, παρακαταθήκη, *sacrum*, sancte servandum et reddendum, vel ob jusjurandum

[1] Conf. Heyn. in Not. et Excurs. ad Virg. Æneid. VI, 432 (nostr. edit. tom. III, pag. 147. ED.), et Sigon. de Judic. II, 22.

interpositum, vel ne tollatur amicitia, fides violetur et amicus afficiatur injuria ac damno, quo nihil scelestius est.

Anal. 16—22. Talis fraus non mira videri debet homini, longo rerum usu edocto, cui ejusmodi mala tum nota sint ac familiaria necesse est, tum æquo ferenda animo. In interrogatione major vis inest. — *Stupet hæc*, ut supra IV, 119, ubi vid. not. — *Post terga relinquere*, conficere ut nos dicimus; *im Rücken haben*.

Not. 16, 17. Ex hoc loco probabile fit, hanc satiram Hadriani temporibus scriptam esse, LXI annis (nam LX annos jam *post terga reliqui* Calvinus) post Fonteii consulatum. Sed quatuor, non duo, ut vulgo putant, Fonteii Capitones consules in fastis memorantur. Prior consul fuit ann. Urb. cond. DCCXX, at suffectus tantum, *ad unguem Factus homo, Antoni, non ut magis alter, amicus;* Horat. Sat. I, 5, 32 (vid. Pigh. Ann. tom. III, pag. 497). Alter ann. DCCLXIV, vel DCCLXV cum Germanico Cæs. biennio ante mortem Augusti (vid. Pigh. loc. laud. pag. 540). Tertius ann. DCCCXI, vel DCCCXII cum C. Vipsanio, seu Vipstano, sub Neronis imperio (vid. Pigh. pag. 593; Tac. Annal. XIV, 1; Plin. II, 70, seu 72, et VII, 20; Suet. Calig. cap. 8). Quartus ann. DCCCXIX, vel DCCCXX cum C. Julio Rufo (vid. Pigh. pag. 601, 602). Si alterum h. l. designari credideris, ann. DCCCXXV, vel DCCCXXVI, tertio vel quarto anno imperii Vespasiani; si tertium, ann. DCCCLXXII, vel DCCCLXXIII, secundo vel tertio anno imperii Hadriani; si quartum, ann. DCCCLXXX, vel DCCCLXXXI, regnante eodem Imperatore, hæc satira scripta est. Tertium innui, probabilis, nec tamen certa est intpp. conjectura, quam iis persuasit Lips. Quæst. Epist. IV, 20. Conf. ad vs. 157, et ad XV, 27.

Var. 18. *An*, 1, 10, 12, 13, 14, 23, 24, 54, 64, 70, 75, 76, 77, 82, et IX Codd. Paris. *Ac*, 11, 19. *Ad*, 22. *At*, 15—18, 20, 21, 25, 27, 45—50, 55—63, 65—69, 71—74. Eadem varietas est in Codd. Paris. — *Proficis* restitui ex 10—13, 16—27, 45—47, 49, 54, 55, 57—69, 71, 72, 73, 77, et plerisque MSS. Paris. *Proficit*, 14, 15, 48, 50, 56, 70, 74, 75, 76, 81, 82. *Stupet hæc..... natus*, *Ac nihil.... proficit usu* malebat C. Vales. — *Usus*, 18 a m. pr.

Var. 19. *Equidem*, 17, 18, 20, 22.

Not. 19—22. *Sapientia*, σοφία, quam Pythagoras primus φιλοσοφίαν dixit, est quidem *magna*, potens ac valida, *victrix Fortunæ*, quæ minas ejus ac vim contemnere nos docet; sed idem discimus quoque *magistra vita*, longo usu et experientia. Inde discere poteras, *incommoda vitæ* patienter *ferenda* esse, quamquam non sis philosophus. Conf. vs. 120 seq.

Not. 19. *Libellis sacris*, præclaris, divinis (ut ἱερὸς et δῖος); vel quoniam philosophia, ut verba Cicer. Tusc. Quæst. I, 26, mea faciam, est « donum inventumque deorum...... ejus prorsus divina vis...... et animus divinus, aut deus, etc. »

VAR. 20. *Dicimus*, 13, 16, 17 a m. pr. 18, 19, 20, a m. sec. 24—27, 45—50, 54—63, 65, 66—69, 71—74, et dimidia pars Codd. Paris. Parum interest.

NOT. 20. « Philosophia est inexpugnabilis murus, quem Fortuna multis machinis lacessitum non transit, » Senec. Epist. 82. Similiter *Cato Fortunae victor* dicitur Manilio. Conf. X, 52, 53, 365, 366.

NOT. 22. *Jactare jugum*, impatienter ferre incommoda vitae. Metaphora ducta a bobus ferocibus, vel succumbentibus oneri, qui *jugum detrectant, quatiunt, excutiunt, eique subtrahunt colla*. Contra *jugum accipere, subacta cervice ferre, ei submittere colla*, et propr. et metaph.[1] dicitur. — *Magistra*, vid. Heins. ad Ovid. Epist. Her. XV, 83.

VAR. 23. *Fures*, 45.

NOT. 23—37. Descriptio illorum temporum scelerumque, quae tum grassabantur : brevis pictura, cui principales tantum colores induxit poeta.

NOT. 23. Nunc quotidie committuntur flagitia, iisque profanatur quaevis *festa dies*, quae religiose olim et sancte agebatur. — *Ut cesset prodere furem*, quo non cernere possis furem et deprehendere.

VAR. 24. *Ex* abest a 16.

NOT. 25. *Gladio*, vi, *vel pyxide*, veneno (quod in ea condebatur, de quo vid. Cic. Cael. 25, et Sueton. Neron. 47), non fritillo vel alea.

VAR. 26. *Numerus vix est totidem* (scilicet hominum bonorum), *quot* (sunt) *Thebarum portae*, 1, 13, 14, 18, 48, 70, 75, 76, et V MSS. Paris. ut *exercitui, cujus numerus duodecim millium fuit* apud Corn. Nepot. Iphicr. 2. *Numero vix sunt totidem*, 10, 15—17, 19, 21—27, 45, 46, 47, 49, 50, 55—69, 71—74, 77, et XXIX Codd. Paris. e quibus hanc lectionem restituit Ach. quae emendationem redolet. *Numero sunt vix*, 20. — *Numero vix totidem*, 11. *Numerus. vix sunt totidem* malebat Schurzfl. tanquam convenientius stylo poetae.

NOT. 26. Conf. Senec. Epist. 42, pr. Ad numerum sapientum allusisse poetam, judicio parum probabili suspicantur interpp. — *Numerus vix est totidem*, etc. vid. Var. Lect.

VAR. 27. *Hostia*, 19, 20, 25, 45, 46, 47, 49, 57, 58, 64—67.

NOT. 27. *Thebarum* Boeotiarum scil. *portae* septem, unde ἑπτάπυλος Θήβη Homer. Iliad. δ, 406; Hesiod. Ἔργ. 162, al. Nam Θῆβαι Αἰγύπτιαι ἑκατόμπυλοι, Homer. Iliad. IX, 383. Conf. Mel. I, 9, et infra XV, 6.[2] —

---

[1] Conf. ad VI, 208, intpp. Horat. Od. I, 33, 12, 35, 28; II, 5, 1.

[2] Fuere et alia, sed minora et minus clara, hujus nominis oppida in

Ostia Nili celeberrima septem, Canopicum, Bolbitinum, Sebennyticum, Phatniticum, Mendesicum, Taniticum, Pelusiacum:[1] quæ adhuc superesse tradit Pocock.[2] unde Nilus dicitur *septemfluus*, Ovid. Metam. XV, 753; *septemplex* ibid. V, 187; *septemgeminus*, Virg. Æneid. VI, 801. — *Nili divitiis*, quia multis auctus fluviis et per plura ostia in mare mediterraneum effunditur; vel quia inundatione limoque suo Ægyptum ditat, seu fecundat.[3]

VAR. 28. *Nova*, 16, 22. *Igitur*, 22. Fuere qui conjicerent: *Nunc ætas agitur*. Præstiterit: *Nonne* vel, quod Hein. ingeniose conjecit, *Non ætas agitur..... metallo?* Nam *non* sæpe dici pro *nonne*, monet ille coll. I, 51, 52, Terent. Andr. IV, 4, 13; V, 2, 11; Heusing. ad Cic. de Off. III, 19; Cort. ad Sall. Bell. Jug. 31, et Heinsio ad Virg. Æneid. IX, 143. Alia loca a Schellero in Lex. latin. laudata sunt, et a me ad Liv. IV, 4, 2. Sic tamen languet dictio illa *ætas agitur et sæcula*, majorque affirmationi vis inest, ut vs. 26 et 27, quam interrogationi. — Vir clariss. *Boissonade* ad Nicet. VI, 441, de χρυσῷ γένει, pag. 320 seq. « Juvenalis sæcula sua plusquam ferrea graviter incusat, nec se extricant interpretes a verbis illis *nona ætas*. Cod. Thuan. nunc Reg. 8071, alias mihi exhibuit lectiones (ab Achaintrio non memoratas) vs. 26, *numerum* pro *numero* et *numerus*, vs. 28, *non alias agitur*, quod perspicuum esse videtur, nempe non agitur alio modo: hi sunt Romæ mores; sic Romæ vivitur. » Ibi autem doct. *Ruperti* observat *alias* eo sensu non dici scriptoribus antiquis; neque hoc loco de Roma, nedum de ea sola, agi. ED.

NOT. 28—30. Hæc varie exponunt interpretes.[4] Notissimum vero

Phthiotide Thessal. (Plin. IV, 8), in Cilicia seu Mysia (Hom. Iliad. β, 691; ζ, 397; Steph. Strab. XIII, pag. 710 al.), in Arabia felici (Ptolem.), Attica (Steph.), Corsica, etc.

[1] Vid. Strab. XVII, pag. 801, 802; Plin. V, 10, seu 11 (ubi conf. Hard.); Herodot. II, 17; Diod. I, 33; Athen. II, 90, ibique Schweigh.

[2] Itiner. tom. I, pag. 29 seq. et 433 seq. vers. germ.

[3] Grangæus: « quia fluit arena aurea, unde Cedreno dictus χρυσοῤῥόας. »

[4] Nonnulli ita: Vivimus eo tempore, quod quatuor, sic dictas, mundi ætates, auream, argenteam, æream et ferream, tantopere excedit, ut pro nona ætate haberi possit, si cum ferrea comparetur et morum respiciatur corruptela. Alii: tempora nostra jam duplo pejora sunt, quam fuere ferrea. Plerique arbitrantur, non probant, a Latinis quidem poetis quatuor effingi ætates, a Græcis autem octo, quot sint metalla, auream, argenteam, electram, æream, cupream, stanneam, plumbeam, ferream. Ascensius putabat, *primam* ætatem fuisse deorum regnantium sine crimine; *alteram* deorum adulterio aliisque vitiis fœdatorum; *tertiam* semideorum magis ad divinitatem accedentium; *quartam* semideorum ad hominum magis vitam inclinantium; *quintam* heroum, mortalium quidem, sed virtutem totam amplexantium; *sextam* heroum, non omnino perfectorum; *septimam*

est, priscos poetas, ut indicarent, homines a naturali optimaque vitæ ratione ad pessimam gradatim esse delapsos, omne illud tempus, quod effluxerit inde ab origine mundi, in ætates, a *metallis* pro cujusque ratione denominatas, descripsisse, et quidem vel in duas (vid. Virg. Georg. I, 125 seq.), vel in tres (Arat. Phæn. 100 seq.), vel in quatuor (Ovid. Metam. I, 89 seq. et al.), vel in quinque (Hesiod. Ἔργ. 109—208), non vero ut plerique intpp. h. loc. putant, in octo, quot sint metalla, in auream, argenteam, electram, æream, cupream, stanneam, plumbeam, ferream; etsi gradus plures non male ita exprimi potuisse videntur. Itaque suspicabar olim cum Vossio (vid. not.), Juvenalem respexisse vaticinia illa Sybillina de ἀποκαταστάσει, seu παλιγγενεσίᾳ (de quatuor sæculis denuo revolvendis et renovandis), vel famam illam, ab Etruscis vatibus profectam, de octo sæculis mundo datis, et vita moribusque hominum diversis, de sæculo nono, a Syllæ temporibus (quibus maxima fuit rerum mutatio, et pravitas morum) incipiente, et de decimo, meliorum temporum aureæque ætati similium principio et rerum ἀποκα-



hominum, plus virtuti, quam vitiis deditorum; *octavam* hominum, vitiis magis quam virtuti studentium; *nonam* hominum, ex meris vitiis sceleribusque consutorum. — Grangæus suspicabatur, Juvenalem mundo tot ætates, sive earum potius mutationes, in septennia descriptas, tribuisse, quot Solon assignaverit homini, cujus nona ætas langueat, et infirma sit (vid. de ταῖς τῶν ἡλικιῶν μεταβολαῖς κατὰ ἑβδομάδα Solonis Fragm. apud Clement. Alexand. Strom. VI, 16, pag. 814, ed. Potteri, et Philon. de Mundi opificio, lib. I, vel in Gnomicorum Poett. Opp. a Glandorf. et Fortlage Lips. 1776, editis tom. II, pag. 77 seq.). — Plathneri animadversio est hæc: « Procul dubio poeta respexit ad septem metalli species. Ut igitur ostenderet improbitatem sæculi, nonam esse ait ætatem, id est, nonam speciem metalli essé inveniendam, ut nomen capiat. Sed cur non *octavam*? Ex commistione hoc specierum fieri poterat. Magis vero est, poetam ad Sibyllam respexisse, quæ mundi ætates quatuor metallorum generibus notasse dicitur, ut esset aurea, argentea, ænea, ferrea, et quarta finita παλιγγενεσίαν statuisse. *Nona* igitur *ætas*, quæ ferrea renata, adeoque octava deterior. » Vossius de Sybill. Orac. c. 4, p. m. 42, hæc notavit: « Nullum dubium est, quin Juvenalis Cumæam sequutus sit vatem, quæ nonam ætatem, nullo signatam metallo, descripserat velut omnium ætatum teterrimam; ut contra decimam ætatem veluti omnium optimam, utpote quæ futura esset ἀποκατάστασις per Christum. Sed poeta quum istam ἀποκατάστασιν non admitteret, scribit nonam etiamnum fluere ætatem: in libris enim Cumææ Sybillæ ἀνεπίγραφος, et sine titulo fuit octava et nona ætas. Si id non sit, verisimile est, ab octo cæli regionibus, seu sphæreis octo ætatibus, a tellure vero cognomen additum fuisse nonæ, quum constet, aliquot Pythagoreos eosque sequutum Philonem Judæum istoc ordine cæli digessisse regiones. » Omitto aliorum conjecturas minus probabiles.

ταστάσει; vid. Heyn. in Argum. et notis ad Virg. Eclog. IV, 4 seq. Serv. ad Virg. Eclog. IX, 47; Censor. c. 17; Plut. in Vit. Syll. Opp. tom. I, pag. 456; A. ed. Francofurt. et Fabr. Bibl. Gr. tom. I, pag. 246, edit. Harles. Ita duplici modo designaretur sæculum, ut simile nono illi, quod Etrusci vates, et ut pejus ferreo, quod poetæ commenti sunt. Neque hæc conjectura aliena est ab ingenio Juvenalis, qui doctrinam ostentare amat. Iis vero, quæ contra eum disputavit *Heinecke*, non tanta inest vis quanta ipsi videtur: nam simile quidem idemve tempus, at diversa ratione ab Etruscis vaticinis priscisque poetis adumbratum fuisse contendi, et verba *quorum* (scil. sæculorum, id est, cujus sæculi) *sceleri.... metallo* non ad *nonam* retuli *ætatem*, sed ad *sæcula ferri temporibus pejora:* neque Censorinus tantum, sed alii quoque auctores consulendi; ex nota autem Servii ad Virg. Eclog. IX, 47, et ex hoc Maronis loco sæculum illud decimum non multo pejus, sed longe melius fuisse, quam nonum, colligo; nam sermo ibi est de sæculo felici, quod læto portendatur prodigio et infaustam Syllæ ætatem excipiat. Neque tamen diffiteor, illam interpretationem argutam magis, quam veram, vulgatamque lectionem emendandam potius quam explicandam, et videri posse, et mihi semper visam esse. Conf. Var. Lect.

Not. 31. Summa δεινότης inest his verbis, et brevitas affectui convenit. — *Nos* sceleratissimo vivimus sæculo, quo ubivis et quotidie tot tantaque grassari videmus scelera, et tamen tam stupidi sumus, ut, si quid mali aut injuriæ nobis aliisve accidat, continuo præ stupore et tanquam novitate miraculoque attoniti *hominum Divumque fidem*, opem, *ciemus*, imploremus, quasi hæc inusitata sint, nec semper et ubique obvia.—*Pro Deum atque hominum fidem!* vel *dii, obsecro vestram fidem*, etc. admirationis quiritationisque formulæ, ut nostræ: *ums Himmels willen! um Gottes willen!* Ita exclamasse videtur Calvinus: unde *nos ciemus* mollius dictum pro *tu cies*.

Var. 32. *Quando* legit, certe in vers. german. expressit Bahrdt. Sed vulgata lectio longe aptior, et in ea major vis est. — *Fæsidium*, 1, 10, 11, 12, 14, 15, 18, 22, 51, 55, 70, 75, 76, 82. — *Fessidium*, 20, 24, 25, 27, 47, 48, 50, 56—69, 71—74, 77. *Fesidium*, 19. *Phesidium*, 21, 23, 45, 46. *Phæsidium*, 49. *Phœsidium*, 17. *Sesilium*, 16. — *Laudet*, 25, 56, 57, 59, 60.

Not. 32. Hæc et δεινῶς et σαρκαστικῶς dicta. — *Quanto* clamore *Fæsidium* male *agentem* caussas, vel perorantem in foro *laudat vocalis*, clamosa, *sportula*, hoc est, clientium aliorumque hominum turba, præmio sportulæ conducta, ut dicendi acclamaret *Pulchre*, *Bene*, σοφῶς, etc. vid. ad I, 1 seq. et de *sportula* ad I, 95 seq. Non minus facete locuti sunt de hac re Martial. VI, 48; Plin. Epist. II, 14, in loco class. et auctor Epigr. in Anal. Brunck, tom. II, pag. 331 (Ποιητὴς πανάριστος ἀληθῶς ἔστιν ἐκεῖνος, Ὅστις δειπνίζει τοὺς ἀκροασαμένους. Ἢν δ' ἀναγινώσκῃ καὶ νήστιας οἴκαδε πέμπῃ, Εἰς αὐτὸν τρεπέτω τὴν ἰδίην μανίην).

Not. 33. Salse Calvinus sexagenarius (vs. 16, 17) dicitur *senior dignissimus bulla*, hoc est, qui inter pueros referatur propter simplicitatem rerumque imperitiam; νήπιος γέρων· nam *bulla* puerorum insigne; vid. supra ad V, 164. *Senior* ἐμφατικῶς, ut *Tun' vetule* apud Pers. I, 22.

Var. 34. Abest hic versus a 16, et post vs. 35, legitur in 19.

Not. 34. *Quas habeat Veneres*, voluptates, gratiam, venustatem, illecebras, hoc est, quam grata sit et jucunda avaris.

Anal. 34—119. Præclare docet poeta, corruptos sæculi sui mores vitiorumque licentiam, quæ rempublicam Romanam invaserit, ex contemptu religionis, tanquam ex primario fonte, fluxisse, hanc vero irreligiositatem ex superstitione et inepta natam esse theologia, quæ phantasiæ quidem præbeat alimenta, sed mentem corrumpat, et jam *vulgo*, plebi, sit contemptui ac ludibrio; homines itaque, quamdiu simplex adhuc fuerit religio, pie et sancte vixisse, at postquam ingenium poetarum eam multis argutiis, fabulis pravisque opinionibus de natura, vita, moribus et ingenti numero deorum deformaverit, a probis majorum moribus ad impietatem et scelera defecisse. Hæc igitur θεολογούμενα, et commenta poetarum multis deridentur salibus facetiisque (ut in Luciani Dialog. Deorum), sed et nimia forsan ingenii orationisque luxurie, et judicio paullo iniquiori de mythologia vet.[1]

Var. 36. *Illis*, 22.

Not. 37. Stulti et simplices sunt, qui deos verentur perjuriorum vindices. — *Aræ rubenti* scil. igne, vel potius sanguine victimarum.

Not.* 38—52. Festiva, sed declamatorio potius, quam poetico dicendi genere adumbrata descriptio aurei sæculi, quo Ausonum adeoque Aboriginum Latinorumque religio admodum simplex fuit, et præter Saturnum, Janum, Picum et Faunum alios ignoravit deos; qui postea ex Græcorum mythologia adsciti sunt. Conf. Var. Lect. ad vs. 41. — *Indigenæ*, prisci incolæ Latii, Aborigines, non tantum ἐγχώριοι, sed etiam αὐτόχθονες, αὐθιγενεῖς, *hoc more*, hac simplicitate ac fide, pietate et sanctitate vitæ, *vivebant*, aurea ætate, qua regnavit *Saturnus, prius quam* hic, a Jove filio suo exutus regno, *fugiens diademate deposito sumeret agrestem falcem*, symbolum messis: nam ipse Saturnus fuit symbolum melioris vitæ, cujus origo a statione, messe frugibusque inventis repetenda est, et hinc Aborigines agri vitæque cultum docuisse fingitur.[2]

Var. 40. *Saturnus fugiens, et erat virguncula Juno*, 11, plane eleganter

---

[1] Conf. Rigalt. de Satir. Juven. et supra ad III, 312 seq.

[2] Vid. Heyn. in Excurs. IV, et V, ad Virg. Æneid. VII, et in Exc. II; ad Æneid. VIII, 314—329. Conf. supra VI, 1—13.

et recte, judice Schurzfl. qui monet, lacunas olim in primigenio exemplari poetæ fuisse, quas librarii, pro captu quisque suo, expleverint. Pro majoribus distinctionibus, vs. 41, 45, 49 et 50, positis, substituendæ forsan minores, et verba *Prandebat........ Pondere* vs. 46—49, parenthesi includenda, ut sic omnia a vocc. *tunc quum* vs. 40, pendeant. Hic certe est ordo sententiarum (conf. vs. 53), neque tot et tam longæ propositiones, quas poesis respuit, a luxuriante ingenio abhorrent.

VAR. 41. *Et primævus..... Jupiter* conj. Britan. coll. verbis Claudiani: *Talis ab Idæis primævus Jupiter antris Possessi stetit arce poli.* Annotatio Hein. est hæc: « Vocem *privatus* corruptam esse statuunt Burmannus primus et secundus ad Prop. III, 1, 27, quorum ille conjecit *Et vagiret adhuc*, hic autem *nutritus* vel *lactatus*, fortasse quia Jovem puerulum adhuc in Idæis antris vix *privatum* dici potuisse putabant. Sed hanc vocem non nimis premendam esse puto; nil dicere voluit poeta, nisi Jovem nondum regnasse. »

NOT. 40, 41. *Tunc*, *quum adhuc Jupiter*, quo regnante argentea fuit ætas, *privatus*, regno nondum paterno potitus, aleretur in *Idæis antris*, neque jam uxorem duxisset *Junonem*. Conf. VI, 14—16. — *Antris Idæis*, Idæ, montis Cretensis. Fuere tamen, qui Jovem in Ida, Phrygiæ monte, natum educatumque traderent, postquam confusæ fabulæ Cretenses et Phrygiæ. [1]

NOT. 42—45. Tum vita deorum a poetis nondum ad heroum vitam accommodata erat, nec tam luxuriosa etiam efficta, vel jucunda et otiosa, ut Saliarem in modum quotidie epularentur. Poetæ fabulantur, quod vel tironibus notum est, convivia a diis heroum more agi, iisque *ad cyathos*, a poculis, οἰνοχόους esse (ut apud Prop. IV, 8, 37, et Hor. Od. I, 29, 8, ubi vid. Mitscherl.), *puerum Iliacum*, Ganymeden, pulcherrimum, juvenem filiumque Trois, vel Erichtonii, vel Assaraci, vel Ili, regum Trojanorum, *et formosam Herculis uxorem*, Heben.

VAR. 44. *Et jam* pro *etiam* revocavi ex 23, 25, 45—50, 55—60, 62, 65—69, 71—77. Vetus scholion est: *etiam exsiccato fæculento, aut liquefacto*. Inde Schurzfl. hæc notavit: « Schol. forte *saccato* legit. Glossæ: *sacco*, *exprimo*, *decolo*. In utribus habebant olim vina. Decolatis igitur exinde fæcibus brachia, tanquam oleo aliquo, unxisse Vulcanum ait poeta. » Præstiterit *nec jam*, vel potius *aut jam* ad cyathos erat, *libato nectare tendens*, etc. vid. Comm.

NOT. 44, 45. Verba explicatu difficillima, nec a quoquam interpretum intellecta: [2] quæ hæc sensu capio: *Nec puer Iliacus ad cyathos* (erat,

[1] Vid. Passerat. ad Prop. III, 1, 27, et Heyn. ad Apollod. I, 1, 1, extr. pag. 15, 16, ed. rec. pag. 7.

[2] Hæc verba varie interpretantur, vel: nondum Vulcanus, post haustum in cælo nectar detersisque brachiis, revertebatur ad officinam Liparæam; vel, nondum Vulcanus brachia de-

vel *quum nec.... esset*), *nec Herculis uxor et Vulcanus*, pocillator deorum, ex officina *Liparæa* arcessitus, fumo niger, et hinc *brachia* e fornace et camino *nigra tergens*, sibi detergens, quum in eo esset, ut porrigeret diis pocula, *nectare*, vino deorum, more olim solito, *jam siccato*, exhausto, ex crateribus, majoribus vasis in abaco positis, et in *cyathos*, minora pocula, infuso. Conf. ad V, 47. Nam Juvenalis respexit locum Homer. Iliad. I, 597 seq. ubi Vulcanus

Αὐτὰρ ὁ τοῖς ἄλλοισι θεοῖς ἐνδέξια πᾶσιν
Ὠινοχόει, γλυκὺ νέκταρ ἀπὸ κρητῆρος ἀφύσσων.

(Ut h. loc. *siccato nectare*, et apud Homer. Od. IX, 9, 10.

..... Μέθυ δ' ἐκ κρητῆρος ἀφύσσων
Οἰνοχόος φορέῃσι καὶ ἐγχείῃ δεπάεσσιν).
Ἄσβεστος δ' ἄρ' ἐνῶρτο γέλως μακάρεσσι θεοῖσιν,
Ὡς ἴδον Ἥφαιστον διὰ δώματα ποιπνύοντα.

Notavit simul discrimen insigne illorum pincernarum, e quibus duo fuere *formosissimi*, Ganymedes et Hebe, tertius vero deformis, Vulcanus claudus et fumo *niger*, nec sine irrisione deorum et pocillatoris. Conf. X, 130 seq. et V, 52—62, ibique not. Verba tamen *siccato nectare* paullo durius sic dicta, et lectio vulgaris emendanda videtur. Olim suspicabar legendum esse : *nec jam*, vel potius, *aut jam* (ut mox vs. 50) scil. ad cyathos erat, seu quum esset *siccato nectare tendens* (extendens, protendens) *Brachia Vulcanus*, scilic. quum pocula diis porrigeret. Has conjecturas, quarum me nondum pœnitet, reprobavit *Heinecke*, cujus nota est : « Post *neque* disjunctivas particulas *aut*, *vel*, etc. negandi vim habere, nullo modo autem *et*, *ac*, *que*, docere studet Bentl. ad Horat. Epod. 16, 6, et Serm. I, 6, 68, cum quo facit Ruhnken. ad Vellei. II, 45. Sed vid. (præter Burm. ad Ovid. Met. III, 492; Ern. ad Tac. Ann. I, 32; Johnson. et al.) summum Wolfium acute pro more suo de his disputantem ad Tac. Ann. I, 32. Mox in iis, quæ sequuntur, mendum esse puto; ea certe, quæ interpretes attulere, nauci non sunt. Ipse nihil, quod satisfaciat, extundere potui. Quid dicamus vero de conjectura *tendens?* Quomodo Vulcanus pocula porrigere potuit *siccato nectare?* » Potuit omnino, si verba *siccato nectare* eo quo supra dixi, et ad V, 47, sensu acceperis;



tergens, deorum accumbebat mensæ, et nectar potabat; vel, nondum erat Vulcanus faber deorum, qui jam post remotas epulas et mensam, ubi nectar exhausit, surgit, manus *tergens*, aqua lavans, aut potius madefaciens et irrigans nectare epoto; vel denique, nondum Vulcanus in officina Liparæa epotum nectar nigro brachio ab ore detersit. Ceterum omnia plana esse, et facilia dicit Ach. in hoc sensu : *et quum nondum Vulcanus, tergens brachia nigra* fuligine tabernæ; *et jam siccato nectare*, exhausto prius poculo nectaris pleno, *ad cyathos* adhuc esset.

quem, etsi præfracte eum defendere nolim, probabilem certe faciunt ea, quæ notavi. Nihil vero difficultatis et plus salis h. loc. inerit, si reposueris: *libato nectare tendens*, etc. Ita Vulcano non tantum pincernæ, et quidem nigri, partes tribuuntur, sed etiam prægustatoris, qui vina convivis porrigenda *libat*, vel *delibat*, hoc est, antea et primus vel leviter, et primoribus labris gustat, prægustat, προγεύεται; vid. ad VI, 633. Pro *libato* a librariis facile substitui poterat *siccato*. Utrum itaque, vel nulla opus sit medicina, vel lenior meliorque adhiberi possit, judicent me acutiores. Comparandus autem est locus similis, et facetiarum plenus Luciani in Dial. Deorum, V, c. 4, et 3. ΖΕΥΣ. Τὸν Ἥφαιστον ἔδει τὸν σὸν υἱὸν οἰνοχεῖν ἡμῖν χωλεύοντα, ἐκ τῆς καμίνου ἥκοντα, ἔτι τῶν σπινθήρων ἀνάπλεων, ἄρτι τὴν πυράγραν ἀποτιθέμενον, καὶ ἀπ' ἐκείνων αὐτῶν τῶν δακτύλων λαμβάνειν ἡμᾶς τὴν κύλικα καὶ ἐπισπασαμένους φιλῆσαι μεταξὺ, ὃν οὐδ' ἂν ἡ μήτηρ σὺ ἡδέως φιλήσειας, ὑπὸ τῆς ἀσβόλου κατῃθαλωμένον τὸ πρόσωπον. Ἡδέως ταῦτα· οὐ γὰρ καὶ παρὰ πολὺ ὁ οἰνοχόος ἐκεῖνος ἐμπρέπει τῷ συμποσίῳ τῶν θεῶν· ὁ Γανυμήδης δὲ καταπεμπτέος αὖθις ἐς τὴν Ἴδην· καθαρὸς γὰρ καὶ ῥοδοδάκτυλος, καὶ ἐπισταμένως ὀρέγει τὸ ἔκπωμα καὶ, ὅ σε λυπεῖ μάλιστα, καὶ φιλεῖ ἥδιον τοῦ νέκταρος. ΗΡΑ. Νῦν καὶ χωλὸς, ὦ Ζεῦ, ὁ Ἥφαιστος, καὶ οἱ δάκτυλοι αὐτοῦ ἀνάξιοι τῆς σῆς κύλικος, καὶ ἀσβόλου μεστός ἐστι, καὶ ναυτιᾷς ὁρῶν αὐτὸν, ἐξότου τὸν καλὸν κομήτην τοῦτον ἡ Ἴδη ἀνέθρεψε· πάλαι δὲ οὐχ ἑώρας ταῦτα, οὐδ' οἱ σπινθῆρες, οὐδ' ἡ κάμινος ἀπέτρεπόν σε μὴ οὐχὶ πίνειν παρ' αὐτοῦ. ΖΕΥΣ. Εἰ ἄχθῃ παρὰ παιδὸς ὡραίου δεχομένη τὸ ἔκπωμα, σοὶ μὲν ὁ υἱὸς οἰνοχοείτω· σὺ δὲ, ὦ Γανύμηδες, ἐμοὶ μόνῳ ἀναδίδου τὴν κύλικα, etc.

NOT. 45. *Vulcani* et Cyclopum *taberna*, seu officina a poetis collocatur in iis locis, quæ ignibus subterraneis ardent, præcipue in Ætna, Lemno, insulis Æoliis seu Vulcaniis circa Siciliam, earumque potissimum maxima, *Lipara*.[1] — Alii in alias sententias abeunt interpretes; plurimas jam retulit *Ruperti*, quibus ego quasdam subjiciam. Ipse, quem sequimur, editor Goettingensis ad finem operis sui hanc notam addidit: «*Brachia tergens*, detergens fuliginem sudoremque. Conf. Luciani Dial. Deorum, XV, 1, ubi Vulcanum dicit ἱδρῶτι ῥεόμενον, εἰς τὴν κάμινον ἐπικεκυφότα, πολλὴν αἰθάλην ἐπὶ τοῦ προσώπου ἔχοντα.» Recens apud nos Juvenalis interpres, clar. *Baillot*, vult *siccato nectare* intelligi Vulcanum, quia claudus erat, et ideo non pedibus celer, aliquando ad convivia deorum tardius advenire, quum jam calices epoti sunt, nectarque exhaustum. *Crammer* autem dubitat an interpp. ceperint mentem satirici, qui post multas multorum interpretationes et conject. etiamnum majorem opem exspectare videtur. Itaque et ipse locum tentat, legendo: *et non*, *siccato nectare*, *torquens brachia*, vel *tollens*, hac sententia: «quum necdum Vulcanus

[1] Vid. Heyn. ad Virg. Æneid. VIII, 416 seq. (nost. edit. t. III, p. 437, 438. Ed.); Spanhem. ad Callim. H. in Dian. vs. 47, et Koeppen. ad Homer. Iliad. α, 594. Conf. supra ad I, 8, et X, 132.

epoto in deorum conviviis nectare, mox nigra brachia movet in taberna Liparea. » Ed.

Not. 46. *Prandebat quisque deus sibi,* privatim, solus; nondum enim luxuriosi erant. [1]

Not. 47 seq. Πολυθεΐα, a poetis efficta, lepide irridetur. Conf. Plin. II, 7, et Cic. de Nat. Deor. passim.

Not. 48. Conf. Wernsdorf. Poet. min. tom. III, pag. 56; nostr. edit. tom. II, pag. 113. Ed. — *Miserum*, bene, ob gravitatem ponderis.

Var. 49. *Necdum*, 21.

Var. 50. *Pluto*, 16, 17, 18, 22, 23, 24, 64. *Pluton*, Πλούτων, dicitur Virg. Æneid. VII, 327; Claud. R. P. I, 276 al.

Not. 49, 50. Nondum aliquis poeta commentus erat, Saturni filios, Jovem, Neptunum et Plutonem de mundi imperio *sortitos* esse. — *Imperium profundi*, maris (non inferorum), *triste*, ob tempestates, in mari sævientes, quæ tot calamitatum caussæ sunt. — *Pluton*, Πλούτων, *torvus*, sævus, durus, inexorabilis,

. . . . Ἀΐδης ἀμείλιχος ἠδ' ἀδάμαστος.
Τοὔνεκα καί τε βροτοῖσι θεῶν ἔχθιστος ἁπάντων,

Hom. Iliad. IX, 158, 159. — *Cum conjuge Sicula*, Proserpina, in Sicilia nata et rapta a Plutone juxta Hennam, unde et *Hennæa* dicitur. De Proserpina, vid. *Creuzer's Symbolik*, tom. IV, pag. 344 seq.

Var. 52. *Legibus*, 24.

Not. 51, 52. Conf. ad II, 149 seq. Nondum aliquis poeta fabulose multa tradiderat de inferis et pœnis ibi luendis, verb. caus. de *rota* Ixionis, de *Furiis*, de *saxo* Sisyphi et de *vulture atro*, jecur Tityi et Promethei depascente; neque etiam de *regibus* judicibusque *infernis*, de Plutone, Minoe, Æaco, Rhadamantho, Triptolemo : nam his non opus erat, quum scelera ne nota quidem essent, nedum admitterentur, neque talia in mentem veniebant hominibus, quorum et vita et religio simplicissima erat.

Not. 53. *Improbitas*, exemplum improbitatis, *illo ævo*, quod poetæ aureum dixerunt sæculum, *admirabilis*, inusitata et inaudita, *fuit*, ut nunc probitas, de quo vid. mox vs. 61 seq.

Var. 54. *Quod* pro *hoc*, 13, 17, 19, 20, 21, 23, 24, 27, 45, 49, 54, 55, et XXXIII Codd. Paris. Id recepit Ach. *quoque* pro *hoc*, 22.



[1] Henninius putabat, deorum delicias scoptice exagitari, quasi qui bis de die saturarentur, quod Plato in Epist. ad Diogen. et Cic. Tusc. Quæst. V, in Italis Siculisque mensis improbaverint. Sed poeta potius communia deorum convivia ridet, et *prandere* hoc loco est idem quod cœnare; hæc autem verba opponuntur vers. 42 seq.

VAR. 55. *Adsurrexerit*, 21, 22, 24.

NOT. 55 seq. De antiquissima hac honoris testificatione et veneratione majorum natu vid. Heyn. ad Virg. Eclog. VI, 66; Koenig. ad Claudian. XXI, 48 (*cedentes spoliis assurgentesque videbas*); Intpp. Gell. II, 15, et inpr. Klotz. ad Tyrt. pag. 139.

VAR. 56. *Quicumque*, 21 a m. pr. — *Ille*, 22.

NOT. 56. *Barbato*, non viro tantum, sed etiam juveni, cui *prima lanugo* erat. Conf. vs. 59. — *Licet ipse* puer *videret plura domi fraga*, etc. hoc est, quamvis ditior esset. — *Fraga* autem et *glandes* primi hominum cibi erant solæque divitiæ. Conf. VI, 10; Plin. XVI, 3, et 5; XVIII, 7, et 8; XXI, 15.

VAR. 57. *Fraga*, 1, 14, 18, 21 a m. pr. 23, 24, 48, 59, 70, 75, 76, 77, et quidam Codd. Paris. in his Alex. *Arva*, 44 b. 83, 84. *Farra*, 10—13, 15, 16, 17, 19, 29, 21 a m. sec. 22, 25, 26, 27, 45, 46, 47, 49, 50, 54—58, 60—69, 71—74, et plerique Codd. Paris. prob. Autumno, quia *fragorum acervus* custodiri non possit (!); nec improb. Farnab. quod Juvenalis respexisse videatur Ovid. Met. V, 131. Sed aurea ætate homines solis arborum fructibus atque herbis victitasse, jam alii monuere. — *Majoris*, 15, 17.

NOT. 58, 59. Dodwell. in Anal. Quintil. pag. 79 et 136. « *Prima*, inquit, adolescentiæ barbatæ *lanugo* ab anno censebatur ætatis XVIII, eoque, ut videtur, expleto. Hoc nos docet h. loc. Juvenalis, quum *barbatum* suum, quem *puero* opponit, *quatuor* duntaxat *annis* puero majorem agnoscit, et prima tantummodo lanugine vestitum. Ita *prima lanugo* in annum XVIII expletum convenerit, quum etiam *pueritia* in anno XIV similiter expleto terminata fuerit. Inde *barbatuli juvenes* (Cic. ad Att. I, 14) appellabantur ad illum usque annum, ut videtur, quo *barbam primam radebant*, ætatis scilicet XXI. Hanc *pubertati plenæ* ætatem constituunt JCti (Dig. L. I, tit. 7, lib. 40, 1; L. XXXIV, tit. 1), usque a temporibus Hadriani. Nec id immerito, etiam pro sententia veterum, etc. — *Venerabile* fuit *præcedere quatuor annis :* ita nimirum, ut *parem* aliquatenus reverentiam illam agnoscat poeta, quæ a pueris primæ juvenum lanugini dari solebat et ætati barbatæ; utrobique enim pariter *adsurgebant*, proinde aliam illam, nec suæ æqualem, ætatem agnoscentes. » Conf. ad VI, 105.

VAR. 59. *Pars* quidam, probb. Ascensio et Lubino, ut sensus sit: tam venerabilis erat lanugo, quæ prima est pars vel initium senectæ.

NOT. 59. *Primæ lanugini*, adolescentis, etsi adhuc imberbibus, idem *adeo* honor habebatur a pueris, qui *sacræ*, venerandæ, *senectæ*, senibus, veneratione dignis, a juvenibus. — *Prima lanugo*, ut ἴουλος, et in Luciani Amor. c. 10, μέχρι τοῦ πρῶτον ὑπογραφέντος αὐτοῖς χνοῦ. Conf. clar. *Boissonade* ad Herodiani Partitt. pag. 43, et ad Nicet. pag. 101, ubi et hæc

adnotavit : « ex vs. 55, 56 patet, *par* qui sit intelligendum. Cod. Thuan. habet *pars*, quod neutiquam malim, posset tamen defendi, debuisset saltem ab Ach. non prætermitti. »

Not. 60, 70. Nostris temporibus fides et probitas portento miraculoque similes sunt. — *Depositum* dicitur, quodcumque deponitur apud aliquem eique adservandum traditur.

Var. 61. *Veteres... folles*, 21.

Not. 61. *Follem*, saccum, crumenam (ut XIV, 281; Veget. II, 20; Plaut. Aul. II, 4, 23, *veterem*, dudum sibi commissum, *cum tota ærugine*, cum omni pecunia, quæ fuit in eo et præ vetustate ac situ jam æruginem contraxit. Æris vitium *ærugo* dicitur, ferri *robigo*, seu *rubigo*, Schol.

Var. 62. *Tabellis*, 10, 16, 20, 23—27, 45—48, 50, 56—59, 64—67, et XII MSS. Paris.

Var. 63. *Coronanda*, 19.

Not. 62, 63. Ejusmodi *fides* nunc *digna* videtur, quæ, prodigii instar, in *libellis Tuscis*, hoc est, haruspicum, notetur, et ex horum prescripto expietur lustreturve *agna* aliave victima iratis diis cæsa. Haruspicina, quæ jam Pelasgis in usu fuit, ab Etruscis maxime exculta est, et ab iis ad Romanos pervenit : unde *Tusci libelli*, ut *libri Etruscorum* apud. Cicer. de Div. II, 23, et *Etruscæ disciplinæ volumina*, apud Plin. II, 83, seu 85. — *Coronata agna* : nam victimæ et vittis, et sertis floribusque ornabantur.

Not. 64—70. *Egregii sanctique viri* exemplum nunc tam rarum est, ut simile sit *monstro*, quale est *bimembris puer*, etc. Cicero de Div. II, 28 : «Si, inquit, quod raro fit, id portentum putandum est, sapientem esse, portentum est : sæpius enim mulam peperisse arbitror, quam sapientem fuisse.» — *Monstrum*, insolita species; vid. ad II, 122, 124. Poeta autem paullo prolixior h. loc. videri potest in recensendis variis *monstris*, ostentis, prodigiis portentisque vs. 65—20. De horum aliorumque generibus ac caussis vid. Heyn. Opusc. Acad. tom. III, pag. 198—215, et 255—274. — *Bimembri puero*, duplicia vel hominis animalisque membra habenti, partui monstroso. Conf. Liv. XXVII, 11, et XLI, 26; Heyn. loc. laud. pag. 271, 272. *Piscibus inventis sub miranti* (vid. Var. Lect.) *aratro* terram scindente. Conf. Liv. XLII, 2; Strab. XII; Plin. IX, 57, seu 83, ibique Hard.

Var. 65. *Ut*, 17, 21, 49, 55, et Cod. quidam Pith. — *Aut* restitui ex 11, 15, 23, *et* 10, 12, 16, 17, 19—22, 24—27, 45—50, 54—69, 71—74. *Vel*, 14, 18, 70, 75, 76, 77, 82. Haud dubie id substitutum ab iis, qui hiatum, Juvenali familiarem, non concoquebant; vid. supra ad I, 151. — *Miranti* revocavi ex 10—13, 16, 17, 19—27, 45—50, 54—69, 71—74, Cod. quodam

Pith. et omnibus fere MSS. Paris. Nam præclare sic summum adumbratur monstrum, cujus novitatem ipsum aratrum mirari fingitur, et more poetarum sensus tribuitur rei inanimatæ. *Aut miranti sub aratro,* 11, 23. *Et miranti sub aratro*, 16, 17, 19—22, 24, 45, 46. *Et miranti jam sub aratro*, 10, 12, 25, 27, 47—50, 54—69, 71—74. Sed *jam* insertum ob metum laborantis metri, qui vanus est. *Aut mirantis jam*, 15. *Pueroque miranti*, 13. *Puero admiranti* Cod. quidam Pith. *Mirandis*, 1, 14, 18, 70, 75, 76, 77, 81, 82, et nonnulli Codd. Paris. probante Schurzfleisch. qui monet, *pisces mirandos* dici, ut infra vs. 70. *gurgites miros*, quod inter θαυμάσια ἀκούσματα referantur. Sed nostra lectio longe venustior est, hæc emendationem sapit et quidem ineptam : non enim *pisces* sunt *mirandi*, sed mirandum est, quod *sub aratro inventi* sint. *Vel liranti sub aratro* ingeniose emend. Gatak. ad Antonin. pag. 253, et *Dusaulx* coll. Varr. R. R. I, 29, *tertio quum arant jacto semine*, *boves* lirare *dicuntur*.

Var. 66. *Fetæ* scripsi pro *fœtæ;* vid. ad XI, 40.

Not. 66. *Mulæ fetæ* exemplum rarissimum quidem (unde et proverbii loco dicebatur *quum mula pepererit*, verb. caus. Suet. Galb. cap. 4), sed non omnino negandum. [1]

Not. 67. *Lapidei imbris* crebra fit mentio apud Livium, verb. caus. I, 31; VII, 28; XXI, 62; XXII, 36; XXIII, 31; XXV, 7 al. Conf. Plin. II, 58; XXXI, 1, et de caussa hujus prodigii, a violentis ventis repetenda, qui lapides in altum sublatos iterum in terram (vel de montibus quoque) dejecerint, Heyn. loc. laud. pag. 212, 213.

Var. 68. *Examenve* pro *examenque* legendum semper putavi, et nunc recepi ex 11.

Not. 68. *Examen apum* in pendentis *uvæ* speciem (βοτρυδὸν Homer. Iliad. II, 89) *considens in culmine delubri* domusque, vel in arbore, foro, castris signisque militaribus, sæpius in dira refertur omina. Conf. intpp. Sil. VII, 64 seq. Virg. Georg. IV, 554 seq. et Æneid. VII, 64 seq. Harduin. ad Plin. XI, 17, et Drak. ad Liv. IV, 33. — *Apium* pro *apum*. [2]

Var. 69. *Delubrum*, 11, quod pro *delubrorum* positum suspicabatur Schurzfleisch.

Var. 70. *Gurgitibus niveis*, vel *nigris* conj. Schrader. et *rubris* cel. Jacobs. qui hæc adnotavit: «Vulgatam forte defendas ex Virg. Georg. I, 477. Juvenalis tamen antitheses captandi consuetudo efficit, ut existimem, pro *miris* signifi-

[1] Conf. Liv. XXXVII, 3, Aristot. Anim. VI, 24; Plut. Plac. philosoph. V, 14; Harduin. ad Plin. VIII, 44, seu 69; Spallanzani Memorie sopra i muli. Modenæ, 1768, 8, et Bochart. Hieroz. I, 2, 20.

[2] Vid. ad Sil. loc. cit. et Ernesti ad Tac. Ann. XII, 61.

cautius olim vocabulum fuisse positum. Inter prodigia, quæ Cæsaris mortem portendebant, puteos fluviosque cruorem manantes laudant Virg. Georg. I, 485; Cic. de Div. II, 27, et Dio LXII, 1, pag. 1002.» His vero non opus esse conjecturis, quum *gurgites miri* sint inusitati, qui hominibus admirationem timoremque injiciant, monet Hein. — *Aut lactis* præstiterit. Ita quoque legendum censet Jacobs. — *Vertice*, 12, 21, 22; vid. ad VI, 524.

Not. 69, 70. *Amnes* passim memorantur *fluxisse gurgitibus miris*, portentosis, hoc est, sanguineis (conf. Var. Lect.), aut *vortice lactis*, aquis scil. a soli cretacei aut argillacei, aut ferruginei contagione albescentibus, aut rubescentibus, aut nigrescentibus. Conf. Heyn. Opusc. Acad. tom. III, pag. 265, 266; Liv. XXII, 1; XXIV, 19, 44; XXVI, 23; XXXIV, 45; Plin. II, 56. — *Gurgitibus* et *vortice* poet. pro aquis. Grangæus *gurgites miros* referebat ad nimiam vim aquarum, quæ religionem fecerit.

Not. 71 seq. Infortunium tuum neque insolens est impio hoc sæculo, neque magnum, si comparetur cum iis, quæ passi sunt alii.

Ἅπαντα γὰρ τὰ μείζον' ἢ πέπονθέ τις
Ἀτυχήματ' ἄλλοις γεγονότ' ἐννοούμενος,
Τὰς αὐτὸς αὑτοῦ συμφορὰς ῥᾷον φέρει·

Timocles apud Athen. VI, 1, (2), pag. 223. — *Fraude sacrilega*, scelerata, improba, quæ scil. perfidia et perjurio amici fiebat.

Var. 73. *Ille*, 12, 15, 16, 17, 19—24, 27 a m. sec. 45, et omnes Codd. Paris. e quibus illud restituit Achaint. *Illo*, 25, 27 a m. pr. 47, 48, 56—60, 64, 65.

Not. 73. *Arcana*, hoc est, sestertia arcano seu secreto apud aliquem deposita, ejusque fidei clam, sine testibus, commissa.

Var. 74. *Partem*, 77. — *Ceperit*, 23.

Not. 74. *Patulæ*, amplæ.

Var. 75. *Est* non exstat in 24.

Not. 75 seq. Apta improbitatis imago et simul irrisio theologiæ veterum vel doctrinæ de diis, quos vel minus hominibus metuendos esse poeta docet. Lucianus Timon. c. 2 seq. Θᾶττον, inquit, τῶν ἐπιορκεῖν τις ἐπιχειρούντων ἕωλον θρυαλλίδα φοβηθείη ἄν, ἢ τὴν τοῦ πανδαμάτορος κεραυνοῦ φλόγα, etc.

Var. 76. *Sciet*, 16.

Not. 77. *Neget* depositum amicus tuus.

Not. 78. *Fulmina Tarpeia*, hoc est, Tarpeii seu Capitolini Jovis.

Not. 79. *Frameam* gladium fuisse docent Isidorus et August. Ep. 120, cap. 16, sed hastam Tac. Germ. cap. 6, ubi vid. Lips. *Cirrhæus vates*, μάντις, ut *Delius vates* apud Virg. Æneid. VI, 12. Apollo Delphicus, sic

dictus a *Cirrha*, Phocidis oppido et navali Delphorum, quod inde pro ipsis Delphis ponitur. Ei *spicula* et arcum dari, notissima res est.

Not. 80. Conf. Tibull. I, 4, 25. — *Calamos*, sagittas. — *Puella venatrix* est Ἄρτεμις ἀγροτέρα.

Var. 81. *Ægei* al. etiam Hennin. Sed *Ægeus*, Αἰγεύς, Thesei pater, a quibusdam Pandionis II., ab aliis Scyrii, ab aliis Phemii (vid. Heyn. ad Apollod. pag. 871 sqq.), a nemine vero, quod sciam, Neptuni filius editur. Eum quidem in mare Ægeum se præcipitasse eique dedisse nomen, fabulantur Diodor. IV, 62, 63; Pausan. I, 22, 5, et Hygin. f. 43, non vero, eum propterea filium Neptuni creditum esse, quod nonnulli suspicantur. Illud quoque mare non Αἰγεῖον, sed Αἰγαῖον dicitur. Fac tamen, *Neptunum* etiam *Ægei patrem* esse editum, hæc appellatio Dei, cui a poetis multi tribuuntur filii, admodum h. l. jejuna est, ne quid gravius dicam. Multo exquisitior vulgata lectio *Ægæi*, a nobis restituta, quæ etiam in plerisque certe Codd. MSS. reperiretur, nisi hi diphthongos respuerent; vid. Comm.

Not. 81. *Tridens* insigne Neptuni, quod tamen et Nereo tribuitur a Virg. Æneid. II, 418. — *Neptunus* docte dicitur *pater Ægæi* seu maris (ut apud Horat. Od. II, 16, 2, et Virg. Æneid. XII, 366), quoniam in eo præcipua illius sedes est, unde et ipse *Ægæus* vocatur. vid. intpp. Virg. Æneid. III, 74. Cur vero *pater* maris appelletur, vid. ad VI, 394.

Var. 82. *Addidit*, 16, 23.

Not. 82. *Herculis arcus* et sagittæ fatales ac Philocteti dono datæ; quod vel ex Hygini fab. 102, notum.

Not. 83. *Armamentaria cæli* facete dicuntur.

Var. 84. *Si verum pater*, 24. — *Et* abest a 15, 24, 25, 27, 46, 47, 49, 54—58, 60, 64, 65.

Not. 84—85. Non tantum *jurabit per caput filii*, ut solebant patres, sed, quod horribilius, se, Thyestæ exemplo, manducaturum filii sinciput adseverat; Grang. *Comedam*, scil. si mentior. — *Sinciput flebile nati*, hoc est, flebilis, miserandi nati, ut *sinciput miserabile* apud Sidon. V, 418. *Sinciput* totum caput, ut apud Plaut. Men. III, 2, 41; IV, 2, 69, al. etsi proprie vel dimidiam ejus partem (quasi *semicaput*), vel priorem ita dici putant. — *Aceto*, condimento capitis. — *Phario*, Ægyptio : nam *Pharos*, parva Ægypti insula de qua vid. supra ad VI, 83, totam passim Ægyptum designat. Ægyptum autem *acetum* laudant Martial. XIII, 122, et Athenæus II, 26, seu 66 (κάλλιστον δ' ὄξος εἶναι, φησὶ Χρύσιππος ὁ φιλόσοφος, τό τε Αἰγύπτιον καὶ τὸ Κνίδιον.)

Var. 86. *Sunt, qui in Fortunæ jam casibus*, 10, 12, 17, 19—22, 24—27, 45—47, 49, 50, 54—69, 71—74, 77, et XXX MSS. Paris. prob. Ach. cujus nota est : « Hanc lectionem nostram fecimus, etsi aliter euphonia postulat,

propterea quod non inutile prorsus nobis visum est τὸ *jam*, hoc est, ea etiam ætate. Nam a Lucretio Epicureorum doctrina, qua omnis providentia deorum tollitur, tantopere invaluerat, ut pars altera Romanorum ei sectæ fuerit addicta, altera sectæ Stoicorum, pauci Academicorum, quos notat vs. 90 seq.» *Sunt qui Fortunæ jam casibus*, 16, 23, et quidam Codd. Paris. *Sunt, qui Fortunæ sub casibus*, 13. *Sunt qui Fortunæ jam lapsibus*, 30. — *Ponunt*, 10—13, 15, 16, 45, 50, 60—63, 65, 68, 69, 71—74, 77. Sic et mox vs. 87. *Cedunt*, 10, 11, 12, 15, 16, 22, 25, 27, 45, 46, 47, 49, 50, 54—58, 60—64, 65, 68, 69, 71—74, 77. At vid. supra ad XII, 101.

Anal. 86—119. Causæ memorantur, cur multi homines pejerare non dubitent.

Not. 86—88. Notæ sunt sententiæ veterum philosophorum, qui deos vel esse, vel, ut Epicurei, res humanas curare negabant, quique Naturam credebant vel nihil aliud quam Deum, vel ab eo diversam esse. Conf. quos jam alii laudarunt, Plin. II, 7; Senec. de Provid.; Cic. de Nat. Deor.; Plut. de Plac. Philos. I, et inpr. Barth. ad Claudian. in Rufin. I, 1 seq. pag. 1077—1094. De antiquorum vero philosophorum theologia accuratius disputarunt *Tiedemann*, *Meiners*, *Buhle* et *Tennemann*. — *Omnia ponant*, omnes res humanas contineri existiment.

Not. 87. *Moveri*, gubernari.

Not. 88. *Natura volvente vices*, moderante vicissitudines, ut apud Virg. Æneid. III, 376, et Claudian. in Rufin. I, 6, ubi vid. Barth.

Var. 89. *Atque ergo*, 11.

Not. 89. *Altaria tangunt*, qui vel precantur, vel jurant. Confer. ad XIV, 219.

Anal. 90—105. Præclare perjurorum animus adumbratur.

Var. 91. *At pejerat*, 16.

Not. 93. Perjuri ab ipsis Diis pœna et plerumque quidem præsenti, inpr. cæcitate, mulctari credebantur et ab Iside. Conf. Ovid. Amor. III, 3, 1, 2, et ex Ponto I, 1, 51 seq. Apul. Met. VIII, pag. 213, 9, ed. Elm. Jacobs. ad Anthol. Gr. vol. II; part. II, pag. 466, et *Jablonski* Panth. Ægypt. tom. I, pag. 111, 112, ubi monet, magnam semper fuisse et esse hodie in Ægypto cæcorum multitudinem, hanc vero cæcitatem a superstitiosis hominibus Isidis iræ, non naturalibus causis, tribui. Idem de hac dea copiose egit ibid. tom. II, pag. 3 seq. — *Isidis* autem sacra e peregrinis maxime vigebant Romæ et superstitiosissime agebantur. Conf. ad VI, 525—541, XII, 28, et Heyn. ad Tibull. I, 3, 23 seq. Ad hanc vanam superstitionem perstringendam spectat mentio Isidis et *sistri*, quo *irata* dea *lumina*, oculos, excutere fingitur. *Sistrum* (*Isisklapper*) quo olim sacerdotes Isidis accinebant iis, qui mortem Osiridis lamentatione complorabant, erat æneum rotundumque crepitaculum, a σείεσθαι, concutere, sic dictum, in cujus parte superiore felis cum facie humana, in inferiore

Isis sculpta erat. Ejus « per angustam laminam, in modum baltei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ, crispante brachio tergeminos jactus, reddebant argutum sonorem, » ut utar verbis Apul. Metam. XI, pag. 258, 33.[1]

Not. 95. Aliæ pœnæ, quæ perjuris infliguntur ab iratis diis. — *Phthisis*, φθίσις, tabes lenta. — *Vomicæ putres*, ulcera putrida, apostemata, abscessus maligni puris pleni. *Sunt tanti* æstimanda, ut non eligantur cum opibus et patienter ferantur? « Melius est ægrotare cum divitiis, quam esse sanum pauperem, » Schol.

Var. 96. *Semper* pro *pauper*, 16.

Not. 96. *Podagram locupletem*, hoc est, quæ, vel si cum divitiis conjuncta est: non, quæ divitibus (immo luxuriosis) plerumque infesta et familiaris est. De podagra divitum pedibus insidiante conf. Martial. XII, 17; Luciani Epigr. XXVII, in Brunck. Anal. tom. II, pag. 313, et Jacobs. ad Anthol. Gr. Vol. II, part. II; pag. 427 seq. — *Ladas*, velox cursor, qualis fuit Ladas, cursor Alexandri Magni, qui in Olympicis palmam tulit; vid. intpp. Catull. LV, 25; Martial. II, 86; X, 100; Pausan. II, 19, 6; III, 21, 1; VIII, 12, 3; X, 23, 9. — *Si non eget Anticyra, nec Archigene*, facete pro, si sanus est, si sapit. *Anticyra* pro helleboro seu veratro, cujus præstantissimum genus nascebatur parabaturque Anticyræ, cuique vis stomachi ventrisque insanorum, delirorum, etc. purgandi inerat, inpr. ubi in illa urbe, vel insula bibebatur. Conf. Pers. IV, 16 (ubi vid. Füllebörn. pag. 88, 89) Horat. Sat. II, 3, 83, 166, et Art. Poet. 300, loc. class. Gell. XVII, 15, et Plin. XXV, 5, seu 21, ubi conf. Hard. *Anticyra*, Ἀντίκυρα (propr. Ἀντικιῤῥα, Cirrhæ adversa), nomen duarum urbium maritimarum in Phocide ad sinum Crissæum et in Phthiotide ad Maliacum sinum. Utrique hellebori proventus tribuitur, illi a Pausan. in loco classico, X, 36, huic a Stephano et Strabone, IX, pag. 288—299.

Var. 97. *Ne* restitui ex 2, 21, 25, 56—60, 62, 64, 66, 68, 69, 71—76, et nonnullis MSS. Paris. *Nec*, 1, 3, 5, 10, 11, 12, 14—20, 22, 23, 24, 27, 45—50, 54, 55, 61, 63, 65, 67, 70, 77, 82. *Non*, 11. Malim *Num dubitet*

[1] Vid. Plut. de Is. et Osir. cap. 63, Broekhus. et Heyn. ad Tibull. I, 3, 24; Isidor. Orig. II, 21; III, 13; Serv. ad Virg. Æneid. VIII, 696; Fabricii Antiquit. pag. 202; Schotti Obss. II, 6; intpp. Petron. 114, et Prop. III, 9, 43; Gruter. Inscript. pag. 82, n° 3 et 4 (ubi imago sistri expressa est); Oisel. Thes. num. tab. 47 et 117, et in Comm. pag. 566; Maffei. Gem. an. T. II, tom. I, 2, 3; Spon. ant. mon. Jablonski, loc. laud. Bachierii et Tollii Diss. in vol. VII; Thes. Græv. Fabretti Inscriptt. p. 467, 488; Böttigeri Sabina, pag. 204, 205; *Creuzer's Symbolik*, tom. I, pag. 335.

Ladas? — *Dubitat*, 3, 5, 10, 22, 23, 27, a m. p. *Dubitat*, vel *dubitet : laudas si*, etc. 2, 3, 5, 10, 11, 12, 15, 17, 19—22, 24—27, 45—49, 55—60, 65, 66, 67. *Laudes*, 16, 23. Sexcenties nomina propria sic corrupta.

Not. 98. *Archigene*, hoc est, medico, qui mediam pertundat venam, vid. ad VI, 46, et 236. — *Plantæ*, pedis.

Var. 99. *Præstet*, 16.

Not. 99. Quid Ladæ profuit, in stadio Olympico vincere et tamen esurire? *Pisææ*, Olympicæ: nam Pisa urbs Elidis in Peloponneso, ad Alpheum fluvium, ubi Olympici agebantur ludi eo loco, cui postea Olympiæ nomen fuit. Victores autem in Olympiis ludis, ὀλυμπιονῖκαι, non modo coronis *oleagineis* (vid. Pausan. V, 15, 3, et 16, 2 al.), sed etiam aliis muneribus honoribusque fere divinis afficiebantur. Conf. *Le Voyage du jeune Anacharsis en Grèce*, cap. 38. At tot honores et præmia non ab inopia tutos præstabant victores.

Anal. 100—105. Alia pejerantium effugia et perjurii causæ lepide memorantur.

Not. 100. Sententia notissima. Χρόνια μὲν τὰ τῶν θεῶν πως, εἰς τέλος δ᾽ οὐκ ἀσθενῆ Eurip. in Ione, 1615. Conf. Plut. de Sera num. vind., Plat. de Legg. X; Plin. II, 7; Valer. Max. I, 1 ext. 3; Heyn. ad Tibull. I, 9, 4; Kœnig ad Pers. II, 24 seq. et Mitscherl. ad Horat. Od. III, 2, 32. — *Ut*, quamvis.

Var. 101. *Curent*, 10. — Var. 102. *Veniet*, 45, 46, 47, 57, 58. — *Sed exorabile*, 19. *Sed explorabile*, 15. *Si et exorabile*, 11, unde Schurzfl. conj. *Siet!* (sit ita, fiat, ἐῤῥίφθω κύβος). *Exorabile numen*, etc. — Var. 103. *Is*, 45, 46, 47, 49.

Not. 103. *Fortasse experiar*. Omnia, inquit vetus Scholiastes, adverso fiunt fato; usque adeo ut in eodem crimine deprehensi, alter crucem mereatur, alter imperium. Ed. — *His*, ejusmodi delictis, *solet ignoscere*, quia plerumque non puniuntur, vel quia non ad Numinis contemptum, sed ad commodum pejerantis spectant.

Var. 105. *Pretium* vel *precium sceleris*, 10, 17, 19—22, 24, 27, 45—50, 54—69, 72—74.

Not. 105. Exempla suppeditabit historia omnium temporum. — *Crucem*, servile supplicium. — *Diadema*, regiam dignitatem, regnum. Conf. ad VIII, 259.

Var. 106. *Intrepidum*, 23.

Var. 107. *Confirmat*, 15, 27, 54, 58, 64. — *Avocantem*, 24.

Not. 107 seq. Egregie adumbratur perditorum hominum audacia. *Te ad delubra vocantem* eum, ut juret, *præcedit* talis homo, non sequitur,

immo paratus est *trahere* in jus te cunctantem *et vexare*, objurgare te velut sycophantam et calumniatorem. Sic φθάνει δέ τε καὶ τὸν ἄγοντα dixit Strato Epigr. XXVI in Brunck. Anal. tom. II, pag. 365. Mutatio numeri, *confirmant, præcedit*, etc., passim obvia est et affectui apta.

Var. 108. *Et vexare*, 10.

Not. 110. *Fiducia* innocentiæ.

Not. 110, 111. Conf. ad VIII, 186. *Urbani* non cognomen, sed epitheton scurræ, seu faceti hominis. Cf. Ernesti clav. Cic. ubi hæc notavit: « *Urbanitas* est virtus ingenii animique, qua eleganter possumus, ut homines in urbe liberaliter educati, de omnibus rebus judicare, neque aliquid inepti et absurdi dicimus et facimus, sed potius venuste et cum specie quadam liberali; estque hoc genus urbanitatis per totam vitam, orationem moresque fusum. Hinc *urbanus* elegans in omni judicio, dicto, facto, qui opponitur imperito seu absono, ut ἀστεῖος a Stoicis ἀμαθεῖ: deinde perpetuo Romæ vivens, aut otiose, aut causas in foro gerens, etc. denique facetus, dicax, quales fieri solent otiose Romæ viventes nihilque agentes, nisi ut in foro stent, etc. unde tandem pro scurra dici cœpit. » Conf. ad XVI, 25; Gron. ad Plaut. Trinum. I, 2, 165, et de Sestert. IV, 9; Scal. et Doer. ad Catull. XXII, 2, 9, 12, et Salmas. ad Poll. XXX tyr. pag. 316. — *Fugitivus scurra Catulli*, vid. ad VIII, 187.

Not. 112—113. Ridet poeta Homeri commenta. *Tu miser exclamas*, ut vs. 31, 32. *Vincere* clamore *Stentora* χαλκεόφωνον, ὃς τόσον αὐδήσασχ', ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα, Hom Il. V, 785. — *Gradivus*, Mars, *Homericus*, qualem Homerus effingit, Iliad. V, 859 seq.

...... ὁ δ' ἔβραχε χάλκεος Ἄρης
Ὅσσον τ' ἐννεάχιλοι ἐπίαχον ἢ δεκάχιλοι
Ἀνέρες ἐν πολέμῳ, ἔριδα ξυνάγοντες Ἄρηος,

Var. 114. *Committere*, 11, 13, 18, 21, 22, 60. *Emittere*, 28, 68.

Anal. 114—119. Facete increpatur ipse Jupiter ὅρκιος seu ὅρκων ταμίας et perjurii vindex, tamquam impotens et ignavum numen (ut Mars, II, 130, 131), simulque stultitia hominum, a quibus colantur dii, qui nec audire, nec videre et loqui possint, adeoque vita careant, quique instar hominum muneribus capiantur. Similis est lepos et sarcasmus Luciani in Timone, cap. 1—6. Conf. et Virg. Æneid. IV, 206 seq.

Not. 114 seq. Si audis, Jupiter, cur non *vocem mittis*, respondes? *video*, in statuis tuis *marmoreis æneisque* non plus vitæ inesse, quam in *statua Vagellii* seu *Bathylli*.

Var. 115. *Debueris*, 17, 20, 21, 22. *Deberes*, 11. — *Aenus*, 46, 48. — *Aheneus*, 13, 25, 49, 50, 57, 59—63, 66, 67, 68, 71, 72, 73, 77; vid. supra ad III, 285.

Not. 116, 117. Gravis objurgatio et apta religioni veterum, qui Deos

non tam benignos, quam sui commodi donorumque non minus, quam homines, cupidos fingebant, adeoque non precibus eos implorabant, sed votis, horumque exauditionem non ab illorum benignitate, sed grato beneficiorumque memori animo exspectabant. Hinc etiam in precum formulis dii sæpe munerum acceptorum admonebantur, verb. caus. apud Homer. Iliad. I, 39 seq. VIII, 240; Odyss. IV, 763 seq. XVII, 240 seq. Virg. Æneid. IX, 406 seq. — *Carbone*, ara in qua carbones incensi; non acerra : nam *jecur* etiam et *omenta* dicuntur imposita. — *Charta*, in qua thus involutum, *thuris piperisque cucullus* apud Martial. III, 2, 5, *soluta*, aperta, ut thus effunderetur. Conf. Ovid. Ep. Her. XI, 4. — *Pia thura*, quæ pietatem in deos testantur, ut apud Sil. IV, 794; Virg. Æneid. IV, 637; V, 745, et al.

Not. 117. *Jecur*, præcipuam extorum partem. — *Sectum*, resectum a ceteris extis. Alii interpretantur minutatim sectum, forte ut facilius comburatur. — *Omentum*, panniculus seu membrana tenuis, ventriculo pulvinaris instar intrata et intestina involvens (Gr. ἐπίπλοον, Germ. *Netz*); deinde intestina molliora; denique adeps, ut forte h. l. et κνίσση vel δημὸς apud Homer. Iliad. I, 460, et VIII, 240. — *Alba* e natura adipis; vel albi porci.

Var. 118. *Est* non exstat in 18.

Var. 119. *Vagelli*, 1, 14, 70, 75, 76, 82, et IV MSS. Paris. Vetus scholion est : *qui, ut vos, stultissimus accepit statuam*. Designatur forte idem *Vagellius* Mutinensis et declamator, cui mulinum cor tribuitur infra XVI, 23. *Bacilli*, 10, 11, 16, 17, 19, 20, 21, 29, 45. *Batilæ*, 23. *Bathulli*, 15. *Batilli*, 18, 22, 24—27, 46—49, 54, 55, 57, 58, 61—64, 65 (Paris. 1512), 66—69, 71, 72, 73, 77. *Batylli*, 50, 60, 65. *Bathylli*, 56, 59, 60, 74, 81, probb. Britann. Grang. Prat. et aliis, ut non sit *Bathyllus* ille pantomimus, de quo vid. supra ad VI, 63; sed adolescens Samius, cujus insigni pulchritudine Anacreon non magis, quam Polycrates, tyrannus Samius, captus dicitur, et de quo Apul. Florid. II, sub finem : « In Samo, quæ modica est insula in mari Icario, templum Junonis antiquitatis famigeratum conspici, cujus ante aram *statua* erat Bathylli, a Polycrate tyranno dicata, qua nihil unquam affectatius fuit. » Conf. Winckelm. *A. z. G. d. K*, pag. 55. Alterutrum Bathyllum ejusque *statuam*, privatam certe, nec in publico loco positam, non sine risu notari, monet Ach. Sed utriusque Bathylli mentio parum apta h. loc. cui maxima potius vis inest, si *Vagellii*, vel alius cujuscumque hominis stulti ac fatui nomen memoratur. Conf. supra I, 129, 132.

Not. 119. Vid. Var. Lect.

Var. 120. *Qui*, 16. — *Valeant*, 46, 47, 49, 64.

Anal. 120—125. Audi nunc, Calvine, quæ *solatia* ego tibi *ferre*, afferre, possim, et quidem e sensu communi desumta, quoniam non sum philosophus : neque enim philosophicis opus est argumentis ad te con-

solandum ob levem, quam fecisti, jacturam, scil. decem sestertiorum. Hæc præclare expressit poeta, inpr. vs. 124, et 125, ubi metaphora petita est ab ægrotantibus, quibus pro vario morborum genere vel peritiores, vel rudiores adhibendi sunt medici. Conf. vs. 19 seq. Infra tamen vs. 184 seq. philosophiæ præcepta traduntur.

VAR. 121. *Et* ab hoc loco alienum videtur. Forte leg. *Hic*, vel *Is*.

NOT. 122. *Cynicorum* et *Stoicorum* idem auctor erat, Antisthenes, eademque pæne dogmata; solo fere habitu *distabant*. Utrique etiam pallio utebantur, sed sub eo Stoici *tunicam* gerebant, Cynici vero leviores interulas sive tuniculas lineas; unde passim ἀχίτωνες dicuntur. [1] — *Tunica* tantum *distantia*, quod nudius et inverecundius Cynici, quæ velant et tegunt leviter Stoici; Lips. ad Tac. Ann. XVI, 34. E sectis philosophorum h. loc. memorantur, quæ potissimum Romæ vigebant.

VAR. 123. *Suscipit*, 17, 20, 21, 22, 24, 55, 60, 65.

NOT. 123. Vid. ad XIV, 319. — *Suspicit*, veneratur, magni æstimat, admiratur. — *Plantaribus*, plantis vel arboribus.

VAR. 124. *Medicis melioribus*, 4, e glossa.

NOT. 124. *Ægri dubii*, quorum salus dubia, seu anceps est.

NOT. 125. *Committe venam* secandam, hoc est, curationem morbi — *Philippi*, medici et forte imperiti. Modeste poeta se talis medici *discipulo* comparat.

ANAL. 126—235. Vid. vs. 1—12. *Tam detestabile factum*, quam quod amicus tuus commisit in te. — Similis autem orationis color apud Horat. Sat. II, 3, 41:

> . . . . Hoc si erit in te
> Solo, nil verbi, pereas quin fortiter, addam.

NOT. 127, 128. Maximi doloris indicia. Confer Heins. ad Claudian. XV, 135.

VAR. 129. *Cludenda*, 48.

NOT. 129. Nimirum necesse est, ut *accepto damno janua claudatur:* εἰρωνικῶς hæc, quibus, quæ sequuntur, optime respondent; Hein. *clau-*

---

[1] Vid. Ferrar. de Re vest. I, 4, 15; III, 2, et P. II, lib. 4, cap. 19, et 20; Menag. ad Diogen. Laert. VI, 104; Athen. XIII, 2 (19), pag. 565 ubi legitur præsagium Zenonis de Stoicis ad Cynismum deflexuris); Lips. ad Stoicorum philosophiam Dissertat. I, 13, inpr. Jacobs ad Anthol. Græcam, vol. II, part. II, pag. 472. *Böttiger über den Raub der Cassandra* p. 58, not. 56, *und Sabina*, p. 311, ed. pr.

denda est janua, in signum mœroris, ut in *funere* (vs. 131) propinquorum fieri solet (Taciti Annal. II, 82, al.), hoc est, justus est dolor et luctus.

Var. 131. *Planguntur* malebat Jacobs. acerbe increpatus ab Hein. — *Et nemo*, 15. — *Dolores*, 13, 16, 17, 20, 25, 27, 45—49, 54—60, 64, 74.

Not. 131. *Nummi* amissi, jactura pecuniæ.

Var. 132. *In occasu*, 10, 15—23, 47, 49, 54, 55, 57, 58, 62, 66—69, 71—74, et omnes fere Codd. Paris. non improb. Ach. si ita interpungantur hæc verba, et explicentur: « *majore tumultu planguntur nummi*, *quam funera; nemo dolorem fingit : in occasu* autem amici *vestem deducere*, etc. hoc est, amissa pecunia majori dolore lugetur quam funus parentis; tunc scilicet quum pecunia amittitur, nemo, contentus vulgo in occasu amici fictas lacrymas effundere, nemo, inquam, fingit dolorem. — *Deducere* restitui ex 10, 13, 18—20, a m. sec. 22—24, 45, 74, plerisque Codd. Paris. et aliis, quos laudant Heins. ad Ovid. Amor. I, 7, 48, et vir doctus in Misc. Obss. crit. vol. V, tom. II, pag. 298. *Diducere* in reliquis libris, quod etiam non ineptum foret, si exposueris: distrahere tantum, pectoris nudandi plangendique caussa. Sed illud dolori, etiam ficto, convenientius videtur. Sic apud Ovid. Metamorph. VI, 405. « Dicitur unus Flesse Pelops, humeroque suas ad pectora postquam Deduxit vestes; » et apud Senec. Troad. vs. 86 seq. de Choro Iliadum, Hectoris Priamique mortem lugente: « veste remissa Substringe sinus, uteroque tenus Pateant artus; » et vs. 102 seq. « cadat ex humeris Vestis apertis; utrumque tegat Suffulta latus : jam nuda vocant Pectora dextras, etc. » Conf. supra ad X, 155.

Anal. 132—134. Jactura pecuniæ vero, non ficto, dolore, *veris lacrimis ploratur*, non fictis vel simulatis, *coacto humore*, ut plurimum funera propinquorum (Martial. I, 34; Senec. Ep. 93, al.), quod lepide h. loc. notatur. *Nemo dolorem fingit in hoc casu*, ita ut *contentus* sit, *vestem summam*, ejus superiorem partem, *deducere* tantum ab humeris, neque etiam scindere seu dilacerare, ut fit in summo luctu. Conf. Var. Lect.

Not. 133. *Vexare oculos humore coacto*, ut apud Terent. Eunuch. I, 1, *Una falsa lacrimula, quam oculos terendo vix vi expresserat.* Sic *coactas*, *inanes* et *jussas lacrimas* dixere Virg. Æneid. II, 196; IV, 449; X, 465; Martial. I, 34. Conf. supra ad VI, 273 seq.

Var. 136. *Diversa in parte*, 10, 11, 12, 16—27, 45—50, 54—69, 71—74.

Anal. 136—139. Si sæpe fit, ut *tabellis*, cautionibus seu obligationibus, non semel, sed *decies* et *diversa* in *parte*, variis locis coramque testibus, qui singuli eas subsignarunt, *lectis* a creditore et ipsa debitorum manu scriptis, tamen hæc *chirographa*, has tabulas a se ipsis scriptas, *vana*, conficta et adulterina, adeoque *supervacua*, quibus nulla insit vis pro-

bandi, esse *dicant* ii, debitores, *quos arguit*, convincit, *ipsorum litera*, scriptura, manus, chirographum, et *sardonyx*, sigillum gemmæ insculptum.

Var. 137. *Ducunt*, 16. — Pro *ligni* h. loc. et infra XVI, 41, ubi idem legitur versus, vel *lini*, vel *signi* reponendum putabat Heins. ad Ovid. ex Ponto II, 9, 69, ut vel linea intelligerentur vincula, tabellis testamentisque obsignandis adhiberi solita, vel *chirographum* et *signum* conjungerentur, ut apud Cic. ad Att. II, 20. Sed vulgata quoque lectio non inepta videtur; vid. Comment.

Not. 137. *Chirographa ligni*, tabulas ligneas, cera illitas, et cautiones ipsa debitoris manu scriptas, quales sunt obligationes nostræ et literæ cambiales (vid. Salmas. de modo usur. pag. 391). Eodem forte sensu *ligna* dixit Ovid. ex Ponto II, 9, 69, 70, quos versus Cujacius Obss. XI, 14, ita e libris MSS. non male restituit:

Nec mea fallaci convicta est gemma sigillo
Mendaces lignis imposuisse notas.

Conf. tamen Var. Lect.[1]

Var. 139. *Sardonychus*, 68, 74, 77, 81. *Sardonichus*, 49, 55, 72. *Sardonycus*, 10, 50, 54, 64, 67. *Sardonicus*, 12, 15—20, 23—27, 45—48, 56—63, 65, 66, 69, 71, 73. Eadem forte lectionis varietas in MSS. Paris. nam *Sardonychus* in XXX Codd. exstare, quod Achaint. notavit, vix crediderim. Hoc tamen eo præeunte revocavi, etsi illa vocis forma non nisi Juvenalis usus est. *Sardonychum* quidam Codd. et edd. recentt. Sed genit. plur. voc. *sardonyx*, σαρδόνυξ, υχος, ab hoc loco alienus est, et dicendum potius fuisset *gemmarum princeps sardonyx*. *Sardonicum*, 21. *Sardonyches* ed. Prat. et al.

Not. 139. *Sardonyx* vel *Sardonychus* (vid. Var. Lect.) *princeps gemma*, sigillum, quod præcipue in sardonyche insculpitur, *quoniam sola prope gemmarum scalpta ceram non aufert*, Plin. XXXVII, 6, seu 23, ubi vid. Hard. Conf. supra ad I, 68; VI, 382; VII, 144; XIV, 132. — *Loculis*, in thecis.

Var. 140. *Ten' o delicias*, 14, 21—24, 48, 70, 82. Recte, opinor, et venuste, modo eo, quo curavi, modo exclamandi interrogandique signa ponantur; vid. Comment. *Te nunc delicias*, 10, 11, 12, 15—20, 25, 27, 45, 46, 47, 49, 50, 51—69, 71—77, et omnes Codd. Paris. prob. Ach. *Cur te delicias*, 13. *Te nunc deliciarum inter communia* male conj. Schurzfl. Manso autem hæc adnotavit: «Legendum videtur: *Ten' et delicias extra*, etc. Sunt *deliciæ* numi (decem sestertia), quos in deliciis habitos, sed amissos Calvinus luget, sensusque verborum: Num te et tua a communi mortalium sorte exemptum iri spe-

[1] Scholion vetus apud Barth. Advers. XIV, 16. «*Lignum* sicut et membranam partibus supra denuo sibi jungebant, et hoc pro chirographo erat.»

rare potes? De adjectivo, remotiori pronomini accommodato, vid. interp. ad Sallust. Jug. 49, 5, et Sanctii Min. IV, 8.» Eidem verba Sat. VI, 47, non accurate et vere a me explicata videntur. Sed vellem meliora nos docuisset. Mihi quidem neque hæc meis præferenda videtur.

Not. 140. Num *te*,..... *o delicias!* o rem ridiculam! vel o ridiculum hominem! — *Extra communia ponendum*, a communi hominum fortuna eximendum *censes?* Faceta irrisio! — Conf. Var. Lection. et ad VI, 47.

Var. 141. *Qua tu*, 15. *Quod tu*, 13. *Quia tu*, 10, 11, 12, 17, 19, 25, 27, 45, 46, 47, 49, 50, 54, 55, 57, 58, 60—69, 71, 72, 73, 75, 76, 77. Forte legendum: *qui tu gallinæ filius Afræ*. Gallinæ Africanæ, seu Numidicæ, si Varroni et Plinio fides habenda, «novissimæ sunt peregrinarum avium in mensas Romanorum receptæ propter ingratum virus,» et tamen in delicatis veterum cibis maxime prædicantur. Sola itaque raritas iis videtur auxisse pretium, quod et Petron. cap. 93, innuit his verbis: «*Afræ volucres placent palato, Quod non sunt faciles* scil. paratu. Conf. Bochart. Hieroz. part. II, lib. I, c. 19, et Wernsdorf. Poet. Lat. min. tom. III, pag. 70 (nost. edit. tom. II, p. 124. Ed.). Hinc *gallinæ filius Afræ* proverbii loco quis dici potest eo sensu, quo *phœnix* quis dicitur, aut sup. VI, 165. «Rara avis in terris, nigroque simillima cycno.» Conf. Erasmi Proverb. II, 1, 21.

Not. 141. *Qui*, hoc est, qua ratione, cur tu es (quî fit, ut tu sis), *gallinæ filius albæ*, hoc est, singulari felicitate natus, cui contigerit uni, quod nescio an ulli (ut *Fortunæ filius* apud. Horat. Sat. II, 6, 49. Gall. *le fils de la poule blanche* et nostrum *Glückskind*), *nos* vero reliqui homines *viles pulli nati infelicibus ovis*, hoc est, communi hominum fortunæ obnoxii? Horum proverbiorum, quibus perperam comparant illud, *mali corvi malum ovum*, origo incerta est, [1] et forsan deducenda vel a præcipua gallinarum in pullis custodiendis defendendisque sedulitate et singulari erga eos affectu (φιλοστοργία, de qua vid. Bochart. Hieroz. II, 1, 18); vel potius a raro partu et sterilitate *albarum gallinarum*, quæ, ut verba Columellæ R. R. VIII, 2, 7, mea faciam, «quum sint fere molles ac minus vivaces, tum ne fecundæ quidem facile reperiuntur.» Conf. Var. Lect. — *Infelicibus ovis*, avis inauspicatæ (mali ominis), aut cornicis, aut bubonis, aut potius corvi, ovum per os reddentis. *Brit.*

Var. 142. *Nos viles, populus*, 11. *Nos viles populi*, 16. *Nos vilis populis*,



[1] Alii eam inde repetunt, quod candida boni, nigra mali ominis sint; alii a gallina alba, ab aquila prætervolante in Liviæ Drusillæ gremium demissa (vide Suetonium in Vita Galb. lib. I; Dionem XLVIII, pag. 389; Plinium lib. XV, 30 seu 40); alii vero a Leda, duo ova pariente; e quibus immortales et mortales nati.

21, 22. *Nos vilis populus*, 7, 12, 13, 17, 20, 29. Eadem varietas est in MSS. Paris. Posterius arridebat Schurzfl. ut eo sensu hæc dicta sint, quo Horatiana: *Nos numerus sumus, et fruges consumere nati*. Sed venustior est lectio vet. Schol. et editt. recentt. qua *viles pulli* opponuntur *gallinæ albæ*.

Not. 143. *Bile*, ut V, 159.

Var. 144. *Si confers oculos*, 11, quod arrisisse Schurzfl. mireris. Cui enim placebit idem verbum, vario sensu bis in eodem versu positum?

Not. 144. *Confer*, compara tuo damno quæ alii patiuntur, *latronem*, sicarium, *conductum* mercede ad necem alicui inferendam, et *incendia* excitata *sulfure*, face aliaque materia sulfurata, quæ *dolose* apposita est *januæ*, ut hæc *primos colligat ignes*, et exitus præcludatur iis, qui in domo sunt. Conf. IX, 98.

Var. 147. *His*, 46, 48, 49. — *Veteres*, 27, 54, 58. *Veteris ævi*, 72. — *Tollunt qui*, 17.

Not. 147 seq. Varia sacrilegii genera venuste adumbrantur, et magna vis inest in epithetis.

Var. 148. *Rubiginis*, 17—22, 60, 64, et optimi Codd. Paris. Sed *robiginis* in antiquiss. MSS. aliis locis legitur. Vid. Heins. ad Ovid. Fast. IV, 907, et Virg. Georg. I, 151.

Not. 148. *Adorandæ robiginis*, venerandæ antiquitatis, qua pretium eorum augetur et quasi sanctitas. — *Robigo* autem h. loc. idem quod ærugo, æris, non ferri vitium.

Not. 149. *Dona*, ἀναθήματα (unde et mox *positas*), et quidem non singulorum hominum, sed *populorum et antiqui regis*. « Non de Romæ *regibus* hic loquitur, sed de regibus rei publicæ sociis, de Attalo aliisque, vel ducibus Carthaginiensium, Græcorum, Syrorum, Ægyptiorum, etc., qui sæpe coronas aliaque dona Jovi Capitolino Romam mittebant. » Ach. et *Dusaulx*. Vulgo autem non male suspicantur, tecte h. loc. notari Neronem (quem et incendiarium, et sacrilegum fuisse, simulacraque ex auro vel argento fabricata et templis detracta conflavisse, Suet. cap. 32—38, et alii memorant), aut alium satis notum illa ætate.

Var. 150. *Tibi*, 16, 47, 48, 54, 58. — *Minor est an sacrilegus, qui..... ducat?* conj. H. Vales.

Not. 152. *Bracteolas*, tenues auri laminas, æri inductas, πέταλα, *de Castoris*, Castoris statua seu imagine, *ducat*, detrahat.

Var. 153. *Dubitat*, 18, 22. — *Solus*, 23, 24. *Solitus dubitet*, 25. — *An dubitet stolidus totum conflare Tonantem?* emend. H. Vales. quia *solitus* sit sine sensu.

Not. 153. *An dubitet*, tam tenues bracteas vel auri quid argentive de-

trahere, is, qui *solitus* est (Conf. Var. Lect.), *conflare totum Tonantem*, totam Jovis effigiem?

VAR. 154. *Artificem*, 13, 16, 17. — *Mercatoresque*, 19.

NOT. 154. *Artifices veneni*, qui illud parant. *Mercatorem veneni*, non qui vendit, sed emit venenum, ut eo aliquem necet. Sic *emtores provinciarum* dixit Cic. p. red. in Sen. cap. 4.

NOT. 155. Parricida designatur. Conf. ad simil. loc. VIII, 213, 214. — *Deducendum in mare corio bovis*, culeo, cui insuitur.

NOT. 156. *Simia innoxia*, lepide, quæ nihil peccavit et tamen simul pœnam luit.

NOT. 157 seq. Hæc est minima pars scelerum, *quæ usque a Lucifero, donec lux occidat*, a mane ad vesperam, *audit* ad se delata *custos Urbis*, præfectus Urbi, cui tutela Urbis commissa est.[1] — *Gallicus*, Rutilius Gallicus Valens, quem Domitiani temporibus præfectum Urbi fuisse, patet ex Stat. Silv. I, 4, cujus carminis vs. 16, est hic:

Quem penes intrepidæ mitis custodia Romæ.[2]

Conf. ad IV, 77. Henninius putabat, ex h. loc. constare ætatem, quo Satira nostra sit scripta. Sed vid. ad vs. 16, 17.

VAR. 158. *Vix*, 13. — *Ab*, 21.

NOT. 160. *Una domus* scil. Rutilii Gallici, ubi audies, quot Romæ scelera et quam gravia quotidie committantur: nam præfectus Urbi sub Imperatoribus omnem fere jurisdictionem excercebat, quod notissimum ex Tac. Ann. VI, 10 seq. et aliis. — *Paucos consume dies* in domo ista, *et te miserum dicere aude*, si potes, hoc est, non audebis, si te aliis, qui graviora passi sunt, comparaveris.

VAR. 161. *Illuc*, 11, 15, 21. *Illic*, 22. *Istinc*, 77.

VAR. 162. *Miretur*, 13.

ANAL. 162—173. Non magis mirum est, Romæ tot videre sceleratos homines, quam in Alpibus tot strumosos, etc. Quis vero mirabitur, quæ sunt vulgaria et naturæ quasi cujusvis loci congruunt? Conf. ad III,

[1] Ut apud Senec. Epist. 86, et in Elegia, quæ legitur in Wernsdorf. Poet. min. tom. III. pag. 159, vs. 27.

[2] Male vet. Schol. «*Gallicus* nomen præfecti vigilum, qui institutus est, postquam *Galli* Capitolium ceperunt.» Quod mireris arrisisse Cujacio in Paratitlis ad Digest. I, 12, et aliis. Præfectus vigilum ab hoc loco alienus est. — Hanc notam a vet. Schol. adscriptam negat *Crammer*, innuitque a sciolo quodam togæ purpuræ adsutum fuisse pannum. Mox Cujacii locum citatum affert, quo eum a cl. *Ruperti* inculpatum defendat. «De Gallico et errore Henninii, si plura cupis, adi *Hagenbuch*. in Epp. Epigr. p. 229, et Corsinium in Serie Pr. Pr. p. 48.» ED.

167—196. — Exquisita variarum rerum similitudine ostenditur, quanta sit Romæ morum corruptela.

Not. 162. « Æquicolis in Italia et Alpibus, in natione Medullorum, est genus aquæ, quam qui bibunt, efficiuntur turgidis gutturibus, » Vitruv. VIII, 3, extr. Conf. Plin. XI, 37, seu 68, ibique Hard.

Not. 163. Hoc non alibi legere memini. Pomp. Melam consuli jubent intpp. sed vellem ejus locum laudassent, quem nondum reperi. — Nulla apud auctores, quos consului, hujus fabulæ mentio; illud tantum apud Melam vidi, lib. III, cap. 9: « Feminas esse narrant toto corpore hirsutas...... adeo asperis efferisque moribus, ut quædam contineri, ne reluctentur, vix vinculis possunt. » Ed. — De *Meroe* vid. ad VI, 528. — *Mamiliam* feminarum.

Var. 165. *Et* abest ab 15, 24. — *Madidum*, 22. — *Cyro*, 17, 20. *Madidos torquentem in cornua cirros* emend. Salmas. in Epist. de Coma. Non male! Durior certe dictio: *torquentem cornua e madido cirro*.

Not. 164, 165. *Cærula Germani lumina*, cæruleos oculos Germanorum, quales et his et Britannis omnibusque pæne populis septemtr. seu Scythis tribuuntur; quod Aristoteles Probl. XIV, 14, naturæ vitium esse putabat et frigoris effectum, alii vero arti potissimum tribuunt et glasto, quo se colorasse Britannos tradunt Cæsar B. G. V; Plin. XXII, 11, et Solin. cap. 35, unde etiam *Brith* et *pictos* Mart, XIV, 99, eos dici putant. Conf. intpp. Tac. Germ. 4, et Mart XI, 54, 1; Mitscherl. ad Horat. Epod. XVI, 7, et Conring. de habitus corporum Germanic. caussis, Frft. 1727, p. 81 seq. *Stupuit lumina*, vid. ad IV, 119. — *Cæsariem flavam*, ξανθὴν (*hochblond, goldgelb*), Germanis Gallisque tribuunt Diodor. V, 28; Herod. IV, 12, et alii (unde *auricomus Batavus* Sil. III, 608, et Vandali χρυσοειδεῖς dicuntur Procopio), sed rutilam, rufam, πυῤῥὴν (*feuerfarben*). Tac. in Hist. IV, 61, in Germ. 4, in Agr. 11; Galenus in Comm. ad Polybium de victu c. 6, ad Hippocr. de Diæta, p. 31, ed. Bas. 1538; Sen. de Ira, III, 26; Liv. XXXVIII, 17; Mart. XIV, 176, et utramque Sil. IV, 200 seq. Rutilum iis crinem non natura tantum, sed ars quoque dabat: nam capillos crebro lavabant rutilabantque lixivio, seu sapone Gallico, qui ex sevo seu sebo et cinere factus erat, ut et pulchram ita et terrificam sibi induerent faciem; unde h. loc. — *Madido cirro*. vid. Martial. VIII. 33, 20; XIV, 26 et 27. (*Spuma Batava* et *caustica*) Plin. XXVIII, 12, seu 51 (ubi vid. Hard.) Suet. Cal. 47. — Eosdem *vertere capillum croco* dicit Tertull. de cultu, II, 6, et aqua calcaria, τιτάνου ἀποπλύματι σμῶντες τὰς τρίχας συνεχῶς, Diodor. V, 28. — Quæ tantum non omnia jam notavit Lips. ad Tac. Germ. 4, ut et hæc: « Romanæ etiam matronæ veteres amabant colorem flavum rutilumque, et summa diligentia capillos cinere rutilabant; posteriores magis avide, quæ capillitium ipsum emebant a Germanis et pro comis suis supponebant. vid. Valer. Max. II, 1, 5; Ovid. Am. I, 14, 45, et Tertull. de Cultu, II, 6. » Conf. ad VI, 120 (*Nigrum flavo crinem*

abscondente galero, quæ verba hinc explicanda videntur), ad V, 115. Conring. loc. laud. pag. 97 seq. Grupen. de uxore Theotisca, cap. 4, pag. 140—221; *Anton's Gesch. d. deutschen Nation*, pag. 79 seq. Böttigeri Sabina, pag. 139—140. Ab iisdem Germanis matronæ Rom. adsciverunt *cornua*, *κέρατα*, hoc est, capillorum nodos, implicationes, struem et tutulum: (vid. ad VI, 502. Salmas. ad Solin. pag. 762 al. 535. Böttiger l. c.) nam « insigne Germanorum obliquare crinem nodoque substringere;.... horrentem quoque capillum retro sequuntur ac sæpe in ipso vertice religant: in altitudinem quamdam et terrorem adituri bella ornantur, » Tac. Germ. 38; Mart. V, 38, et de Spect. III, 9; Sen. Ep. 24, et de Ira, III, 26. Germani longam nutriebant comam eamque non crispabant, aut inurebant calamistris, ut Phryges, sed in nodum cogebant, vel, ut poeta noster dicit, *torquebant cornua cirro madido*, madidato, madefacto. *Cirri Germanorum* memorantur etiam Tertull. de virginibus velandis cap. 10, et ita dicuntur cincinni, annuli (*Locken*), capilli deflui, dependuli, diffusi, tam in vertice, quam retrosecus collecti, renodati, religati. Conf. Tac. loc. laud. ibique Gron. — *Torquentem cæsariem*, cui docte tribuitur, quod proprie ad ipsum spectat Germanum.

VAR. 166. *Hic*, 22. *Illis*, 50. — VAR. 167. *Volucres Thracum*, 15. — VAR. 169. *Torvis*, 16. — VAR. 170. *Hæc*, 23. — VAR. 171. *Quatiare*, 1, 14, 17, 64, 70, 75, 76, 82. *Quaterere* Marshall. *Quatiere*, 10—13, 15, 16, 18, 19, 21, 23—27, 45—50, 54—63, 65—69, 71—74, 77, minus venuste. *Quatiaris et illic*, 20, 22.

VAR. 172. Vox *quamquam* ab hoc loco plane aliena videtur, et vix dubito, quin totus hic versus ab ingenio interpolatoris profectus sit. *Quando eadem assidue spectantur prælia* conj. Jacobs monetque, *quando* esse pro *quandoquidem*, et sic narrationem terminari, ut vs. 166. — *Assidue quamquam*, 16, 17. — *Spectantur*, 10, 15, 16, 18, 19, 22—24, 45.

NOT. 167—173. Fabula de parva *Pygmæorum* statura eorumque pugna cum *gruibus*, quæ ingruente hieme in calidiores plagas abeunt (v. Plin. X, 23), notissima est et ex etymologia forte efficta (nam πυγμὴ seu πυγὼν *cubitus* dicitur et πυγὸς *brevis*), vel, judice Strab. XXII, inde, quod corpora summo solis et calore et frigore exigua fiunt et contorta: Pygmæos enim Plinius VII, 2, in India (at. IV, 11, in Thracia), Homerus, Mela et Strabo in Æthiopia, alii in Scythia ponunt. Vid. Koeppen ad Hom. Iliad. III, 3—7; Hard. ad Plin. ll. ll. et Kœnig ad Claudian. XV, 474 seq. Nota Ach. est: « Forsan hæ fabulæ debentur peregrinatorum quorumdam hyperbolicis, ut sæpe sunt, narrationibus, qui in Scythia, Laponiæ contermina, visis uno vel aliquot ex Laponibus, eos multo breviores, quam re ipsa essent, effinxerunt; inde crescente similibus testimoniis mendacio, ex quatuor pedibus (mensura Laponum) ad duos tantum et minus fuerunt adacti Pygmæi. Similem fabulam narrat Prateus et *le*

Mercure Galant, mens. apr. 1683. » Poeta autem de industria ridicule magis quam vere rem memoravit et satirice auxit, unde etiam vs. 169, gruibus *curvos ungues*, hominem rapientes, et vs. 173, Pygmæis minorem tribuit staturam, quam Gellius IX, 4; Plinius et alii. — *Ad*, adversus, *subitas*, subito advolantes, *Thracum volucres*, grues, quæ hieme ingruente e Thraciæ finibus in Græciam plagasque calidiores migrant, unde *Threiciæ* dicuntur Ovid. Art. III, 182, et *Strymoniæ* Virg. Georg. I, 120, et Æneid. X, 265; XI, 580. — *Nubem*, ingentem gruum multitudinem, ut Gr. νέφος. Conf. ad Sil. I, 311—172. — *Quamquam*, immo quoniam. Vid. Var. Lection.

Not. 174. Schol. « Anthypophora, quasi objectio: Ergo nulla pœna manet eos, qui pejerant? » Sen. de Ira III, 26. « Quid ergo, inquis, impune illi erit? Puta te velle, tamen non erit. Maxima est enim factæ injuriæ pœna, fecisse : nec quisquam gravius afficitur, quam qui ad supplicium pœnitentiæ traditur; » quæ respondent verbis poetæ infra vs. 192 seq.

Var. 175. *Affectum*, 16, 29. — *Arreptum*, 21, 22. — *Majore*, 7.

Anal. 175—179. Responsio poetæ: Supplicio scelerati hominis nihil proficis, nec damnum, quod passus es, sarcitur.

Var. 177. *Movet tamen illa*, 16.

Var. 179. Miratur *Crammer* etiamnum antiquam quidem, sed omni succo carentem, verborum distinctionem in universo hoc loco poetæ propagari. « Unus, inquit, bene Achaintrius, communi sensu ductus, mutavit; bene etiam *Ac vindicta* legit, quemadmodum nos quoque ante multos annos corrigebamus. Nec tamen debebat id clanculum facere, quare et fugit Rupertum, cujus defensio τοῦ *At* parum hoc loco placet. » Ed.

Not. 178—179. *Sed* vel *minimus sanguis* e *trunco*, truncato, mutilato, *corpore* effluens *dabit* tibi *solatia invidiosa*, quæ tibi invidiam conflent et odium. Præstiterit tamen, verba, *sed corpore trunco.... vita jucundius ipsa*, jungere et Calvino tribuere, ut sensus sit : *Sed* vel minimum sanguinem si e truncato scelerati hominis corpore effluere videro, id mihi *dabit solatia invidiosa*, invidenda, amplissima, quæ mihi quis invidere possit; *at vindicta* est *bonum jucundius ipsa vita*. Ita pro *At* suspicari possis *Et :* illud vero convenientius affectui, in quo certe *sed* sæpe repetitur.[1]

Var. 180. *Bonum est*, 15, 16.

Not. 180. Conf. Hom. Iliad. Σ, 108 seq. Aristot. Rhetor. I, 11; II,

---

[1] Verb. caus. apud Ovid. Met. V, 17 seq. 507 seq. VI, 612; VII, 718.

a. Sen. de ira II, 32. Ratio est, quia vindicta agrestis et naturalis quædam justitia est, ut Baco Verulam. Serm. Fidel. IV, subtiliter judicat. Hennin. — Hanc sententiam sic expressit Magnus ille nostras *Corneille, Rodogune*, act. V, sc. 1 :

« Tombe sur moi le ciel, pourvu que je me venge. »

Et lepide simul ac sapienter BONUS *Lafontaine*, lib. X, fab. 12 :

« . . . . Je sais que la vengeance
« Est un morceau de roi, car vous vivez en dieux. » Ed.

VAR. 182. *Nullis, Interdum levibus*, 11.

NOT. 181—192. Præclare respondet poeta. *Hoc indocti* dicunt sentiuntque. — *Præcordia flagrantia*, animum æstuantem ira. Sen. de ira II, 19 : « Volunt quidam ex nostris (*Stoici*) iram in pectore moveri, effervescente circa cor sanguine. Causa, cur hic potissimum adsignetur iræ locus, non alia est, quam quod in toto corpore calidissimum pectus est. Quibus humidi plus inest, eorum paulatim crescit ira, quia non est paratus illis calor, sed motu acquiritur. Itaque puerorum feminarumque iræ (conf. inf. vs. 191, 192), acres magis, quam graves sunt levioresque, dum incipiunt, etc. »

VAR. 184. *Dicit*, 16, 23, 24, 60, 65.

NOT. 184 seq. Hoc non præcipit philosophia. — *Chrysippus* Stoicus. — *Mite Thaletis ingenium*, Thales mitis ingenii vir; vid. ad IV, 39.

NOT. 185. *Senex vicinus Hymetto*, monti Atticæ (*dulci*, ob mellis optimi copiam), est Socrates Atheniensis; de cujus patientia ac moderatione iræ vid. Sen. de Cons. sap. c. 18, et de Ira, I, 15; III, 11; Plat. Apol. Socr. passim. Eadem præclare adumbratur loc. laud. vs. 186, 187. — Multi poetæ hanc Socratis divinam mansuetudinem cecinerunt. Duo sunt recentiores in gente nostra, clar. *de Norvins*, *l'Immortalité de l'âme*, *chant* III, pag. 207, sqq. et clar. *de Lamartine*, *la Mort de Socrate*. Ed. — *Cicutæ*, vid. ad VII, 206. *Acceptæ inter vincula*, in ipso carcere, in quo venenum hausit Socrates. — *Sæva*, ob ejus innocentiam.

VAR. 186. *Sævæ*, 26, 27, 46, 48, 50, 57—60, 64. *Sæve*, 47.

VAR. 187. Quum sibi non satisfaciant interpp., locum corrigit *Crammer*, et sic legendum proponit :

. . . . Plurima fellis
Paulatim vitia, atque errores exuit, omnis
Prima docens recti, Sapientia : etc.

Fellis intelligit de iracundiæ æstu, cujus proxime mentio facta est. *Prima recti*, sunt principia recti et virtutis, ut apud Ciceronem *prima illa naturæ*. Ed.

NOT. 187. Tres proprie Socratis fuere accusatores, Anytus, Melitus, Lycon. — *Nollet*, noluisset, scil. si is ad pœnitentiam versus simul cum

vel pro ipso voluisset mori.[1] — *Felix Sapientia*, philosophia, quæ felices reddit homines.[2] Egregia hoc loco ac vera philosophiæ laus. Conf. ad vs. 120 seq.

VAR. 188. *Ast errores exsuit omnes Prima docens rectum Sapientia* legisse vet. Schol. suspicabatur Schurzfl. At sensum forte loci hujus, ut toties, non percepit; vid. Comm.

NOT. 188. *Exuit vitia*, nos vitiis, vel facit ut ea exuamus. Conf. Var. Lection.

VAR. 189. *Docens*, 10—13, 15—22, 25, 27, 45—50, 54—58, 60—63, 65—69, 71—74, et omnes pæne Codd. Paris. prob Achaint. quod retinui, quamvis habeat *Ruperti*, *docet*. ED.

NOT. 190. Confer Senec. de Ira, II, 34, qui contra de Clem. I, 5: « Magni dicit animi esse proprium, placidum esse tranquillumque et injurias atque offensiones superne despicere. »

NOT. 191. Lepida argumentatio. — *Continuo*, sine ulla dubitatione, *sic collige*, judica, scil. infirmi animi esse ultionem, *quod*, quoniam, *vindicta nemo magis gaudet, quam femina*, quam scil. natura finxit imbecilliorem et iræ affectuumque impotentiorem. Conf. ad vs. 181.[3]

ANAL. 192—249. Pulcherrima malæ conscientiæ, tamquam gravissimæ scelerum pœnæ maximique cruciatus animi, imago. Conf. I, 166, 7, et supra ad vs. 174; Pers. III, 35 seq. Cic. Mil. 23; Sen. Ep. 43, 97, 105; Plut. de his qui sero a Num. Pun. Opp. tom. II, pag. 554—556 et al. — *Evasisse* meritas pœnas.

VAR. 193. *Putas*, 16, 17, 20—22. — VAR. 194. *Cæco verbere pulsat*, 77. — VAR. 195. *Quatiens*, 13, 20, 21, 22, 24. *Quatiens animum terrore*, 4.

NOT. 194, 195. Conscientiæ malæ, animum torquenti et urgenti, ut symbolis ejus, Furiis, quæ Græcis Ἐριννύες et Εὐμενίδες dicuntur, veteres præclare *flagellum* tribuebant et stimulum quoque, verb. caus. Æschyl. Eumen. 150 seq.

Ἐμοὶ δ' ὄνειδος, ἐξ ὀνειράτων μολὸν,
Ἔτυψεν, δίκαν διφρηλάτου,

[1] Ex hoc loco lepidam effinxit historiam vet. Schol. « Socrates quum argueretur proditionis, receptus est in carcere cum accusatore, qui, quum sibi daretur venenum, accusatori petenti noluit dare. »

[2] Male vetus Schol. « Quicumque *felix*, id est, doctus et sapiens. Potior ergo est sapientia, quam felicitas. Siquidem illa paulatim amittit, hæc statim purgat. » — Vide quæ notantur apud Crammerum, pag. 498. ED.

[3] Vulgo hæc ita interpretantur: inde collige, neminem magis vindicta gaudere, quam feminam. Sed illa sententia, ni fallor, et melior est, et linguæ convenientior.

Μεσολαβεῖ κέντρῳ,
Ὑπὸ φρένας, ὑπὸ λοβόν.
Πάρεστι μαστίκτορος Δαΐου δαμίου[1]
Βαρύ τι, περιβαρὺ κρύος ἔχειν.

Hinc conscientia *flagellare* et *verberare* dicitur Sen. Ep. 97, et al. Prov. Græc. ἡ συνείδησις τὴν ψυχὴν πλήττει. — *Surdo verbere*, ut mox *occultum flagellum*; vid. ad VII, 71. — Conscientia mala etiam *tortor* est et carnifex, qui cædit, torquet, urit, lancinat. — *Carnificina est ægritudo*, Cic. Tusc. Quæs. III, 13.

Not. 196 seq. Cruciatus animi multo graviores, quam corporis. Cf. Pers. III, 39 seq. et Horat. Epist. I, 2, 58.

Var. 197. *Cædicius* recepi ex 1, 17, 21. *Cecidius*, 20, 22, 45. *Seditius*, 18, 23, 60. *Cæditius* in reliquis libris. — *Aut Rhadamanthus*, 23, 61, 62, 63, 66—69, 71—74, 77. *Radamanthus*, 18, 20, 45. *Rhadamantus*, 50. *Radamantus*, 17, 19. Sed Gr. Ῥαδάμανθος dicitur.

Not. 197. *Cædicium* aulicum Neronis crudelissimum fuisse, notat vetus Schol. Alius, opinor, *Cædicius* et quidem patronus caussarum, non judex, memoratur XVI, 46. — *Gravis*, severus. — De *Rhadamantho*, severissimo judice, vid. Diodor. V, 80; Heyn. ad Apollod. II, 4, 11, et in Exc. XI ad Virg. Æneid. VI.

Not. 198. Præclare Ausonius:

Turpe quid ausurus te sine teste time;

et Sen. Ep. XLIII. « Bona conscientia turbam advocat, mala etiam in solitudine anxia atque sollicita est. Si honesta sunt, quæ facis, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire, quum tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem! » — Quædam loca e Gallicis scriptoribus seligere operæ pretium duxi, quæ cum pulcherrima hac Juvenalis descriptione conferrem. *Massillon*: « Nous avons beau faire montre d'une vaine » intrépidité, la conscience criminelle se trahit toujours elle-même. Les » terreurs cruelles marchent partout devant nous; la solitude nous trouble, » les ténèbres nous alarment; nous croyons voir sortir de tous côtés des » fantômes qui viennent toujours nous reprocher les horreurs secrètes de » notre âme; des songes funestes nous remplissent d'images noires et som» bres, et le crime après lequel nous courons avec tant de goût, court » ensuite après nous comme un vautour cruel, et s'attache à nous pour » nous déchirer le cœur, etc. » Vir literarum pariter et politicæ rei gloria præfulgens, *de Châteaubriant*, *Génie du Christianisme*: « Le tigre déchire sa » proie et dort; l'homme devient homicide et veille. Il cherche les lieux » déserts, et cependant la solitude l'effraie; il se traîne autour des tom-

[1] Vel θυμικοῦ ex emend. Schütz.

» beaux, et cependant il a peur des tombeaux, etc. » Vates non minus eminens quam vir optimus, *J. F. Ducis*, *Macbeth*, act. V, sc. I:

« Duncan m'a dit tout bas : Tu ne dormiras plus....
« Une secrète horreur de tout mon cœur s'empare.
« Non, l'homme impunément ne fut jamais barbare.
« Il est des dieux vengeurs dont l'œil partout le suit.
. . . .
« Quel tourment de traîner des jours tissus d'alarmes,
« De ne plus voir d'objets qui nous offrent des charmes,
« De se lever la nuit dans d'horribles transports,
« Sans pouvoir de son sein arracher les remords ! »

Videndi sunt inprimis tragici poetæ, qui nobis Octavium, Orestem, Phædram, Œdipoda, Atreum et Thyestem, tam fideli et pæne divino carmine expresserunt. Ed.

Anal. 199—207. Historia nota ex Herodot. VI, 86, sed parum apte intexta huic loco ubi de mala conscientia agitur. — *Spartano cuidam*, Glauco Epicydidis filio, qui *dubitaverat* tantum, redderetne Milesio cuidam pecuniam apud se depositam nec ne, et hinc Delphicum consuluerat oraculum.

Var. 200. *Fore quondam*, 16. — *Forte*, 45.

Var. 201. *Detinere*, 24.

Not. 204. *Moribus*, bona animi indole et principiis honestatis vel probitate ductus.

Var. 205. *Phœbo* pro *templo* conj. Jacobs. adjuncta hac caussa : « Quacumque ratione verba vulg. lect. jungas, sensus exsistit aut ineptus, aut languidus: nam aut *vox adyti* (ex adyto edita), quæ *templo digna* apparet; aut *vox digna templo adyti*. Neutrum tolerabile. » Hac vero conjectura non opus esse monet Hein. quum sensus sit: pœnas dans *probavit vocem adyti*, id est, oraculum ita fuisse, ut exspectari par est, ut e templo mitti debet.

Not. 205. *Vocem adyti.... probavit*, vid. Var. Lect. *adyti*, sacri penetralis, vel specus, cui tripus Pythiæ impositus.

Var. 206. *Pariter tota*, 10, 16, 18, 19. — *Domuque*, 20.

Not. 207. *Longa deductis gente*, ab antiqua gente originem genusque ducentibus. Ad multitudinem potius propinquorum hæc spectare, putat *Achaintre*.

Var. 208. *Sæva voluptas*, 17, 20, 21, 22, 24, 27, 45—49, et dimidia pars MSS. Paris. — « *Achaintre* notavit Codd. multos habere *sæva*, et certe *sola* præstare. Equidem in Codd. Thuan. non *sæva* inveni, sed *scæva*, quod est optimum. *Scævus* est Græcorum σκαιὸς, cujus hæc sunt inter alias apud Hesych. significationes : πονηρὸς, κακὸς, ἄδικος. » Hæc clar. *Boissonade* ad Nicet. III, 332, pag. 179. Ed.

Not. 208 seq. Sola voluntas *habet crimen facti*, habetur pro facto, et non minus reum ac pœna dignum facit. [1]

Var. 210. *Credo*, 47, 48, et duo Codd. Paris. *Dic* pro *cedo*, 22, ex interpret.

Not. 210. *Cedo*, quid autem dices, quantaque eum pœna dignum censebis, *si conata peregit?* vid. ad VI, 504.

Not. 211 seq. Venusta imago hominis, malæ conscientiæ cruciatus sentientis. « Verbum *anxietas*, ut Gall. *anxiété*, ad pingendos conscientiæ morsus aptissimum est et fere unicum : differt autem ab *angore*; » Ach.

Var. 212. *Et morbo*, 15, 17, 20, 23, 27. *E morbo*, 11. *Ex morbo*, 21, 22.

Not. 212. Præ continuo animi æstu *fauces* semper *siccæ* sunt et siti uruntur, ut in *morbo* et æstu febrili, et tamen *displicent* ei et insipida sunt *vina*, etiam pretiosissima.— *Cibus difficilis*, quem difficulter tantum mandit deglutitque, *inter molares*, maxillares dentes, præ fastidio ipsi faucibus hæret et *crescere* videtur. — Sic *in ore crevit cibus* apud Sen. Epist. 82. *Crescit et invito lentus in ore cibus* ap. Ovid. Ep. Her. XVI, 226.

Var. 213. *Setina misellus Exspuit, Albani veteris pretiosa senectus Displicet* in Klotz. Actis literariis ingeniose conj. cl. *Herel*, qui bene monet, hæc vini genera etiam supra V, 33, 34, conjungi, et *sed* h. loc. ineptum esse, *vina* autem simpl. dicta non satis respondere consilio poetæ, qui id agat, ut fastidium exprimat deliciarum cujuscumque generis, quod anxius habeat homo scelerisque sibi conscius. De hac conjectura Ruhnkenius olim gratulatus est docto ejus auctori, qui per literas id mihi significavit. Eadem firmatur alio, qui mihi succurrit, poetæ nostri loco supra X, 27. (*Lato Setinum ardebit in auro*) ubi *Setinum* sc. vinum dicitur, ut hoc. loc. *Setina*. Forte etiam epitheton *veteris*, cui parum apte hoc. loc. *senectus* jungitur, e glossa irrepsit. Similia passim in poetis obvia.

Not. 213, 214. Conf. Var. Lect. et de *Albano* vino ad V, 33, cujus pretium *senectute* augetur. — *Albani senectus*, vid. ad IV, 39.

Not. 215. Si vel *melius* vinum *ostendas*, ei dederis. — *Densissima ruga Cogitur in frontem* frons caperatur ob mœrorem et animi æstus, quos patitur; Ach.

Not. 216. Vid. ad IV, 138.

Var. 218. *Vexata*, 24. — *Foro*, 77. — *Quiescant*, 18, 23, 27, 46, 47, 48, 50, 58, 64.

---

[1] Conf. Wetsten. ad Matth. V, 8, et 28; Cujac. Obss. VIII, 22; Gothofr. ad I, 18; D. de Pœnis, Sen. de Ben. V, 14, et Gell. VII, 3. *Pari sorte scelus et sceleris voluntas*, lib. 1, Cod. Theodos. ad leg. Jul. de ambitu.

Nor. 218. Sen. de Tranq. animi, cap. 2. « Adjice illos, qui non aliter, quam quibus difficilis somnus est, versant se et hoc atque illo modo componunt, donec quietem lassitudine inveniant. » Conf. Homer. Iliad. XXIV, 5, 10 seq. Catull. L, 10 seq. et Prop. I, 14, 21. — Quam hic nobis imaginem adumbrat Juvenalis, in scenam Gallicam feliciter et ingeniose transtulit cl. *de Jouy*, in fabula *Syllæ* nomine inscripta, act. IV, sc. 8:

« Que vois-je? et quel pouvoir, dans ces demeures sombres,
« De ceux que j'ai proscrits a ranimé les ombres?
« Que voulez-vous de moi, transfuges des tombeaux?
. . . .
« Je les vois tous, les bras vers mon lit étendus,
« Agiter leurs poignards sur mon sein suspendus.
« O dieux! à me frapper leurs mains sont toutes prêtes.
« A moi, licteurs! à moi!. . . . . »

Quis non, quoties tragicam hanc somniantis tyranni personam agit summus ille nostræ ætatis tragœdus *Talma*, Roscius alter, grato quodam horrore perfunditur, et pestiferam mentis sibi scelerum consciæ anxietatem penitus oculis patefactam existimat?

O qualis facies, et quali digna tabella! Ed.

Var. 219. *Et templum*, 24. — *Aram*, 24.

Not. 219. *Templum et aras*, ubi pejeravit. Conf. ad. vs. 223 seq.

Not. 220. *Sudoribus* gelidis æstu ac perturbatione animi expressis. Cf. I, 166, 167.

Not. 221. *Tua imago sacra*, veneranda (al. exsecrabilis), religionem horroremque incutiens, *et major humana*, divina, qualis deorum esse solet.[1] Egregie declarantur effectus turbatæ phantasiæ, omnia augentis, maxime in solitudine, nocte et somno.

Var. 223. *Fulmina*, 3, 4, 16, 22, 27, 46, 47, 48, 64. solenni varietate.

Anal. 223—228. Præclare et graphice de homine scelerum sibi conscio, in quo reviviscit sensus religionis, quem frustra opprimere conatur. Conf. vs. 219. Sen. Nat. Quæst. II, 59, et Suet. Calig. cap. 51. Contra Horat. Od. III, 3, 1 seq.

Justum ac tenacem propositi virum, etc.

Var. 224. *Quoque primo*, 25, 46—50, 57—60, 64, 65.

Var. 225. *Fortuitu*, 18, 19, 20, 27, 45—50, 54, 55, 56, 59—65, 68, 71—74. Et quidam Codd. Paris. Nostra lectio doctior est.

Not. 225. *Fortuitus*, casu, ex Epicureorum sententia. Conf. Plin. II,

[1] Vid. Lips. ad Tac. Ann. XI, 21; Heyn. Excurs. XIII, ad Virgilii Cerda ad Virgil. Æneid. II, 773, et Æneid. I.

43, et Sen. Nat. Quæst. VI, 3. — *Ventorum rabie*, ex conflictu ventorum nubiumque. Conf. Sen. Nat. Quæst. I, 1 seq.

VAR. 226. *Ut*, pro *et*, 16, 19, non male, et prob. H. Vales. — *Vindicet*, 7, 10, 13, 16, 19, 20, 22—27, 29, 45—50, 54—69, 71—74; dimidia fere pars Codd. Paris., nec tamen melior, et Serv. ad Virg. Æneid. VI, 179. Sed exquisitius videtur *judicet*, judicis quasi personam agat, sententiam quasi de reis ferat, eos condemnet ac puniat. Varietatem lect. ex comp. script. *judicet* ortam esse suspicatur Ach.

NOT. 226. *Iratus*, ab irato missus Jove, scelera vindicante. Sic *iracunda fulmina* dixit Hor. Od. I, 3, 40, et ζάκοτον ἔγχος Pind. Nem. V, 90. — *Judicet*, vide Var. Lect.

VAR. 227. *Noceat*, 24.

NOT. 227. Si *illa*, prima tempestas, *nihil nocuit*, etc.

VAR. 228. *Hæc*, 24.

NOT. 228. *Hoc sereno*, hoc die, quo mox serenitas rediit.

NOT. 229. *Lateris dolorem*, pleuritida, hoc loco pro quovis morbo acuto et *vigili*, hoc est, qui nos vigiles facit, vel non dormire patitur.

NOT. 230. Morbos corporis mortemque præmaturam pœnas esse gravioris sceleris, inpr. perjurii, a diis vindicibus inflictas, vulgaris olim opinio erat. vid. Mitscherl. ad Hor. Od. II, 8, 1 seq.

NOT. 231. Metu perculsi grandinem et fulmina *putant Deorum iratorum saxa et tela* esse. Sed hoc loco de morbis potius sermo est, et iterum forte Epicureorum dogmata respiciuntur. Sen. de Ben. IV, 19. «Tu, inquit, Epicure, deum inermem facis: omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam, et, ne cuiquam metuendus esset, projecisti illum extra motum.» Morbi quoque acutiores sagittis Apollinis et Dianæ immitti credebantur.

NOT. 232 seq. Ovem non audent pro salute sua vovere diis, quibus se invisos esse sciunt.

VAR. 233. *Permittere*, 46, 47, 48, 58.

NOT. 233. *Cristam galli promittere Laribus* pro avertendo morbo. Sic Æsculapio gallus immolabatur ab iis, qui convaluerant, unde se huic deo gallum debere dicit Socrates apud Plat. in Phæd. Wernsd. in Poet. Lat. min. editionis hujus, t. I, p. 91. «Ab gallis, inquit, multa remedia morborum petiit vetus superstitio. Exta eorum et fibras, ut opimas victimas, diis acceptissimas esse tradit Plin. X, 21, ...et cristam galli contritam efficaciter imponi cani, morso ab alio rabioso, id. XXIX, 5, seu 32.» Conf. supra XII, 96; Plin. X, 56, seu 77, et Jacobs. ad Antholog. Græc. tom. II, part. I, pag. 122. De *Æsculapio* ejusque historia mythica vid. *Creuzer's Symbolick*, tom. II, pag. 248 seq. 286, 336 seq. III, 248 seq.

Not. 235. Magna cum vi poeta dicit, *hostiam*, et quidem quamcumque ac vel minimam, *vita digniorem* esse scelerato homine, pro cujus salute voveatur.

Anal. 236—249. Ultimum consolationis momentum. « Hoc potissimum est ad consolationem Calvini: ait enim, malorum variam et mobilem esse naturam, ut ad peccandum constantes sint, moxque peracto scelere sua cognoscant malefacta, sed tamen Natura impellente ad pristina vitia se redire; unde colligit, improbum hominem toties peccaturum, ut aliquando deprehendatur solvatque pœnas; » *Britan*. Natura autem malorum hominum egregie hoc loco ac vere adumbratur.

Not. 236. « Hoc habent inter cetera boni mores, placent sibi et permanent : levis est malitia, sæpe mutatur, non in melius, sed in aliud. » Sen. Epist. 47. — *Natura*, indoles animi, mores, Germ. *Character*. — *Malorum* hominum.

Var. 237. *Dum*, 23. *Tum*, 60. — *Superest audacia*, 77. — *Quid fas* pro *quod fas* restitui ex 10, 21, 24, 25, 47, 48, 55—60, 62, 66—69, 71—74, et plerisque MSS. Paris.

Var. 238. *Tamen*, 25, 46, 49, 56, 57, 60, 65.

Not. 239, 240. Conf. Horat. Epist. I, 10, 24, 25. — *Natura* jam facta *fixa*, constans in vitio, *et mutari nescia*, obfirmata consuetudine peccandi, quam sibi contraxit mens ad vitia proclivis eorumque dulcedine jam irretita et in illis, abjecto omni pudore, confirmata. Conf. ad VII, 50 seq. et Horat. Epist. loco supra citato. « Ex voluntate perversa facta est libido, et dum servitur libidini, facta est consuetudo, et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas, » Augustin. Confess. VII, 5. — Eamdem sententiam, sed alio sensu, expressit nostras *Boileau*, Sat. X :

« Dans le crime il suffit qu'une fois on débute,
« Une chute toujours attire une autre chute :
« L'honneur est comme une île escarpée et sans bords,
« On n'y peut plus rentrer, dès qu'on en est dehors. » Ed.

Var. 241. *Imposuit*, 19.

Var. 242. *Attritum*, 13. — *Pudorem*, 21, 22, 24, 28.

Not. 242. *Attrita de fronte*, hoc est, dura et inverecunda vel pudoris experte. Sic et *perfricare frontem* et *os* dicitur pro, pudorem deponere et expellere vel *ejicere* quasi de fronte attritione ejus. [1] Sic gallice dicetur *se faire un front qui ne rougit jamais* (vid. *Racine, Phèdre*, act. III, sc. 3). Ed.

Not. 244. *Dabit vestigia*, pedes, *in laqueos*, quos ei vitia quasi ponunt;



[1] Vid. ad II, 8; Cic. Tusc. Quæst. III, 18; Martial. XI 28, 7. Calvus apud Quintil. IX, 2, 25, et Ernesti clav. Cic. voc. *perfricare*.

metaphora petita a feris avibusque, quæ pedicis et laqueis capiuntur. Alii *laquèum* putant vincula dici et catenas.

Not. 245. *Uncum* ferreum seu vectem *nigri*, obscuri, tenebrosi, *carceris*, ad quem ibi adstringetur; nisi *uncus* est catena : nam *unci* certe et *hami* dicebantur orbes, quibus catenæ alligantur; vid. Heins. ad Ov. Am. I, 6, 25. Alienus ab hoc loco uncus, cujus, X, 66, mentio fit, ubi cum *carcere* jungitur. — Cramerus tamen existimat exempla ab Heinsio allata id minime suadere, Latinis scilicet unquam *uncum* idem esse, quod Germanis *eine krampe*, nobis *un crampon*. Ad mortem damnati ex ipso carcere unco trahebantur; unde dici recte posse *uncus carceris* arbitratur. Ed.

Var. 246. *Et*, 16. — *Ægei*, 19, et al.; vid. ad vs. 81.

Not. 246, 247. Conf. ad I, 73.

Not. 248. *Nomen* hoc. loc. pro homine, ut ὄνομα. [1]

Not. 249. *Surdum*, qui nec preces et vota, nec perjuria audiat. — *Tiresiam*, hoc est, cæcum, instar Tiresiæ, ut non videat hominum facinora. Vel tironibus notus est Tiresias, vates Thebanus; ejusque cæcitas, cujus variæ tamen caussæ traduntur. [2]

---

[1] Vid. Heyn. ad Tibull. III, 4, 61, Bentl. ad Horat. Od. III, 27, 34.

[2] Vid. Spanheim. ad Callim. H. in Lau. Pall. vs. 82; Burm. ad Ovid. Metam. III, 322 seq. et Heyn. ad Apollod. III, 6, 7.

SATIRÆ DECIMÆ QUARTÆ

ARGUMENTUM.

His docet exemplis natos mala vita parentum.
Imbuit exemplis natos mala vita parentum.

AD FUSCINUM. — ΠΕΡΙ ΑΝΑΓΩΓΩΝ ΠΡΟΣ ΦΟΥΣΚΙΝΟΝ (ΦΟΙΣΚΙΝΟΝ in Lat. Exc. Pith.). — DE INSTITUTIONIBUS. — PARENTUM EXEMPLA. — CONTRA ILLOS, QUI FILIOS PRAVIS INSTITUUNT DOCUMENTIS.

Plurima sunt turpia, quæ parentes tam exemplis, quam institutione ac præceptis liberos docent, vs. 1—3. Si illi oblectantur alea, vel delicate et molliter vivunt, vel servos inhumane tractant, etiam hi mature discunt ludere, epulari ac sævire, 4—25. Filia adulteræ iisdem, quibus mater, amoribus indulget, 25—30. Nec mirum : natura enim ita comparatum est, ut in exemplis, præcipue parentum, maxima sit vis, et animus hominum magis ad vitia, quam ad virtutem inclinet, 31—43. Quæ quum ita sint, cave ne quidquam inhonesti et obscœni, vel dicas vel facias coram liberis, 44—49. Qui si non oris tantum et corporis, sed animi quoque habitu moribusque tibi fuerint similes et exemplo tuo peccaverint, tuorum tibi conscius vitiorum, eos castigare et punire non audebis, 50—58. Amicis ad cœnam invitatis, omni opera eniteris, ut supellex lauta sit atque magnifica; illud vero non curas, ut filii domum a culpa quasi flagitiisque vacuam et probos mores, tanquam speculum, intueantur, 59—69. Bene de patria meretur, qui liberos ei gignit, modo curet, ut eidem utiles sint, 70—72. Plurimum vero interest, quibus illi moribus artibusque instituantur, et quales sint parentes, quoniam ab iis exempla sumunt, et, quæ a teneris unguiculis discuntur, mentibus infixa hærent, quod vel animalium exempla probant : nam ciconiæ, vulturis et aquilæ pulli eamdem, quam parentes, victus consuetudinem per totam vitam servant, 73—85. Similiter ædificatorem filius imitatur (86—95), et parvuli Judæorum nihil de superstitione, institutis moribusque paternis mutant,

96—106. Ita in reliquis quoque rebus sponte sua liberi vestigia parentum persequuntur : sola pecuniæ cupiditate inviti insciique inflammantur, quoniam pater, ut virtutis eos specie fallat, quæ avaritia est, parcimoniam appellat, tenerasque illorum mentes paulatim hujus vitii elementis imbuit, 107—124. Quæ si rite animis imbiberunt, extremas eos sordes docet, defraudans servos demensis suis, famemque sibi explens mucidis panis frustis, et opsoniis æstu corruptis, quæ vel mendici respuerint, 125—134. Nullum vero vitium stultius est turpiusque avaritia : potestne enim quidquam esse absurdius, quam misere duriterque vivere, ut dives moriaris? 135—137. Præterea avarus, quo plura possidet, eo plura cupit, et, quamvis agros agris adjiciat, vicinum, si non jure et pretio, certe injuria et fraudibus pellit, parum sollicitus, utrum bene, an male audiat, 138—155. Nec tamen divitiis suis vel corpus, vel animum ægritudine levare potest, 156—160. Veteres Romani, ætate bellique laboribus confecti, post tam egregie navatam rei publicæ operam, binis jugeribus, præmii loco acceptis, contenti erant, et pulte vivebant, 161—171. Nunc horti ampliores sunt, quam olim agri, et insatiabilis habendi cupiditas plurima veneficia, cædes et scelera cujuscumque generis gignit, 172—178. Prisci Marsi, Hernici ac Vestini frugalitatem agrique culturam filiis suis commendabant, tenuique victu vitam sustentare solebant, 178—188. Nostris contra temporibus et patres et nutrices parvulos omnibus iis artibus, etiam vilissimis, instruunt, e quibus lucrum possint facere, et diligenter iis inculcant illam poetæ sententiam : « Unde habeas quærit nemo, sed oportet habere », 189—209. Cur vero tantopere urges filium tuum, stultissime parens, ut mature parcus sit et pecuniæ avidus? Quam primum enim adoleverit, non est, quod dubites, quin te ipsum avaritia superet, et falsis testimoniis, perjuriis uxorisque cæde divitias quærat, 210—224. Horum scelerum ipse auctor es censendus : quicumque enim malis artibus rem familiarem alicui augere permittit et stultum dicit esse, qui amicorum propinquorumque inopiæ subveniat, is quoque spoliare, decipere et quovis modo opes sibi acquirere docet ac suadet, 225—243. Filium itaque tuum adulta ætate inexplebilis, qua eum incendisti, pecuniæ cupi-

ditas in omne scelus rapiet, nec tibi ipsi parcet, si vita nimis longa votis ejus obstiterit, 244—255. Minus profecto jucundum nobis spectaculum præbent ludi scenici ludicræque artes, quam labores et pericula, quæ lucri causa avarus suscepit, 256—264. Periculosa quidem est ars petauristarum et funambulorum, sed ad vitam sustentandam spectat; avarus contra majori vitæ discrimine omnia percurrit maria, ut divitiis affluat, 265—283. Alii aliis modis insaniunt, sed nemo magis eo, qui lucri spe captus ne sæva quidem tempestate deterretur, quo minus se suaque omnia uni tabulæ committat, 284—295. Quo fit persæpe, ut stultus ille homo, qui modo omni, quod usquam est, auro inhiabat, mox stipem colligat eique vix suppetant panni, quibus corpus velare possit, 295—302. Quam misera denique est avari conditio, qui divitias, quas tantis sibi paravit curis periculisque, majore metu et sollicitudine custodit? Quanto felicior pauper, qui pauca quidem possidet, sed nihil cupit, et prudentiæ confidit, non fortunæ? 303—316. Quæ quum ita sint, auctor tibi sum, ut plura non concupiscas, quam quæ ad victum vitæque usum pertineant : ita enim tibi persuadeas velim, nulla divitiarum magnitudine expleri posse, qui rebus ad vivendum necessariis non sit contentus, 316—331.

SATIRÆ DECIMÆ QUARTÆ

ANALYSIS.

Satira hæc rerum affectuumque gravitate præ ceteris excellit et præclaris sententiis tamquam gemmis distincta est clarissimis. In prima ejus parte (vs. 1—134), redarguuntur acerbe parentes, exemplis et præceptis liberos suos ad vitia vel in suos eosque pravos mores formantes, in altera (vs. 135—331), potissimum notatur avaritia. Cum hac conferenda Horatii Sat. I, libri I, et lib. II, 3, 108 seq. ut ita diversissimum dicendi genus perspicue cognoscatur; (Horatius enim, ut solet, ridendo vitium hoc corripit, Juvenalis

autem altius insurgens declamatorio more et magistri severitate illud in invidiam adducit atque indignationem excitat) cum illa, præter loca, in Comment. laudata, Sen. de Ira, II, 22, et Epist. 97. Plut. de Institut. Liber. et Quintil. Inst. Orat. I, 1, 6, cujus verba omnino digna sunt, quæ h. loc. adscribantur : « Utinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus! Infantiam statim deliciis solvimus : mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes et mentis et corporis frangit. Quid non adultus concupiscet qui in purpuris repit? .....Jam coccum intelligit, jam conchylium poscit. ....Gaudemus, si quid licentius dixerint; verba, ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, risu et osculo excipimus. Nec mirum; nos docuimus, ex nobis audierunt. Nostras amicas, nostros concubinos vident, omne convivium obscœnis canticis strepit, pudenda dictu spectantur. Fit ex his consuetudo, deinde natura. Discunt hæc miseri, ante quam sciant vitia esse : inde soluti ac fluentes non accipiunt e scholis mala ista, sed in scholas afferunt, etc. » Notæ Achaintrii sunt hæ : « Poeta ostendit supra II, 166, et VI, 617, quam pessima (!) fuerint commercia, et quantum nocerent reipublicæ Imperatorum, regum ac populi primorum corrupti mores. Nunc demonstrat, quanti sint ponderis exempla domestica, quæ re ipsa morum publicorum sunt certissima fundamenta. *Dusaulx* poetæ nostro objicit, quod abrupta nimis transitione ad aliud argumentum, scilicet ad avaritiam transierit : male, nostro judicio; nam et id suo (!) themati conveniebat. Ex omnibus enim vitiis, ad eversionem imperiorum aptissimis, nullum optimus ille vir judicabat pejus, et vitandum magis quam avaritiam, scilicet cupiditatem habendi per fas et nefas. Quam qui in animos puerorum insinuat, is merito patriæ hostis debet haberi. Ea enim plebem turbulentam efficit, cives inquietos et novarum rerum avidos, mercatores rapaces, judices corruptos, milites infidos, duces perjuros et ei, qui plus pollicetur, vitam suam addicentes, Imperatores ambitiosos, spoliatores, deprædatores, tribunos denique ad populi tutelam institutos venales, perturbatores, patriæ defectores, et rempublicam tyranno vendentes. Conf. Virg. Æneid. VI, 621, 622. Recte igitur a vs. 106 Juvenalis acriter invehitur in avaritiam, quippe

quod vitium, quum sint alia quodammodo condonanda, nullam habet excusationem, et virtutibus supra memoratis proximum est, etsi tamen ab iis distinctum. Non enim permisceas *avaritiam* cum *frugalitate*, et ista prudenti rerum familiarium aut publicarum administratione, quæ est privatarum domuum et imperiorum felicitatis firmissimum fundamentum.»

SATIRA DECIMA QUARTA.

PLURIMA sunt, Fuscine, et fama digna sinistra,
Et nitidis maculam hæsuram figentia rebus,
Quæ monstrant ipsi pueris traduntque parentes.
Si damnosa senem juvat alea, ludit et heres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.
Nec melius de se cuiquam sperare propinquo
Concedet juvenis, qui radere tubera terræ,
Boletum condire, et eodem jure natantes
Mergere ficedulas didicit, nebulone parente,
Et cana monstrante gula. Quum septimus annus
Transierit puero, nondum omni dente renato,
Barbatos licet admoveas mille inde magistros,
Hinc totidem, cupiet lauto cœnare paratu
Semper, et a magna non degenerare culina.

SATIRÆ DECIMÆ QUARTÆ INTERPRETATIO.

1. Plurima sunt flagitia, Fuscine, lævam existimationem merentia et dotibus maxime splendidis maculam tenacem figentia, quæ parentes ipsi monstrant et ingerunt suis pueris. Si alea damnosa juvat patrem jam seniorem, ludit et ipse ejus hæres puer bullam adhuc gerens, et ludi instrumenta eadem minori fritillo versat. Neque meliorem quam dedit pater de se spem dabit propinquis suis juvenis ille, qui terræ tubera scalpere ac radere, fungos condire, et eodem jusculo immersas perfundere ficedulas, luxurioso patre docente et cana gula exemplum præbente, didicit. Vix annum septimum attigerit, antequam omnes dentes, qui exciderant, ut fit, infantulo fuerint reparati, licet illum erudiendum sexcentis magistris barbato mento severis tradas, nihilominus epulari paterna magnificentia, et a magna lautaque culina non degenerare volet.

Mitem animum, et mores modicis erroribus æquos
Præcipit, atque animas servorum et corpora nostra
Materia constare putat paribusque elementis?
An sævire docet Rutilus, qui gaudet acerbo
Plagarum strepitu, et nullam Sirena flagellis
Comparat, Anthiphates trepidi laris ac Polyphemus,
Tum felix, quoties aliquis tortore vocato
Uritur ardenti duo propter lintea ferro?
Quid suadet juveni lætus stridore catenæ,
Quem mire afficiunt inscripta ergastula, carcer
Rusticus? exspectas, ut non sit adultera Largæ
Filia, quæ numquam maternos dicere mœchos
Tam cito nec tanto poterit contexere cursu,
Ut non ter decies respiret? conscia matri
Virgo fuit; ceras nunc hac dictante pusillas
Implet, et ad mœchos dat eisdem ferre cinædis.
Sic natura jubet : velocius et citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis

15. Præcipitne Rutilus mitem animum habere, et erga leviter errata lenitatem? Putatne servorum mentes et corpora ea qua nos materia, iis, quibus nos, principiis constare? An docet crudelitatem, quum delectetur acerbo sonitu plagarum ac nullos, et Sirenum cantus flagellis resonantibus dulciores credat, novus in trepida domo Antiphates et Polyphemus? Tum felix est iste, quum aliquis servus, vocato carnifice, inuritur ferrea lamina ardenti, ob duo lintea amissa. Quos sensus juveni cuilibet suggerit is qui stridore catenarum lætatur, quem valde juvat servos habere in fronte notatos, et rure carceres? An speras fore ut Largæ filia non sit adulterio dedita, quæ nunquam nomina mœchorum matris adeo velociter recitare poterit et tanta festinatione, ut non tricies anhelitum recipiat? Flagitiorum matris conscia fuit, dum virgo erat: nunc, matre stylum docente, literas amatorias scribit, quas per eosdem, per quos mater, lenones ad adulteros ferendas curat. Sic a natura comparati sumus, ut exemplis domesticis vitiorum facilius multo et celerius, quam externis et peregrinis depravamur, præsertim quum proficiscuntur ab hominibus, quorum auctoritas magni

Quum subeunt animos auctoribus. Unus et alter
Forsitan hæc spernant juvenes, quibus arte benigna,
Et meliore luto finxit præcordia Titan :
Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ.
Abstineas igitur damnandis : hujus enim vel
Una potens ratio est, ne crimina nostra sequantur
Ex nobis geniti ; quoniam dociles imitandis
Turpibus ac pravis omnes sumus ; et Catilinam
Quocumque in populo videas, quocumque sub axe;
Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus usquam.
Nil dictu fœdum visuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer est. Procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, et cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reverentia : si quid
Turpe paras, ne tu pueri contemseris annos :
Sed peccaturo obstet tibi filius infans.
Nam si quid dignum Censoris fecerit ira
Quandoque, et similem tibi se non corpore tantum

apud nos momenti est. Reperientur fortasse nonnulli qui exempla ejusmodi aversentur, quibus, benigne solers, Prometheus corda nobiliori luto finxerit; ceteros vestigia scelerum a parentibus impressa abducunt, et viam diuturni criminis orbita pridem monstratam abrepti terunt.

38. Fugias igitur quæ sunt damnanda; ad hoc enim faciendum una caussa valere debet, ne nostra flagitia imitentur ex nobis geniti : si quidem ita nati sumus omnes, ut sponte turpe ac pravum quidlibet imitemur, et Catilinas ubique gentium et terrarum reperire sit, Brutos et Catones, nusquam. In ea domo, in qua puer aliquis versatur, nihil audiatur, nihil adspiciatur obscœnum. Procul illinc et istinc removeantur meretrices et cantus parasitorum totam noctem comessando traducentium. Habenda est permagna puerilis ætatis ratio, et quasi reverentia; tuque, si quid improbe facere cogitas, noli teneram pueri ætatem spernere; immo peccaturum te retineat pueritia filii. Si enim aliquando ille admiserit quidpiam a censore

Nec vultu dederit, morum quoque filius, et qui
Omnia deterius tua per vestigia peccet,
Corripies nimirum, et castigabis acerbo
Clamore, ac post hæc tabulas mutare parabis.
Unde tibi frontem libertatemque parentis,
Quum facias pejora senex, vacuumque cerebro
Jam pridem caput hoc ventosa cucurbita quærat?
  Hospite venturo, cessabit nemo tuorum.
Verre pavimentum; nitidas ostende columnas;
Arida cum tota descendat aranea tela;
Hic leve argentum; vasa aspera tergeat alter;
Vox domini furit instantis virgamque tenentis.
Ergo miser trepidas, ne stercore fœda canino
Atria displiceant oculis venientis amici,
Ne perfusa luto sit porticus; et tamen uno
Semodio scobis hæc emundat servulus unus.
Illud non agitas, ut sanctam filius omni
Adspiciat sine labe domum, vitioque carentem?

merito castigandum, nec tui duntaxat oris lineamenta expresserit, sed morum etiam, et improbitatis paternæ quasi filius fuerit; quum scelera tua fideliter imitatus, ea flagitiis suis adhuc pejoribus cumulaverit, illum scilicet reprehendes, et verbis atrocibus increpabis, quin etiam hereditate spoliare constitues. Unde tibi arrogabis frontem patris et illam paternæ objurgationis libertatem, quum graviora pecces ipse jam ætate provectus, et caput tuum, sanæ mentis expers, iis quibus curantur phrenetici, cucurbitulis vento plenis indigeat?

59. Quum hospes aliquis te domi tuæ conventurus est, nemo non tuorum famulorum agit strenue: pavimentum purga, inquies, sordibus, columnas terge; tu araneas mihi istas dejice: tu argentea vasa, et quæ sunt sine sculpturis, et quæ sunt cælata, terge. Sic illos furens dictis ac verberibus etiam urges. Ergo trepidas, miser, ac vereris, ne quid fœdum domi tuæ amicus adspiciat; ne atrium canino stercore, porticus cœno inquinata sit; quum tamen injecto uno pulvisculi semimodio huic malo mederi famulus unus possit: illud vero non curas, ut puram ab omni labe et

Gratum est, quod patriæ civem populoque dedisti,
Si facis, ut patriæ sit idoneus, utilis agris,
Utilis et bellorum et pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit, quibus artibus, et quibus hunc tu
Moribus instituas : serpente ciconia pullos
Nutrit, et inventa per devia rura lacerta :
Illi eadem sumtis quærunt animalia pinnis.
Vultur, jumento et canibus crucibusque relictis,
Ad fetus properat, partemque cadaveris affert.
Hic est ergo cibus magni quoque vulturis et se
Pascentis, propria quum jam facit arbore nidos.
Sed leporem aut capream famulæ Jovis et generosæ
In saltu venantur aves : hinc præda cubili
Ponitur; inde autem, quum se matura levarit
Progenies, stimulante fame, festinat ad illam,
Quam primum prædam rupto gustaverat ovo.
Ædificator erat Cetronius, et modo curvo
Litore Caietæ, summa nunc Tiburis arce,

vitiis carentem domum tuam filius adspiciat! Patriæ et reipublicæ placet, bene est, quod ei civem donaveris; modo tamen efficias educatione proba, ut reipublicæ sit utilis, ac vel colendis agris, vel tractandis pacis bellive artibus idoneus exsistat. Ad hanc rem porro valde referet quibus illum tu disciplinis quibusque institutis formes. Pullos anguibus alunt ac stellionibus per devios agros repertis ciconiæ : illi, quum alis instructi fuerint, eumdem cibum quæritant. Vultures abjecta in agris equorum et canum, aut hominum suspensa e patibulis cadavera laniant, ac frusta pullis deportant in nidos : illinc igitur quoque vultures victum comparant, quum grandes evasere, et jam per se pasti nidos in arbore peculiari exstruunt. At Jovis ministri alites aquilæ, et aves aliæ nobiliores, venationem per nemora exercent, leporesque aut capreas excipiunt, quas inferunt nidis; e quibus quum evolavit ad prædam adulta soboles, famem stimulantem illa ipsa dape sedat, quam initio gustavit, quum ex ovo primum exclusa est.

86. Ædificare Cetronius amabat, et nunc in Caietano litore, nunc in collibus Tiburtinis, aut in Prænestinis montibus villas exstruebat

Nunc Prænestinis in montibus, alta parabat
Culmina villarum, Græcis longeque petitis
Marmoribus, vincens Fortunæ atque Herculis ædem,
Ut spado vincebat Capitolia nostra Posides.
Dum sic ergo habitat Cetronius, imminuit rem,
Fregit opes; nec parva tamen mensura relictæ
Partis erat: totam hanc turbavit filius amens,
Dum meliore novas attollit marmore villas.
Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,
Nil præter nubes et cæli numen adorant,
Nec distare putant humana carne suillam,
Qua pater abstinuit; mox et præputia ponunt:
Romanas autem soliti contemnere leges,
Judaicum ediscunt, et servant, ac metuunt jus,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moses;
Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti;
Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.
Sed pater in caussa, cui septima quæque fuit lux
Ignava, et partem vitæ non attigit ullam.

excelsas, quas accersito e Græcia et longinquis oris marmore sic ornabat, ut magnificentiam templorum Herculis Fortunæque superaret, sicut Posides eunuchus Capitolii nostri splendorem vincebat. Hoc luxu Cetronius opes dilapidavit, quarum tamen pars adhuc non adspernanda supererat; hanc ejus filius totam perdidit, dum alias præstantiori marmore villas erigit.

96. Nonnulli sortiti patrem sabbati Judaici ritus religiose et cum metu observantem, nubes et cælum tanquam numen unice venerantur, neque discrimen ullum inter humanam carnem et porcinam statuunt, quum hac pater abstinuerit; mox præputia etiam circumcidunt: iidem Romanorum leges contemnere assueti, instituta quæque Judæis a Mose in voluminibus nequaquam vulgatis tradita, memoriæ diligenter mandant, ac summa religione custodiunt. Solent monstrare viam nemini, nisi eadem sacra colenti, et circumcisos solos ad fontem quæsitum deducunt. Caussa autem cur id faciant, e patre proficiscitur, qui septimam diem cujuslibet hebdomadæ feriatus transigebat in otio, et ab omnibus communis vitæ officiis abstinebat.

Sponte tamen juvenes imitantur cetera : solam
Inviti quoque avaritiam exercere jubentur.
Fallit enim vitium specie virtutis et umbra,
Quum sit triste habitu vultuque et veste severum.
Nec dubie tamquam frugi laudatur avarus,
Tamquam parcus homo, et rerum tutela suarum
Certa magis, quam si fortunas servet easdem
Hesperidum serpens, aut Ponticus : adde quod hunc, de
Quo loquor, egregium populus putat acquirendi
Artificem : quippe his crescunt patrimonia fabris.
Sed crescunt quocumque modo, majoraque fiunt
Incude adsidua, semperque ardente camino.
Et pater ergo animi felices credit avaros,
Qui miratur opes, qui nulla exempla beati
Pauperis esse putat : juvenes hortatur, ut illam
Ire viam pergant, et eidem incumbere sectæ.
Sunt quædam vitiorum elementa : his protenus illos
Imbuit, et cogit minimas ediscere sordes.

107. Ceterum etsi vitia omnia adolescentes libenter a parentibus hauriant imitando, avaritiam solam inviti et ægre condiscunt, quod speciem ac umbram virtutis illa præ se ferat, et habitus tristitia, vultusque ac vestium severitate horreat; et ideo quod parentes laudent avarum, ut virum probum, frugalem, parcum, qui fortunas suas tutetur ac servet melius, quam si eas custodiret ille pervigil draco, qui poma Hesperidum, aut alter, qui aureum vellus prope Pontum custodiebat. Adde quod eumdem hunc, de quo loquor, honorandum populus putat in arte acquirendi artificem, quia talium fabrorum patrimonia crescunt; et crescunt quidem, sed majora fiunt adhibita arte qualibet, assiduo et indefesso labore, instar opificum, qui ferrum camino semper ardente mollientes, non desinunt incudi impositum fingere, ut longius efficiatur.

119. Ergo pater avaros existimat animorum felicitate præstantes, qui nihil æque ac divitias miratur, qui nullum exstitisse exemplum putat pauperis læti et beati; ideo filios adhortatur sedulo, ut eamdem insistant viam, et eam feneratorum sectam complectantur. Quemadmodum autem in omnibus vitiis, perinde atque in artibus,

Mox acquirendi docet insatiabile votum.
Servorum ventres modio castigat iniquo,
Ipse quoque esuriens: neque enim omnia sustinet umquam
Mucida cærulei panis consumere frusta,
Hesternum solitus medio servare minutal
Septembri: nec non differre in tempora cœnæ
Alterius conchem æstivam cum parte lacerti
Signatam, vel dimidio putrique siluro,
Filaque sectivi numerata includere porri.
Invitatus ad hæc aliquis de ponte negabit.
Sed quo divitias hæc per tormenta coactas,
Quum furor haud dubius, quum sit manifesta phrenesis,
Ut locuples moriaris, egentis vivere fato?
Interea pleno quum turget sacculus ore,
Crescit amor numi, quantum ipsa pecunia crevit;
Et minus hanc optat, qui non habet: ergo paratur

rudimenta sunt nonnulla, quibus tirones auspicari debent, dat protinus operam avarus pater, ut filii mature omnibus lucri artibus documentisque imbuti, vel minimos conficiendi quæstus modos ediscere cogantur; mox excitat in eorum animis insatiabilem acquirendi et habendi cupiditatem. Servorum ventres quasi comprimit, triticum ipsis, minore quam æquum est, modio admetiens, et ipse quoque fame pariter laborat; neque enim satis sibi imperare potest umquam, ut omnia frustula cærulei ob muciditatem panis comedat; pulmentum e cibis minutatim concisis pridie paratum ac delibatum, medii inter fervores septembris, servare solet in sequentem diem: fabarum cum suo coctarum putamine, item siluri lacertive jam putentis, partes, una cœna relictas reponit in alteram cœnam, eaque omnia diligenter sigillo suo munita condit, cum filis porri sectilis, quorum numerum accurate recensuit. Rogator in pontibus mendicare solitus, ad ejusmodi vocatus obsonia, venire recusaret. Sed quid prosunt, o avare, divitiæ per tot labores et sudores congestæ, quum sis vero furore, ac manifesta phrenesi correptus, qui vivas more mendici, ut moriaris locuples? Interim etsi crumena numis distenta turgeat, nihilominus divitiarum insana cupiditas tantum crescit, quantum ipsa pecunia,

Altera villa tibi, quum rus non sufficit unum,
Et proferre libet fines; majorque videtur
Et melior vicina seges : mercaris et hanc, et
Arbusta, et densa montem qui canet oliva.
Quorum si pretio dominus non vincitur ullo,
Nocte boves macri, lassoque famelica collo
Jumenta, ad virides hujus mittentur aristas;
Nec prius inde domum, quam tota novalia sævos
In ventres abeant, ut credas falcibus actum.
Dicere vix possis, quam multi talia plorent,
Et quot venales injuria fecerit agros.
  Sed qui sermones? quam fœdæ buccina famæ?
Quid nocet hoc? inquit : tunicam mihi malo lupini,
Quam si me toto laudet vicinia pago
Exigui ruris paucissima farra secantem.
Scilicet et morbis et debilitate carebis,
Et luctum et curam effugies, et tempora vitæ

adeo ut qui penitus illa caret, levius eamdem desideret. Itaque quum tibi villa una satis non sit, alteram mercaris; placet agri tui limites extendere : vicini arvi seges, et major, et felicior videtur : illud emendum suscipis cum amœna silvula et monte ipso, qui oleis densis albicat. Quod si compelli nequit dominus oblata pro illis quantacumque pecunia, ut vendat, grex boum macilentus, et enecta fame ac lassitudine jumenta, in segetes illius, virentes adhuc, immittentur a te noctu; nec prius redibunt inde domum, quam herba omnis ac spes messis futuræ a famelicis armentis depasta in ventres abierit, perinde quasi falcibus fuisset succisa. Vix dici potest, quam multi suas segetes ita deperditas lamententur, quam multi per istam injuriam et improbitatem suos agros divendere sint coacti.

152. Age vero quis hominum est sermo? quam fœda buccina personat apud omnes fama tua, avare? — Quid hoc mihi tandem obest? inquit. Malo leguminis vilissimi siliquam habere, quam laudari ab omnibus incolis pagi in vicinia, si parum interim frumenti ex agello angusto colligam. — Nempe id assequeris, opinor, tuis illis opibus, ut morbis, infirmitate careas, mœrorem et curas propulses? ut vita longiore et beatiore perfruaris, si agri opimi limites tan-

Longa tibi post hæc fato meliore dabuntur,
Si tantum culti solus possederis agri,
Quantum sub Tatio populus Romanus arabat.
Mox etiam fractis ætate, ac Punica passis
Prælia, vel Pyrrhum immanem gladiosque Molossos,
Tandem pro multis vix jugera bina dabantur
Vulneribus: merces ea sanguinis atque laboris
Nullis visa umquam meritis minor, aut ingratæ
Curta fides patriæ: saturabat glebula talis
Patrem ipsum turbamque casæ, qua feta jacebat
Uxor, et infantes ludebant quatuor, unus
Vernula, tres domini: sed magnis fratribus horum
A scrobe vel sulco redeuntibus, altera cœna
Amplior, et grandes fumabant pultibus ollæ.
Nunc modus hic agri nostro non sufficit horto.
Inde fere scelerum caussæ, nec plura venena
Miscuit, aut ferro grassatur sæpius ullum
Humanæ mentis vitium, quam sæva cupido

tos habueris solus, quantos integer populus Romanus arabat, quum Tatius Sabinis imperitaret.

161. Non multo post illud tempus, militibus Romanis fractis ætate, postquam sustinuerant bella punica, impetusve terribiles Pyrrhi et Epiroticorum enses, pro multis vulneribus acceptis, vix duo jugera tandem donabantur. Hanc sudoris multi cruorisque in bello fusi mercedem nemo umquam eorum meritis suis inferiorem putavit, aut ingratam idcirco patriam, ac parcam nimis est arbitratus. Agellus ejusmodi patrem abunde alebat, cum tota familia casam habitante, in qua erat uxor prægnans, ludebant infantes quatuor; tres nempe filiifamilias, et unus servulus domi natus. Sed illorum fratribus adultis, quum redirent ab agro, ubi vel scrobes effoderant, vel humum araverant, major quædam cœna instruebatur, in qua scilicet pultes largiter apponebantur. Nunc jugera hæc duo, quibus veterum agri definiebantur, nostris hortis non sufficiunt. Ex hac nimirum habendi cupiditate omnia ferme flagitia proficiscuntur: neque ullo vitio sæpius aut ad venena miscenda, aut ad stringendum ferrum excitantur mortales, quam immodicarum opum impla-

Indomiti census : nam dives qui fieri vult,
Et cito vult fieri : sed quæ reverentia legum,
Quis metus, aut pudor est unquam properantis avari?
Vivite contenti casulis et collibus istis,
O pueri, Marsus dicebat et Hernicus olim,
Vestinusque senex; panem quæramus aratro,
Qui satis est mensis : laudant hoc numina ruris,
Quorum ope et auxilio, gratæ post munus aristæ,
Contingunt homini veteris fastidia quercus.
Nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi; qui submovet Euros
Pellibus inversis : peregrina ignotaque nobis
Ad scelus atque nefas, quæcumque est, purpura ducit.
Hæc illi veteres præcepta minoribus; at nunc
Post finem auctumni media de nocte supinum
Clamosus juvenem pater excitat : « Accipe ceras;
Scribe, puer; vigila; caussas age; perlege rubras

cabili cupidine. Qui enim ditescere cupit, voti compos fieri cito cupit; qui vero ita comparatus est, qui semper in augenda re festinat, an ille tandem leges reverebitur? An pudor eum, vel metus in officio continebit?

179. O filii, contenti estote istis casulis atque collibus, dicebant olim suis natis Marsi, Hernici et Vestini senes; paremus arando panem qui sufficit ad victum : laudant istam frugalitatem rustici dei quorum ope et auxilio contigit homini ut, concesso grati frumenti beneficio, veterem quercus cibum fastidiret. Nihil sceleris ille admittere volet, quem non pudet crassos induere perones per brumam; qui frigus arcebit ovium pellibus, earum villosa parte corpori admota. Peregrinæ purpuræ usus quæcumque sit, nam nobis ignota est, ad flagitia et scelera ducere solet.

189. Sic majores nostri suos liberos instituebant, his illos præceptis formabant; at nunc, autumno jam exeunte, nocte de media, dormientem placide filium pater his verbis clamando jubet surgere : Sume, inquit, libros, somnum excute; ad scribendum incumbe, ad caussas defendendas te compara, legum a majoribus traditarum co-

Majorum leges; aut vitem posce libello.
Sed caput intactum buxo naresque pilosas
Adnotet, et grandes miretur Lælius alas.
Dirue Maurorum attegias, castella Brigantum,
Ut locupletem aquilam tibi sexagesimus annus
Afferat; aut, longos castrorum ferre labores
Si piget, et trepidum solvunt tibi cornua ventrem
Cum lituis audita, pares, quod vendere possis
Pluris dimidio, nec te fastidia mercis
Ullius subeant ablegandæ Tiberim ultra:
Neu credas ponendum aliquid discriminis inter
Unguenta et corium: lucri bonus est odor ex re
Qualibet. Illa tuo sententia semper in ore
Versetur, Dîs atque ipso Jove digna, poetæ:
Unde habeas, quærit nemo; sed oportet habere.
Hoc monstrant vetulæ pueris repentibus assæ:
Hoc discunt omnes ante alpha et beta puellæ. »

dices evolve; aut centurionis munus et insignia supplici libello ab imperatore postula. Sed fac ut Lælius, dux exercitus, pectine intactos tibi et hispidos esse crines, nares pilis hirsutas, et lacertos ingentes mirabundus animadvertat. Everte Maurorum casas, arces Anglorum exscinde, ut quum ætatis annum sexagesimum attigeris, signiferi munus in aliqua legione obtineas, unde magnas opes denique consequaris. Quod si ferendo militiæ labori diuturno par non es, si mixtus cornuum et lituorum clangor tibi metum, quo resolvatur alvus, afferat, mercaturam exerce, compara quod vendas pluris dimidio quam emeris, neque fastidias olidas quasdam merces, quæ trans Tiberim deportandæ sint; aut putes differentiam aliquam inter unguenta suavissima et fetidum corium esse statuendam: bene olet quidquid est lucri, undecumque id afferatur. Hunc Ennii versiculum, dignum certe Superis auctoribus et ipso Jove, semper usurpa: « Unde habeas, quærit nemo; sed oportet habere. » Hanc præclaram sententiam docent vetulæ parvulos pueros, qui ab ipsis aliquid pecuniolæ rogitant: eadem puellæ omnes perdiscunt, antequam prima literarum appellare norint elementa.

Talibus instantem monitis quemcunque parentem
Sic possem affari : Dic, o vanissime, quis te
Festinare jubet? meliorem præsto magistro
Discipulum; securus abi : vinceris, ut Ajax
Præteriit Telamonem, ut Pelea vicit Achilles.
Parcendum teneris : nondum implevere medullas
Maturæ mala nequitiæ : quum pectere barbam
Cœperit, et longi mucronem admittere cultri,
Falsus erit testis, vendet perjuria summa
Exigua, et Cereris tangens aramque pedemque.
Elatam jam crede nurum, si limina vestra
Mortifera cum dote subit : quibus illa premetur
Per somnum digitis! nam quæ terraque marique
Acquirenda putas, brevior via conferet illi.
Nullus enim magni sceleris labor : hæc ego numquam
Mandavi, dices olim, nec talia suasi.
Mentis caussa malæ tamen est et origo penes te.
Nam quisquis magni census præcepit amorem,

210. Ego vero patrem quemlibet talia hæc præcepta filio suo inculcantem sic libenter alloquerer : Agedum, homo inconsultissime, cur ita properas filium ad avaritiam instituere? Spondeo fore ut brevi discipulus magistrum superet; confide, nequior patre filius erit, ut fuit Ajax Telamone patre suo fortior, Achilles Peleo. Nunc ignoscere debes ætati illius teneriori quam ut intimos animi recessus impleverint jam semina vitiorum maturiora : exspecta paulisper, dum barbam pectere, et longi cultri acie resecare cœperit, falsum dicet testimonium, venalem ad perjuria quælibet linguam minimo pretio addicet, nec Cereris aram ac statuam inter pejerandum tangere dubitabit. Jam exploratum habe funus tuæ nurus, si domum illa vestram ingreditur cum grandi dote, ob quam mors ipsam manet. Ut ille non cunctantibus ac timidis digitis fauces uxori dormienti elidet! Quas enim opes terra et mari conquirendas arbitraris, eas ipse breviori ac perfacili via comparabit. Maxima quippe scelera nullo negotio perpetrantur. Olim tu quidem dices te numquam hæc illi præcepisse, numquam ad hæc flagitia hortatum esse. Vere quidem; attamen ex te nascitur origo et caussa vitiosæ

Et lævo monitu pueros producit avaros,
*Et qui per fraudes patrimonia conduplicare
Dat libertatem, et totas effundit habenas
Curriculo : quem si revoces, subsistere nescit,
Et te contemto rapitur, metisque relictis.
Nemo satis credit tantum delinquere, quantum
Permittas : adeo indulgent sibi latius ipsi!
Quum dicis juveni, stultum, qui donet amico,
Qui paupertatem levet attollatque propinqui;
Et spoliare doces, et circumscribere, et omni
Crimine divitias acquirere, quarum amor in te,
Quantus erat patriæ Deciorum in pectore, quantum
Dilexit Thebas, si Græcia vera, Menœceus :
In quorum sulcis legiones dentibus anguis
Cum clypeis nascuntur, et horrida bella capessunt
Continuo, tamquam et tubicen surrexerit una.
Ergo ignem, cujus scintillas ipse dedisti,
Flagrantem late et rapientem cuncta videbis.

illius indolis. Nam quicumque magnarum opum cupiditatem teneris adolescentium animis instillat, qui sinistris monitis sensim illos ad avaritiam perducit, qui licentiam illis facit amplificandæ malis artibus rei familiaris, ille similiter facit, ac si habenas currui liberas laxaret; is enim, etsi revocaveris, cohiberi nequit, atque, auriga spreto, metas equis abreptus longissime transilit. Nemo satis fecisse credit, si tantum peccat, quantum ipsi permittitur: adeo amat quisque præscripti curriculi fines extendere longius!

235. Quum ex te audit puer, illum insanire, qui amico egenti aliquid largiatur; qui affinem inopia laborantem sublevet; quum, inquam, hoc dicis filio adolescenti, tunc inspiras illi mentem alios spoliandi, decipiendi, eas per fas nefasque comparandi opes, quarum amore tanto flagras, quanto prosequuti sunt patriam Decii, quanto, si vera scriptores Græci narrant, Menœceus Thebanam urbem, cujus in agro e seminatis a Cadmo draconis dentibus dicuntur legiones olim, instructæ armis, subito emicuisse, atque pugnam horridam inter sese commisisse, quasi signum dederit tubicen natus et ipse cum iis. Ergo, ut ad te redeam, ignem il-

Nec tibi parcetur misero, trepidumque magistrum
In cavea magno fremitu leo tollet alumnus.
Nota mathematicis genesis tua : sed grave tardas
Exspectare colus : morieris stamine nondum
Abrupto : jam nunc obstas et vota moraris :
Jam torquet juvenem longa et cervina senectus.
Ocius Archigenen quære; atque eme, quod Mithridates
Composuit, si vis aliam decerpere ficum,
Atque alias tractare rosas : medicamen habendum est,
Sorbere ante cibum quod debeat et pater et rex.
Monstro voluptatem egregiam, cui nulla theatra,
Nulla æquare queas Prætoris pulpita lauti,
Si spectes, quanto capitis discrimine constent
Incrementa domus, ærata multus in arca
Fiscus, et ad vigilem ponendi Castora numi,
Ex quo Mars Ultor galeam quoque perdidit, et res

lum, cujus primam scintillam ipse præbuisti, flammas late spargentem cernes, et cuncta incendio lugubri devastantem : adeo non tibi parcet leo ille quem aluisti, ut contra te miserum trepidumque dominum in receptaculo suo magno cum fremitu absumet.

248. Norunt sane astrologi, quot ad vivendum annos hora tua natalis tibi adpromittat; sed filio tuo permolestum est exspectare, dum Parcæ tam diuturnum vitæ tuæ stamen absolvant : quod antequam resecetur, mortem oppetes. Negotium jam nunc juveni facessis, et hereditatem paternam votis devoranti moram longiorem affers. Discruciat illum hæc tua tam longa, tam similis cervinæ senectus : itaque auctor tibi sum, ut medicum consulas, et emas antidotum a Mithridate compositum, si alterius autumni ficus degustare, aut veris alterius rosas intueri velis : medicamentum illud in promptu habendum est, quod sorbere debeat, antequam capiat cibum et pater a filiis, et rex a subditis metuens.

256. Quod si quis spectet quantis laboribus et ærumnis rem familiarem augeant avari, numosque ærata arca inclusos coacervent, in templo vigilantis Castoris custodiendos, ex eo scilicet tempore, quo a furibus ablatæ sunt pecuniæ depositæ in templo Martis ultoris,

Non potuit servare suas: ergo omnia Floræ,
Et Cereris licet, et Cybeles aulæa relinquas:
Tanto majores humana negotia ludi!
An magis oblectant animum jactata petauro
Corpora, quippe solet rectum descendere funem,
Quam tu, Corycia semper qui puppe moraris
Atque habitas, Coro semper tollendus et Austro,
Perditus ac vilis sacci mercator olentis;
Qui gaudes pingue antiquæ de litore Cretæ
Passum, et municipes Jovis advexisse lagenas?
Hic tamen ancipiti figens vestigia planta,
Victum illa mercede parat, brumamque famemque
Illa reste cavet; tu propter mille talenta
Et centum villas temerarius: adspice portus,
Et plenum magnis trabibus mare; plus hominum est jam

qui ab iisdem latronibus galea quoque sua spoliatus est, ac suas ipse res amisit: si quis, inquam, ærumnas avarorum spectet, næ ille voluptatem ex eo spectaculo percipiet majorem illa, quæ colligitur e spectaculis, sive scenicis, sive circensibus, a prætore vel ditissimo editis. Omnes ergo ludos relinquere poteris Floræ, Cereris, Cybeles; tanto humanæ occupationes, ludus et spectaculum sunt reliquis spectaculis jucundius!

265. Et vero an voluptate liquidiori perfundit animum meum funambulus, agile corpus per petaurum transmittens, aut qui per funem rectum devolat, quam tu, infelix avare, qui perpetuo in navi Cretensi, tanquam in addicta tibi domo, versaris, ventis et naufragiis semper obnoxius miserrimusque, ut quasdam odoris gravioris merces e Sicilia, aut e Creta liquorem ex uvis ad solem arefactis expressum, et vinum in eodem quasi municipio quo Jupiter natum, Romam devehas? Ille tamen funambulus, qui per extensum funem ancipiti ac lubrico incedit gressu, hac arte vitam tolerat; hac frigus et famem depellit: tu tantis periculis ac laboribus temere caput objicis, ut mille compares talenta, ut centum villas numeres. Contemplare portus, et refertum majoribus navigiis æquor, plures jam videbis homines in mari, quam in ipsa terra. Conveniunt numerosæ classes, ubicumque lucri faciendi spes affulsit; neque tantum

In pelago : veniet classis, quocumque vocarit
Spes lucri, nec Carpathium Gætulaque tantum
Æquora transiliet; sed, longe Calpe relicta,
Audiet Herculeo stridentem gurgite solem.
Grande operæ pretium est, ut tenso folle reverti
Inde domum possis, tumidaque superbus aluta,
Oceani monstra, et juvenes vidisse marinos.
  Non unus mentes agitat furor : ille sororis
In manibus vultu Eumenidum terretur et igni :
Hic bove percusso mugire Agamemnona credit,
Aut Ithacum : parcat tunicis licet atque lacernis,
Curatoris eget, qui navem mercibus implet
Ad summum latus, et tabula distinguitur unda;
Quum sit caussa mali tanti et discriminis hujus
Concisum argentum in titulos faciesque minutas.
  Occurrunt nubes et fulgura : « Solvite funem,
Frumenti dominus clamat piperisque coemti;

Carpathium aut Africanum pervolant mare, sed trans etiam montem Calpes penetrant, audituræ stridorem solis currum Gaditano mari mergentis. Scilicet omnibus operæ pretium est Oceani belluas et Tritones vidisse, unde domum redeant marsupio numis distento, ac divite præda superbi.

284. Homines alii alia laborant insania. Est qui tædis armatas et minaces Furias videre sibi videatur in sororis amantissimæ complexu; est qui, dum boves et pecudes flagellis cædit, putet se in Agamemnonem sævire, aut Ulyssem. Quamvis avarus vestes furiosi more non discindat, non minus tamen curatore aliquo indiget, quam qui palam insaniunt, dum mercibus ratem implet usque ad extremas ejus oras, et unius asseris, quo compacta navis est, intervallo, a mari et morte separatur; quum ad tam exitiale periculum adeundum non alia impellatur caussa, quam ut signatum titulis vultibusque minutis argentum in loculos demittat.

292. Cogitur in nubem aer turbidus, emicant fulgura : inclamat nihilominus mercator nautas, ut onustam tritico et pipere suo navim e portu, soluto fune, provehant in altum : Ne vos, inquit, atra cæli facies, aut nubes lividæ, quæ cælum instar fasciæ ambiunt,

Nil color hic cæli, nil fascia nigra minatur;
Æstivum tonat.» Infelix hac forsitan ipsa
Nocte cadet fractis trabibus, fluctuque premetur
Obrutus, et zonam læva morsuque tenebit.
Sed cujus votis modo non suffecerat aurum,
Quod Tagus et rutila volvit Pactolus arena,
Frigida sufficient velantes inguina panni,
Exiguusque cibus, mersa rate naufragus assem
Dum rogat, et picta se tempestate tuetur.
Tantis parta malis, cura majore metuque
Servantur: misera est magni custodia census.
Dispositis prædives hamis vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro
Electro, signisque suis, Phrygiaque columna,
Atque ebore, et lata testudine: dolia nudi
Non ardent Cynici: si fregeris, altera fiet
Cras domus, aut eadem plumbo commissa manebit.

territent: hæc fulgura, hæc tonitrua ex eorum genere sunt, quæ calor æstivus gignere solet, minime ceteroquin periculosa et noxia. Forsan tamen illa ipsa nocte miser trabibus navigii fractis naufragio facto, undis jactabitur, opprimetur, crumenam manibus dentibusque comprehensam tenens. At cujus avaritiæ et cupiditati satis non fuerat aurum omne quod Tagus, quod Pactolus versat in flavis arenis, hic vili centone ad tegenda inguina uda et frigida contentus erit, ac modico cibo, dum vix emersus mari corrogabit stipem, et, ostentata naufragii sui depicta imagine se adversus paupertatem tuebitur.

303. Porro divitiæ tot ærumnis ac laboribus quæsitæ, majori sollicitudine ac metu retinentur. Misera est conditio cujuslibet magnas opes servare satagentis. Licinus in certis ædium suarum locis paratas habet in vasis aquas: præterea complures servos pernoctare vigiles in excubiis jubet, metuens ne vasa pretiosa ex electro, statuæ elegantes, columnæ e marmore Phrygio, eburnea ornamenta, mensæ testudinum putaminibus contextæ, furto rapiantur, aut absumantur incendio. Diogenis dolium igne consumi nequit; si quo casu frangatur, cras ipse alterum dolium, alteras ædes inveniet, aut

Sensit Alexander, testa quum vidit in illa
Magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem,
Passurus gestis æquanda pericula rebus.
Nullum numen habes, si sit prudentia : nos te,
Nos facimus, Fortuna, Deam : mensura tamen quæ
Sufficiat census, si quis me consulat, edam :
In quantum sitis atque fames et frigora poscunt,
Quantum, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis,
Quantum Socratici ceperunt ante penates.
Numquam aliud Natura, aliud Sapientia dicit.
Acribus exemplis videor te claudere: misce
Ergo aliquid nostris de moribus; effice summam,
Bis septem ordinibus quam lex dignatur Othonis.
Hæc quoque si rugam trahit extenditque labellum;
Sume duos Equites, fac tertia quadringenta.

easdem resarciet, partibus plumbo rursum conjunctis et compositis. Ubi Alexander hunc philosophum angustæ testæ ingentem incolam adspexit, tunc profecto intellexit, quanto insignior esset hominis nihil desiderantis felicitas, quam ejus, qui totius orbis dominatum ambiret, ac simul cum rerum gestarum gloria periculorum acerbitatem adæquaret.

315. Nullam vim habes, Fortuna, si adsit prudentia; nos etenim soli sumus, qui te in deorum numero collocemus. Quod si quis tamen exquirat a me, quæ sufficiat mensura opibus, dicam : ea quæ ad propulsandam famem, sitim, frigus necessaria est; quæ satis Epicuro, cui victum hortus præbebat, fuit; quam antea Socrates possidebat. Eadem semper sapientiæ vox et naturæ est, eadem lex. Videbor tibi fortasse paullo severior, qui philosophorum istorum inter exempla acria te includere velim : tempéra igitur hanc severitatem, et illi de Romanorum opulentia elegantiaque nonnihil admisce : compara, per me licet, summam illam pecuniæ quam Otho lege lata illis esse voluit, qui sederent quatuordecim ordinibus theatro proximis. Si hæc tibi de summa non sufficit, si eam ut nimis angustam vultu male contento respuis, habeto sane censum duorum equitum, immo trium. Quod si nondum

Si nondum implevi gremium, si panditur ultra;
Nec Crœsi fortuna umquam, nec Persica regna
Sufficient animo, nec divitiæ Narcissi,
Indulsit Cæsar cui Claudius omnia, cujus
Paruit imperiis, uxorem occidere jussus.

es contentus, si tua cupiditas istis limitibus coerceri nequit, neque Crœsi, neque Persidis regum divitiæ eam aliquandò explebunt, ac ne ipsius quidem Narcissi, cui summam potestatem Claudius imperator concesserat, et qui ad nutum Principis ita fuit obsequens, ut eo jubente uxorem interfecerit.



VARIÆ LECTIONES

ET NOTÆ

IN SATIRAM DECIMAM QUARTAM.

Notæ 1. *Fuscini*, ad quem Satira scripta est, non alibi fit mentio. — *Fama digna sinistra*, in turpissimis rebus habenda, digna quæ vituperentur.

Variæ lectiones 2. *Maculam hæsuram*, 1, 8, et edd. recentt. *maculam et rugam*, 22 (Gr. σπῖλον καὶ ῥυτίδα) *maculam ac rugam*, 10, 11, 12, 15, 16, 17, 19, 20, 21, 25, 26, 27, 45—50, 54—69, 71—74, et omnes Codd. Paris. Hoc probavit Rigalt. et restituit Ach. Ante hunc versum alius legitur in multis codicibus, et quidem *Et quid majorum vitio sequiturque minores* in 12. *Et quod majorum vitio* (al. *vitium*) *sequiturque minores* in 2, 4, 8, a m. sec. 11, 23, 24, 27, 35, 36, 45, 74, et in omnibus fere MSS. Paris. *Et quod majorem vitia sequiturque minores* in 17, 19, 20. Pithœus non repugnat, quo minus eum retineamus, dummodo post vs. 3 reponatur. Sed argumentum potius Satiræ hoc versu et forte altero, qui exciderit, comprehensum fuisse, non male suspicabantur Lipsius Epist. Quæst. IV, 15. Grangæus, Calder. et alii, qui recte monent, in membranis plerisque, memoriæ juvandæ caussa, versum, quo argumentum contineatur, vel Satiris præfixum, vel, ut in cod. Divæi, ad marginem libri scriptum legi, indeque spurium illum et ineptum, quo tota loci hujus sententia turbetur, facile potuisse in textum irrepere.

Not. 2. *Rebus nitidis*, pulchris præclarisque, *hæsuram*, non facile eluendam, *maculam figentia*, infigentia, inurentia, æternam turpitudinis labem adspergentia.

Not. 3. *Monstrant* exemplis, et *tradunt* præceptis.

Var. 4. *Juvet*, 22.

Not. 4, 5. Similiter Dryden, qui hoc loc. expressisse videtur et egregie dixit :

> If gaming does and aged Sire entice,
> Then my young master swiftly learns the vice
> And shakes in hanging sleeves the little box and dice.

— *Alea damnosa*, vid. ad I, 89, 90. — *Heres bullatus*, infans parvulus, qui bullam prætextamque nondum deposuit, vel decimum certe quartum ætatis annum nondum egressus est. Conf. ad V, 164.

Not. 5. *Parvo*, ætati infantis apto. — *Fritillus* (al. *pyrgus*, *turricula*, *orca*, *pyxis*), pyxis cornea, vel vasculum poculo simile, in quo tali et tesseræ (h. loc. *arma*, ludi instrumenta, unde forsan *armiger* dictus supra I, 92), concutiuntur et inde per pyrgum seu turriculam, quæ etiam phimus, φιμὸς, et orca vocatur, in alveolum seu forum, tabulam lusoriam seu talariam, conjiciuntur. — *Movet*: nam tali, fraudis vitandæ caussa, mota prius agitataque manu in alveum lusorium jaciebantur; unde Græcis dicuntur διάσειστοι ἀστράγαλοι.[1] — *Fritilli* vocem, ut verbis Crameri utar, derivat glossographus a verbo *fritinnire*, quod sonitum quasi hirundinum edat. Eum tesserarum sonitum, dum jactantur in fritillo etiam alii commemorant. Sidonius, Epist. II, 9: « hunc inter aleatoriarum vocum computationes,[2] frequens crepitantium fritillorum tesserarumque strepitus audiebatur; » ubi vid. Savaronem. Quod autem Schol. in fine addit, *aut fritillum pyrgum dixit*, hinc putandum est aliquam fortasse differentiam *fritillum* inter et *pyrgum* ab ipso constitutam, quam alii non agnoscunt. Vid. Turneb. Advers. XXVII, 3. Ed.

Var. 6. *Melius cuiquam de se*, 11, 16, 17, 45. *De se cuiquam melius*, 20. *De se melius cuiquam*, 25, 27, 46—50, 54—69, 71—74.

Not. 6—14. Spes nulla erit, mores filii alios melioresque futuros esse, quam parentis, si hic delicate ac molliter vivet. — *Non melius*, quam filius patris ejus, quem alea juvat; vel *non melius de se*, quam de parente suo.

Var. 7. *Concedit*, 10, 15, 16, 17, 19—24, 7, 48, 54, 69—65, et XXXIII MSS. Paris. prob. Ach. — *Rodere* quosdam legere monet Lubinus, qui id exponit, avide vorare.

Not. 7. *Tubera terræ*, Gall. *des truffes, des champignons*, Linn. *lycoperdon tuber*, Germ. *Trüffeln, Staubschwämme*. *Tubera terræ* (ὕδνα in Glossario Philox.) dicuntur ad differentiam tuberum in arboribus crescentium, qui *tuberes Libyci* vocantur apud Martial. XIII, 42, et 43, forsan Gall. *mousserons* vel *morilles*; H. Vales. — *Radere*, corticem eorum cultello abradere et tum ea cibo parare.[3]

Not. 8. *Boletus* optimum fungi genus, Gall. *champignon poreux*, Germ. *Bilz*, *Löcherschwamm*. Conf. V, 147, et VI, 621. — *Eodem jure*, quo parens mergebat.

Not. 9. *Ficedula*, motacilla Linn., Gall. *figuier, bec-figue*, Germ. *Grass-*

[1] Vid. ad Theophr. Char. V, 4, et intpp. Ovid. Nuc. 87. — Ad quæ nos, Ovidii vol. I, pag. 460. Ed.

[2] « An computationes? inquit *Cramer*; solent enim aleatores quantum creverit, aut diminuta sit pecunia, computare. » Ed.

[3] Vid. Heins. ad Ovid. Am. III, 15, 2, et Medicam. fac. vs. 85; Salmas. Exerc. Plin. pag. 708.

nücke, *Feigenesser, Feigenschnepfe.* Vid. Hard. ad Plin. X, 29, seu 44; Romanis in deliciis erant *tubera* (vid. V, 116; Mart. XIII, 50; Dioscorid. II, 175; Plut. Symp. Quæst. IV, 11), *boletus* (vid. V, 147, et Suet. Claud. 44), et *ficedula* (vid. Gell. XV, 8, ibique intpp.). *Mergere*, devorare: nam ficedulæ totæ a gulosis comedi solebant. vid. Gell. l. c. — *Cana gula*, senex gulosus, pater gulæ delicatæ. Conf. ad IV, 39.

VAR. 11. *Puero* pro *puerum* restituit ex 10, 15, 16, 17, 19—27, 45—50, 54, 55, 57—69, 71, 72, 73, et XXX MSS. Paris. Possis etiam distinguere: *Transierit*, *puero*,..... *admoveas*.

NOT. 11. Designatur septimus ætatis annus, quo dentes excidunt.

NOT. 12. *Barbatos magistros*, philosophos, qui barbam alebant; de qua Stoicorum in primis Cynicorumque barba vid. Böttigeri Sabina, pag. 310, 311, 314. — *Admoveas*, adhibeas ad erudiendam emendandamque mentem, pravo patris luxuriosi exemplo depravatam.

NOT. 13. *Paratu*, apparatu.

NOT. 14. Venuste pro, a paterno luxu haud deflectere et quasi degenerare.

NOT. 15—20. Num clementiam *Rutilus*, pater, mitemque justitiam, quæ placide fert parva delicta, an crudelitatem docet filios, dum in servos propter levia peccata flagris sævit?

VAR. 16. *Præcipitat qui*, 29. *Præcipitaret*, 12. — *Animos*, 10, 12, 15, 17, 19, 25, 27, 45—50, 54, 55, 57—63, 65—69, 71, 72, 73, et multi Codd. Paris.

NOT. 16. *Nostra materia*, ex eadem, ex qua formata sunt nostra.

VAR. 17. *Materia constare pari paribusque elementis* conj. Wakef. ad Lucret. III, 375. Sed jungere malim *nostra materia;* vid. Commentar. — *Paribusve*, 17.

NOT. 16—17. Conf. ad VI, 222; Sen. Ep. 47, et similia loca Macrob. Sat. I, 11, et Arriani in Epict. Diss. XIII.

VAR. 18. *Insævire* quidam. — *Rutulus*, 11, 17, 19, 21—24.

NOT. 18. *Rutilus* homo forte illius ætatis, nobis ignotus. Britann. putabat, ad Rutilum quemdam respici, qui temporibus poetæ, absumptis per luxum divitiis, ad gladiaturam se contulerit. Alii eumdem XI, 2, memorari suspicantur.

VAR. 19. *Plagarum crepitu* emend. Broukhus. ad Tibull. IV, 1, 59, quum crepare sit verbum proprium in verberibus. Sed paucis id locis haud confici posse monet Hein. et in loco Cic. Verr. V, 62. *Strepitus* legi in duobus Codd. teste Gron. ad Gell. X, 3.

Not. 19. Qui Sirenum vocem cantumque non æque suavem et auditu jucundum putat, ac sonum flagellorum.

Var. 20. *Et* pro *ac*, 22.

Not. 20. Qui sævissimus in suos tyrannus est. — *Lar* domus et qui in ea sunt, h. loc. inpr. servi. — *Antiphates* Læstrygonum rex, notissimus ex Hom. Odyss. X, 114 seq. et Ovid. Met. XIV, 233 seq. ut *Polyphemus* Cyclops ex Odyss. I, 68; IX, 182—542; Virg. Æneid. III, 618 seq. et Eurip. Cycl.

Var. 21. *Tunc*, 10, 11, 17, 19—24, 45. — *Aliquis quoties*, 7, et mox vs. 22. *Propter duo*, 7, 11. Utrumque probavit *d'Orville*, ad Chariton. I, 5, pag. 234, ed. Lips.

Not. 21. *Tum felix* sibi videtur, gaudet.

Not. 22. *Ardens ferrum* laminæ ardentes seu candentes, quæstionum cruciatusque instrumenta. Vid. intpp. Prop. III, 7, 35, et Charit. Aphrodis. I, 5, pr. [1] — *Propter lintea*, res viles amissas et desideratas vel dolo subreptas.

Not. 23. Quid filium docet pater crudelis, qui delectatur strepitu compedum, quibus servi in ergastulis vinciuntur?

Not. 24. *Mire*, mira voluptate. — *Ergastula* propr. *carcer rusticus:* nam in villis plerumque et agris erant, et quidem subterranea, angustis illustrata fenestris, in quæ detrudebantur servi, sive fugitivi ac mali, sive captivi, barbari ac viles. [2] Sed h. loc. *ergastula* sunt ipsa mancipia, ut alibi *servitia*, *stabula*, *naufragia*, *aucupia*, etc. abstr. pro concr. vel *ergastula inscripta* vocantur, in quibus sunt mancipia *inscripta*, hoc est, stigmate vel signo fronti inusto notata. Sic *servi inscripti* dicuntur Martial. VIII, 75, 9, et Plin. XVIII, 4, ubi vid. intpp.; *literati* Plaut. Casin. II, 6, 49; *inusti* Plin. XXII, 3; et *barbarus* (servus fugitivus) *compunctus notis* (στίγμασι) *Threiciis* Cic. Off. II, 7.[3] — Docti tamen viri, inter quos recentissimus Juvenalis interpres, clar. *Baillot*, dubitant an hoc loco voce *ergastula* servi sint intelligendi; verum arbitrantur ipsum esse carcerem, cujus januæ inerat ea inscriptio: *carcer Rusticus;* quod quidem mire hominis feri oculos delectabat. Ed.

[1] Lipsius, Electr. II, 15, existimabat, h. loc. candens ferrum designari, quo literæ seu notæ fronti servorum inurebantur, quo etiam referebat verba Nævii apud Priscian. VII, *signare oportet frontem calida forcipe* Sed eo poeta potius mox vs. 24 respexit.

[2] Conf. sup. Noster, Sat. VIII, 180; Colum. I, 5 et 8; Lips. Electr. II, 15.

[3] Vid. ad X, 183, impp. Claud. XX, 344; Burm. ad Petron. c. 103, pag. 480; Lips. Elect. II, 15; Salmas. Exerc. Plin. pag. 258; Gesner. ad Colum. X, 225; Schwartz. ad Plin. Pan. 35, 3; Dioscor. Parabil. I, 116; IV, 76.

Var. 25. *Exspectes*, 15, 25, 46—50, 54—60, 64, 65. — *Lagæ*, 21 a m. sec. 22. *Large* invita Minerva conj. Fidentinus et Sabinus.

Not. 25 seq. Conf. VI, 232 seq. 239 seq. ibique not. *exspectas*, sperasne? vid. ad VI, 75. — *Largæ* adulteræ eo tempore forsan famosæ.

Var. 26. *Discere*, 24.

Var. 27. *Non*, 22. — *Potuit*, 24. *Poterit tanto*, 21.

Not. 27. *Contexere*, ordine recensere, *tanto cursu*, tam cito.

Not. 28. Ut non ter decies respiret, lepida hyperbole. — *Conscia matri*, adulteriorum amorumque matris. — *Ceras*, tabulas ceratas, et quidem h. loc. literas amatorias. Vid. ad VI, 233.

Not. 29. *Dictante hac*, matre, ut eas conficere, scribere discat. Conf. VI, 239 seq.

Var. 30. *Mæchos* pro *mæchum* revocavi ex 10, 11, 12, 15, 16, 17, 19, 20, 25, 27, 45—50, 54—60, 64, multis MSS. Paris. et Prisciani lib. VII et XIII. — *Easdem*, 16.

Not. 30. *Dat ferre*, ferendas, ut apud Hom. δῶκε φορῆναι, φέρειν, ἄγειν, vel ὀπάσσε κομίζειν. — *Eisdem*, quibus eas mater ferendas dederat, *cinædis*, turpissimis ministris et internuntiis. Conf. ad IV, 106.

Var. 31. *Natura docet*, 24.

Not. 31 seq. Conf. Senec. de Ira, II, 22. Quintil. Inst. I, 2, et Plut. de Puer. Inst.

Not. 31. Sic natura comparatum est.

Var. 33. *Subeant*, 10, 13, 15, 16, 17, 19—22, 24—27, 45—50, 54—69, 71—74, et omnes fere Codd. Paris. — *Actoribus*, 16. *Doctoribus*, 7.

Not. 33. *Auctoribus magnis*, nam exempla dant parentes, quorum magna est apud liberos auctoritas. — *Subeunt animos*, sensim furtimque iis se insinuant. — *Unus et alter juvenes* junge. Perperam Schol. pater et avus.

Var. 34. *Spernunt*, 45. *Spernent*, 15.

Not. 34. *Hæc spernant*, parentum vitia satis habeant perspecta et fugiant.

Not. 35. Quibus benigna natura ingenium ad virtutes propensius, quam ad vitia, vel plurimum salis tribuit. — *Titan* Prometheus, prudentiæ symbolum, cujus pater Iapetus fuit unus Titanum, ex limo primum hominem formasse fingitur. vid. ad IV, 133, et VI, 13. Poeta autem expressit verba Callim. Fragm. 133

....εἴ σε Προμηθεὺς
Ἔπλασε, καὶ πηλοῦ μὴ 'ξ ἑτέρου γέγονας.

Meliore luto finxit, ut contra apud Claudian. XX, 496. *Deteriore luto quos condidit* Prometheus.

Not. 36. *Fugienda vestigia*, mala exempla, quæ vel inopinantes et inviti sequuntur.

Not. 37. *Veteris orbita culpæ*, malorum parentum via, hoc est, vitæ ratio, vel cursus, vestigium, hoc est, exemplum. Sic *neque id ab orbita matrumfamilias instituti* dixit Varro apud Non. 14, n. 37.

Var. 38. *Abstineat*, 12. *Abstineas igitur damnis* (sceleribus, quæ tibi liberisque tuis exitio sunt); *hujusce etenim* (rei) *vel Una potens*, etc. 10, 11, 12, 15, 17, 19, 20, 21 a m. sec. 22—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et omnes Codd. Paris. unde hæc restituit Ach.

Not. 38. *Damnandis*, inhonestis turpibusque factis. — *Hujus vel una potens ratio est*, ad hoc vel id solum satis grave incitamentum est. — *Dociles imitandis turpibus*, ut ap. Sil. I, 237; XI, 11, al.

Var. 39. *Est* non exstat in 11, 19, 22. — *Nec*, 22, 23, 24, 65.

Var. 41. *Et pravis*, 16.

Not. 41 seq. Malum hominem patriæque proditorem ubique reperias, sed vix usquam invenietur civis bonus et patriæ defensor, qualis fuit M. Junius Brutus, percussor Cæsaris, ejusque *avunculus*, M. Porcius Cato Uticensis, frater Serviliæ, matris Bruti. Similiter Sen. Ep. 97, dixit: « Omne tempus Clodios, non omne Catones feret. » Conf. ad V, 36, 37. *Axe*, cæli plaga.

Var. 43. *Umquam*, 21.

Var. 44. *Nec*, 12, 45.

Not. 44. *Fœdum dictu visuque*, turpe verbum factumque.

Var. 45. *Intra quæ pater est*, 1, 11, 29, 75, prob. Schurzfl. —Vetus Schol. interpretatur: « ubi filios habes; » unde patere ait *Cramer*, eum habuisse *pater es*. Ed. — *Ac* pro *hinc*, 11, 12, 22, et *ac*, 10, 17, 19, 20, 21, 24, 45. *Profani* pro *puellæ*, 11. *Procul hinc, procul ite puellæ* recte, opinor, in literis ad me datis emend. clar. Herel. qui suspicatur, vocem importunam *inde* ab indocto librario repositam esse, ut τῷ *hinc* responderet. Id quoque legi in duobus MSS. Paris. monet Ach. Verbis tamen *hinc* et *inde* forsan innuuntur diversæ ædium partes. — *Cramer* sic legendum proponit: *procul ah! procul inde puellæ*. « Ad quod *ah!* inquit, quæ indignantis et increpantis est particula, ducit varia lectio *procul ac*, quam et Hafn. servat, et altera *procul hac*, quæ etiam multorum librorum est, et Vossiani fuit. probarem etiam Herelii viri clar. conjecturam *procul ite*, si satis commoda esset verbis seqq. *pernoctantis parasiti*. Rupertiana ratione non utar. » Ed.

Not. 45. Poeta venuste usus est sacrorum formula, *procul, o procul este, profani*, ἑκὰς, ἑκὰς ἔστε βέβηλοι. Sancta quasi sunt *limina* illa, hoc est, domus, in qua liberi sunt. Conf. vs. 68, 69, et h. loc. Var. Lect. — *Lenonum puellæ*, prostibula, meretrices, *et cantus*, obscœna cantica,

quibus convivas oblectant *parasiti*, *pernoctantes*, qui noctem agunt in aliena domo.

VAR. 46. *Ut cantus*, 16.

VAR. 47. *Pueris*, 22.

VAR. 48. *Ne* recepi ex 13, 27, 47. Idem conj. V, clar. Herel. *Nec* in plerisque libris. *Non* in quibusdam.

NOT. 48. Cave credas, filium tuum per ætatem non curare, quæ agas, nec turpitudinem cognoscere. Plutarchus memorat, Catonem a turpibus verbis, præsente filio, ita temperasse, quasi apud Vestales loquutus sit, neque cum eo lavasse umquam.

VAR. 49. *Obstet*, 1, 14, 16, 18, 24, 70, 82. *Obstat*, 19. *Obsistet*, 23. *Obsistat*, 10, 12, 13, 15, 17, 20, 21, 22, 25, 27, 45—50, 54—69, 71—76, et permulti Codd. Paris. Rectius; nisi potius repositum est ab iis, qui metro timebant; vid. supra ad I, 151.

NOT. 49. *Obstet filius infans*, ejus præsentia, quo minus pecces, ne pravum ei des exemplum.

NOT. 50—58. Quomodo filium tuum *corripere* audeas et *castigare*, si tibi fuerit simillimus tuoque exemplo peccaverit? — *Censoris ira*, nota censoria, quæ et ignominia est et pœna.

VAR. 51. *Quandoquidem et similem*, 10, 12, 16, 17, 19—27, 45—50, 54, 55, 57—64, et omnes Codd. Paris. *Quandoquidem similem*, 11, 15, 50, 56, 65—69, 71, 72, 73, 77. Illud probavit Schrader. et Ach. hoc Schurzfleisch. In iisdem libris vs. 52 legitur *et quum Omnia*, etc. et verba *Quandoquidem.... filius*, vel adeo tres versus 51, 52, et 53, parenthesi includuntur.

NOT. 51. *Quandoque*, aliquando.

VAR. 52. *Morum tibi filius*, 12, 17. *Morum quod filius* quidam. — *Et quum Omnia*, etc. 10, 15, 16, 17, 19—21, 23—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77.

NOT. 52. *Morum quoque filius*, qui morum quoque similitudine ostenderit, se filium tuum esse.

NOT. 53. *Tua per vestigia*, tua vestigia premens, tua secutus exempla. — *Deterius*, quam tu.

VAR. 54. *Nimium*, 45.

NOT. 54. Hæc εἰρωνικῶς intelligenda. *Nimirum*, ut al. *scilicet*; vid. ad II, 104. — *Clamore*, increpatione.

VAR. 55. *Posthac*, 24, 77. *Aut post hæc*, 12, 16—20, 24, 25, 27, 45—48, 56, 58, 60, 64, 65. *Ut post hæc*, 57, 59.

NOT. 55. *Tabulas* testamenti, scil. ejus exheredandi caussa.

NOT. 56. *Unde tibi* scil. sumes? De qua loquendi forma vid. Heins. ad Ovid. Ep. Her. XII, 84. — *Frontem*, scil. gravem, hoc est, severitatem

gravitatemque; vid. ad II, 8. Similiter *quo ore illum* (filium) *objurgabis* dixit Terent. Phorm. V, 10, 53.

VAR. 57. *Facies*, 12, 23.

NOT. 57. *Cerebro*, sana ratione. « Cerebrum consilii sedes est et animæ habitatio est in cerebro, indeque sensus ingeruntur et gubernantur. » Macrob. Sat. VII, 5, et 9.

NOT. 58. *Cucurbita*, σικύα (*Schröpfkopf*), instrumentum (vasculum, a cucurbitæ similitudine sic dictum, Gall. *ventouse*), occipitio inciso admotum, quo utuntur chirurgi ad sanguinem e cute eliciendum phrenesinque sanandam; vid. Cels. II, 11; VII, 26, et inpr. III, 18. « Potest et intelligi κολοκύνθης, quæ, sumto humore cerebri actionem impediente, curationem affert. » Ach. coll. Plin. XX, 3, et Athen. II, 18. — *Ventosa*, plena aeris. Quoniam concepto *vento* ex flamma stuppæ intus accensæ cuti adhærescit; Brit. — *Hoc* δεικτικῶς, tuum. Proprie caput et homo ipse cucurbitam *quærit*, opus habet, desiderat. Venuste autem hoc dictum, ut XIII, 97. *Egere Anticyra vel Archigene.*

ANAL. 59—69. Curas, ut domum omni modo nitidam, non ut eam filio castam exhibeas. Seneca Ep. V: « Qui domum, inquit, intraverit, nos potius miretur, quam supellectilem nostram, » et Sallust. Orat. I, de Rep. ord. « Nam domum aut villam exstruere eamque signis, aulæis aliisque operibus exornare et omnia potius, quam semet visendum efficere, id est, non divitias decori habere, sed ipsum illis flagitio esse. » — *Cessabit*, otiosus erit.

VAR. 60. *Et nitidas*, 12, 23.

NOT. 60 seq. Verba domini instantis, vel forte Juvenalis ipsius ad dominum; *F. Didot*, in ed. Ach.

NOT. 61. *Aranea arida*, quæ loca arida amat, vel macra, tenuis.

VAR. 62. *Lavet argentum*, 10—13, 15, 16, 18—22, 24—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et omnes Codd. Paris. quos secutus est Ach. *Læve argentum* in reliquis. Ego *leve* scripsi; vid. ad II, 12.

NOT. 62. *Argentum leve*, vasa argentea et polita nec aspera cælatura, quibus opponuntur *vasa aspera* sculpturis et cælaturis vel signis exstantibus, ἀνάγλυφα.[1] — Pithœi, apud *Cramer*, pag. 510, nota est: « *leve argentum* celato et anaglypho opponitur, unde et *leves lances* Scævola in *L. pen.* § *pater D. de legat. lib. III*; et idem purum Sat. X, nisi quis ex Sex. Pompeio interpretari malit, quod in usu spurco non fuerit. » ED.



[1] Conf. ad Sil. II, 432, 141; 263; Heins. ad Ovid. Metam. XII Heyn. ad Virg. Æneid. V, 267; IX, 235, et XIII, 700.

Var. 63. *Furit*, 1, 14, 18, 48, 70, 75, 76, 82. *Fremit*, 7, 10, 11, 15, 20, 21, 23—27, 29, 45, 46, 47, 49, 50, 54—69, 71—74, 77, omnes fere Codd. Paris. et ed. Ach. — *Fremat*, 12, 16, 17, 19. *Premat*, 22.

Not. 63. *Domini instantis*, urgentis, excitantis servos.

Var. 64. *Ut* pro *ne*, 19, a m. pr.

Not. 64. *Miser trepidas*, misere, hoc est, vehementer times.

Var. 66. *Nec*, 25, 45, 50, 56, 57, 60.

Var. 67. *Scrobis*. 11, 12, 16, 17, 19, 20, 24, et XX MSS. Paris. *Scropis*, 23. — *Emondat* vet. MS. Rittershus. *Mundat*, 12. *Emundet*, 21 a m. sec. *Emundat*, 11, 23, 24, quod pro vulg. *emendat* recepi. Idem probarunt Sciopp. Veris. IV, 10, et Schurzfleisch. qui monet, ita etiam legisse Eutichium Gramm. lib. II, pag. 2174, ed. Putsch.

Not. 67. *Scobs* seu *scobis*, qua detergebantur pavimenta, πρίσματα, ramenta serrarum (quæ tamen a scobe distinguit Colum. IV, 29, 16, ubi vid. Schœttg.) Germ. *Feilstaub*, *Sägespäne*. Nota Ach. est: « *Scobs* non solum, quod e ligno deteritur, verum etiam quod e ferro deraditur. Sententia autem h. loc. est: de his adeo sollicitaris, quæ tamen ita facile possunt emendari, ut servus unus singula tergens ac deradens vix inde *scobis*, pulveris, ramentorum, auferat *semodium*, modium dimidium. Alii ita explicant: ergo miser trepidas, ne, etc., quum tamen servus unus huic malo facile possit mederi, scil. injecto semodio scobis. » — Cruqu. ad Horat. Serm. II, 4, 80: « hic *scobis*, inquit, et hæc *scobes* dicitur rasura serrarum, Græce, πρίσμα: sed hic pro omni purgamento ponitur. Sunt qui velint hic esse ferrum, quo raduntur sordes a pavimento, a tabulis marmoreis, ab ipsis sedibus. » Cæteroquin, ut Crameri verba, pag. 511, transcribam, inter *scobes* et *ramenta* parvum et fere nullum discrimen est, et quod esse aiunt vix probari potest. In Gloss. quoque Græc. lat. utraque latina vox eadem græca exprimitur: Ῥίνημα, *scobis*, *scobina*, *rasamentum*, *ramentum*, *limatura*. Cramer. deinde eos exagitat qui scobes hic ea accipiunt, quæ detrita sunt ferro, adhibita in rem sive lima, sive alio instrumento. Ed.

Not. 68. *Non agitas* mente, non curas. — *Domum sanctam*, vid. Bentl. ad Horat. Od. IV, 4, 25.

Var. 69. *Tabe*, 23.

Var. 70. Versus hic abest ab 23. *Patriæque dedisti*, 22. *Patribus civem populoque* emend. et coppiose defendere conabatur Bentl. ad Hor. Od. III, 6, 20, putans, ineptam non modo hoc loco esse tautologiam, sed inficetam quoque inconcinnamque repetitionem voc. *patriæ*. In hac vero repetitione magna potius vis inest, et *patriam populumque* diserte etiam junxit Ovid. Metam. XV, 5, 2 (cui loco eamdem adhibere medicinam, magnæ temeritatis est), neque ea prorsus synonyma esse verba, sed *patriam*, quatenus sit ipsa respublica cum partibus suis, majestate, dignitate, securitate et salute publica, distingui et posse et

debere a *populo* seu civibus, jam monuit Jani ad Horat. loc. laud. Nota Ach. est: « Sub tyranno *populus* exstat, non *patria*: in republica antem, aut etiam sub principe justo, moderato et legibus obsequenti *populus* est, *cives* sunt et *patria*: nec ea debent permisceri, nec eorum oblivisci debuisset Bentleius Anglus et civis. »

Not. 70 seq. Gravissima ac vera sententia. Conf Var. Lect.

Not. 71. *Agris* colendis.

Var. 72. *Rebus pacis*, 23, 25, 27, 46—49, 54—60, 64, 65.

Var. 74. *Nidos* pro *pullos*, 84 a m. pr. prob. Schradero in Observatt. pag. 70, ubi recte, puto, monet, vulgatam lectionem ex glossem. irrepsisse (ut et apud Claud. III, Cons. Honor. Præf. vs. 5), et pullos aviumque fetus a poetis aliisque scriptoribus, originem vocabuli respicientibus, erudite *nidos* vocari; vid. ad V, 143, in Comm. Juvenalis docte loqui amat, et quis sibi persuadebit, *nidos* librariorum ingenio deberi? Suspicari tamen possis, hoc ex V, 143, petitum esse, et a docta manu h. loc. adscriptum.

Not. 74—85. Ipsa quoque animalium exempla docent, mentibus infixa hærere, quæ ab ineunte ætate et a parentibus discuntur. Confer. Horat. Epist. I, 2 extr. Hæc est loci sententia: nec tamen, ut vulgo putant, imitationem malorum morum ciconiæ et vulturis exemplis bonorum aquilæ illustrari crediderim. — *Ciconia* h. loc. forte *Ibis* (conf. XV, 3), sed de vulgaribus quoque ciconiis Juvenalis potuit loqui: ex Plinio enim X, 23: « honos ciconiis exitio serpentium tantus, ut in Thessalia capitale fuerit occidisse; eademque est pœna legibus, quæ in homicidam; » Conf. Vales.

Var. 75. *Nutrire*, 22.

Var. 76. *Quærunt alimonia*, 11, ad marg. Glossæ: *Alimonium*, τροφεῖον, τροφή; et eadem voce usus est Varr. R. R. I, 8, 7; II, 1, 14; 5, 16; III, 16. Sed alibi, quod sciam, ea non occurrit, et *eadem animalia* hoc loco sunt serpentes et lacertæ. — *Pennis*, 10, 13, 15, 16, 17, 19—27, 45—50, 54—59, 71—74. Præstat *pinnis*, si verum est, de quo tamen dubitare licet, ita dici plumas, hoc est, molliores exiguasque pennas.

Not. 76. *Sumtis pinnis*, ut passim, vid. Heins. ad Ovidii Metamorphos. IV, 561.

Var. 77. Fuerunt, qui mallent *gruibusque relictis*: sed hi sententiam h. loc. parum perspexisse videntur.

Not. 77. *Crucibus*, quibus non modo servi, sed etiam sicarii et homicidæ affigebantur; vid. Lips. de Cruce, II, 13.

Not. 78. Vultur, ubi adolevit, eodem, cui adsueverat, cibo vescitur.

Var. 79. *Hinc*, 21. — *Jam* pro *quoque*, 15.

Var. 80. *Fecit*, 11, a m. sec. unde *quum fecit in arbore* conj. Schurzfl.

Not. 80. *Vultur facit in arbore nidos*, quod non sine exemplo, etsi rarum est : nam plerumque in excelsissimis rupibus nidificant. [1]

Not. 81. *Famulæ Jovis* aves, aquilæ: ut ὄρνις Διὸς Κρονίδαο διάκτορος in Antipatri Epigr. XCII. (in Brunck. Anal. tom. II, p. 32.) Aquilas fingi armigeros Jovis, fulmina ejus gerentes, ex poetis monimentisque vett. notissimum est. Juvenalis docte loqui vel mythos ita ὡς ἐν παρόδῳ ridere solet. « Varia sunt aquilarum genera, et h. loc. sermo est de aquila, quæ Græcis dicitur χρυσάετος et γνήσιος, Lat. *stellaris* vel *Jovis aquila*, Gall. *l'aigle royal;* » Ach. *Generosæ aves* sunt eædem aquilæ; ut alii putant, accipitres, falcones, etc.

Var. 82. *Tunc præda*, 10, 12, 15, 16, 17, 19—27, 45—50, 54, 56—69, 71—74, et dimidia pars MSS. Paris.

Not. 82. *Cubili*, in nido.

Var. 83. *Levabit*, 10, 12, 13, 17, 19—27, 48, 54—63, 65, 66—69, 71—74, et XVII Codd. Paris. prob. *Achaintre*, quia sequitur *festinat* et *gustaverat*.

Var. 85. *Rupto prædam*, 61, 62, 63, 66, 67, 68, 71—74. — *Gustaverit*, 11 (alia lectio, ab eadem manu notata), 22, 25, 27, 49, 50, 56—65, 68, 71—74. *Gestaverit*, 46, 47, 66, 67.

Not. 85. *Rupto ovo*, quum ovo exclusa esset.

Var. 86. *Cetronius*, 1, 11, 12, 14, 19, 22, 45, 49, 70, 75, 76. *Centronius*, 10, 15, 16, 18, 20, 21, 23—27, 46—48, 50, 54—69, 71—74, 77. *Cætronius*, 17. *Cretonius*, 8, et mox vs. 92, *Cetonius*, sed utroque loco *Cetronius* a m. sec. *Centonius*, *Ceronius*, *Ciconius* al. Forte leg. *Centenius ;* vid. ad Liv. 22, 8, pr. ubi eadem fere est lectionis varietas.

Not. 86. *Ædificator*, cupidus ædificandi (*baulustig*, *ein Baugeist*), ut ap. Flor. I, 8, 4. *Ædificator Centronius*, ut Gellius, de quo vid. Mart. IX, 47.

Not. 87. *Caieta* promont. urbs et portus in finibus Latii et Campaniæ ad mare Inferum, nunc *Gaeta.* [2] Locus amœnissimus et consuetus Romanorum secessus, ut et *Tibur* ac *Præneste*, urbes Latii, non procul Roma in editis locis sitæ, unde h. loc. *summa arce* et *montibus*, vid. ad. III, 190 et 192.

Not. 89. Magnificentia villarum Rom. vel tironibus nota, vid. ad I, 94. — *Marmoribus Græcis*, ut apud Stat. Silv. III, 1, 5. Spartani potis-

[1] Aristot. Hist. An. VI, 6; IX, 15; *Blumenbachs Handb. d. Naturgesch.* pag. 184, ed. pr. et Plin. X, 6, ubi Harduinus docet, contrarium affirmare Albert. de Anim. L. VI, tr. 1, c. 6, pag. 195; Scalig. in Comm. ad Aristot. pag. 663, et Aldrov. Ornith. III, 1, pag. 243.

[2] Vid. Heyn. Exc. ad Virg. Æneid. VII, 2, et Strab. VI, pag. 330, ubi et nominis origo traditur. ad quam nonnulli verba *curvo litore* referunt.

simum marmoris præstantiam laudat Plin. XXXVI, 7. *Petitis longe*, procul, ex Ægypto, Armenia, Numidia, etc.

VAR. 90. *Ac*, 27, 46—50, 54—56, 59, 60, 64, 65.

NOT. 90. *Præneste* fuit celebre templo Fortunæ, dicato et exstructo ab Augusto, ubi oracula et sortes Prænestinæ edebantur, unde Fortuna etiam dicebatur *Dea Prænestina*; [1] *Tibure* autem Herculis fuit ædes, τὸ Ἡράκλειον, condita a Martio Philippo, vitrico Augusti; unde *Tibur Herculeum* (vid. Strab. V, pag. 164, et Prop. II, 32, 5; IV, 7, 82). Sed poeta forte ad templa Romæ condita respexit, ut vs. seq.

NOT. 91. *Posides* Claudii Cæsaris libertus et *spado* (Sueton. Claud. 28), a quo maximis sumtibus exstructæ *Posidianæ aquæ*, thermæ magnificæ in litore Baiano; vid. Plin. XXXI, 2. — *Vincebat*, exstruxit ædes, villas et thermas, quæ magnitudine et magnificentia Capitolium vincebant seu superabant. — Quidam tamen interpp. dubitant utrum hic de balneis a Plinio memoratis mentio fiat, an de aliqua domo quam sibi summa magnificentia Romæ Posides exstruxerit: sed parum hoc ad rem facit. ED. — *Capitolia*, plur. pro sing. ut X, 65. Romæ quoque et vetus, et novum fuit, illud octava, hoc sexta in regione. *Capitolia nostra*, Romana, majora et præstantiora aliis: nam Capitolia etiam fuere Capuæ, Pompeiis, Beneventi aliisque in oppidis Italiæ; arces ac templa magnifica, primoribus Diis dicata Capitolioque Rom. similia; vid. ad Sil. XI, 265. Cum delectu itaque poeta dixit *Capitolia*, templum magnificentissimum, et, ut rem augeret, *nostra*.

VAR. 92. *Cetronius*; vid. ad vs. 86.

NOT. 92. *Sic habitat*, tam splendidas exstruxit ædes, in quibus habitet.

NOT. 92. *Fregit*, imminuit.

NOT. 94. *Turbavit*, absumsit. vid. ad VII, 129.

NOT. 96—106. Ritus etiam, quamvis ineptos et superstitiosos, liberi discunt a parentibus, v. c. Judæos, qui h. loc. ridentur, ut III, 14 seq. VI, 159, 160, et 542 seq. Nota Ach. est : « Parum apte hoc exemplum sumitur : nam de bonis moribus hac satira agitur, qui in quacumque religione et in omni ritu possunt vigere et in honore versari. » Acerba tamen judicia de Judæis, ut in Sat. XV, de Ægyptiis eorumque religione, condonanda homini, patriis ritibus et religioni avitæ addicto, et poetæ satirico, commodam ridendi occasionem amplectenti. Res etiam Judaicæ per excidium Hierosolymitanum multis quidem innotuere Romanis, sed ita, ut vera mixta essent falsis. — *Metuentem*, religiose colentem et observantem, *sabbata*, hoc est, Judæum, qui religioni sibi ducit, die sab-

[1] Vid. Ovid. Fast. VI, 62; Strab. V, pag. 165; Liv. XLII, 1; Sueton. Tib. 63; Prop. II, 32, 3, et loc. class. Cic. de Div. II, 41.

bati consueta vitæ negotia peragere. Sed propter simil. loc. Pers. V, 184:

Labra moves tacitus recutitaque [1] sabbata palles,

suspicor potius, poetam respexisse ad tristitiam et jejunia, quæ sabbatis a Judæis exerceri putabant Romani. Conf. Casaub. ad Pers. l. l. qui existimabat, hoc non ita esse intelligendum, quasi omnia Judæorum sabbata sint tristia, sed tantum superstitiosorum. Romani tamen illud sibi persuasisse videntur; vid. Suet. Aug. 76. Petron. XXXV, 6, et Justin. XXXVI, 2. An *sabbata* dicuntur dies festi et feriæ esuriales Judæorum? Conf. ad VI, 159.

Var. 97. *Cœli lumen* alii, nescio qui, probb. Cantero Nov. Lectt. IV, 2 ac 5, et Scalig. ad Cirin, sed refrag. Lips. ad Tac. Hist. V, 5.

Not. 97. Quum Judæi sub cælo (vel potius sub dio; nam templo non erat culmen; Ach.), et illud suspicientes precarentur, Romani putabant, ipsum ab iis *cælum adorari :* unde Petronius etiam, pag. 683, ed. Burm. per jocum dixit, illos *cæli summas advocare auriculas*, et Tac. Hist. V, 5 (ubi vid. Lips.) « Judæi mente sola *unumque numen* intelligunt... summum illud et æternum, neque mutabile, neque interiturum : igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sunt; » vid. ad VI, 545. « Poeta forsan alludit ad ea, quæ Exod. XIII, 21, leguntur de columna *nubis :* simili vero ratione Socratem velut nubes adorantem sugillabat Aristophanes; » Ach. — *Cæli numen*, cælum, tamquam numen. Conf. Var. Lect. — De hoc poetæ loco, ejusque tum lectione, tum interpretatione quum frequens olim fuerit doctorum virorum senatus, miratur Cramer. eum tam jejune tractari a novissimis enarratoribus : qui plura velit, ille adeat *Zorri*, Diss. in *Raccolta d'Opusc. scientifici*, tom. III, pag. 390; Anonym. in *Nouvelles de la Républ. des lettres*, pag. 833; alium in *Dissert. mêlées sur divers sujets*, tom. III, p. 179, et tertium in *the Classical Journal*, vol. X, pag. 107, denique Interpp. ad Petron. tom. I, pag. 880, sqq. ed. Burm. Ed.

Not. 98, 99. Poeta salse dicit, Judæos, *carne suilla abstinentes*, eam non magis violandam censuisse, quam humanam, nec minoris æstimasse sues, quam homines. Caussas hujus ritus afferunt Tacit. Hist. V, 4, et meliores Michaelis Jur. Mos. § 203. Conf. supra ad VI, 159.

Var. 99. *Cum pater*, 13. *Quod pater*, 18.

Not. 99. *Præputia ponunt :* nam « circumcidere genitalia instituere, ut diversitate noscantur, » Tac. Hist. V, 5.

Not. 100 seq. Tac. Hist. V, 4, pr. « Moses, inquit, quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque ceteris mortalibus indidit : profana illic omnia, quæ apud nos sacra; rursum concessa apud illos, quæ nobis incesta. » Et cap. 5 : « Nec quidquam prius imbuuntur,



[1] Circumcisa, id est, a circumcisis celebrata.

quam contemnere deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres, vilia habere.» Conf. Plin. XIII, 4.

Var. 101. *Discunt*, 15. *Et discunt*, 19. *Edificant*, 22. — *Ac servant*, 22, 23. — *Et metuunt*, 11, 16, 22, 23, 25, 27, 46, 47, 48, 55—60, 64, 65.

Not. 101. *Metuunt*, religiose observant (ut forte vs. 96), inpr. ob metum pœnarum.

Var. 102. *Mosis*, 46, 47. *Moyses*, 17, a m. pr. 18, 19, a m. pr. 20—24. — *Tradit et arcano*, 11, non improb. Schurzfl. ut sensus sit: *ediscunt* ritus Judæorum, et *observant*, *quodcumque tradit Moses*, quale est, *non monstrare vias*, nisi Judæis, et non circumcisos ne communis quidem aquæ usu dignari velle, aut *sitientibus* fontem ostendere. Hæc vulgaris interpretandi ratio dura, sed lectio illa omnino probanda videtur, modo post *Moses* non colon, ut vulgo fit, sed punctum ponatur, ut infinitivi *monstrare* et *deducere* non pendeant a verbis *Moses tradidit*, sed narrativi sint sive historici. Ita voc. *quodcumque* aptius est, quam si ad *jus judaicum* referatur: nec opus, vs. 103 et 104, post vs. 100, collocare, quod Scaligero placuisse docet Pithœus, ut infinitivi illi ad voc. *soliti* vs. 100, pertineant: a quo eos vel in vulgari verborum ordine pendere non mihi persuasit Ach. Suspicari possis, in fine vs. 103, post voc. *colenti* incuria librariorum excidisse copulam *et*. Sed permulta loca huic similia sunt; vid. ad IV, 63.

Not. 102 seq. Conf. Var. Lect.

Var. 103. *Nec*, 22.

Not. 103, 104. Judæi non nisi Judæis ulla præstant officia; *non monstrare* solent vel monstrant *vias* errantibus (conf. Cic. Off. I, 16, et Diphilus apud Athen. VI, 9, seu 35), vel *fontes* aquarum (quarum penuria laborat Judæa) sitientibus, *nisi eadem sacra colentibus*, eamdem profitentibus religionem, et *verpis*, hoc est, Judæis; qui *verpi* dicuntur a *verpa*, verendis, ut *recutiti*, circumcisi (vid. Scalig. de caussis ling. lat. I, 28); Tacitus Hist. V, 5: «Judæorum, inquit, misericordia in promtu, sed adversus omnes alios hostile odium: separati epulis, discreti cubilibus, etc.» Conf. Wetsten. ad Matth. V, 43.[1]

[1] Perperam nonnulli huc referunt fabulosam Taciti, Hist. V, 3, narrationem de *fonte* aquarum, ope asinorum a Judæis invento, in cujus originem inquisivere viri docti, quos ibi laudavit *Ernesti*. Pessime autem Grangæus h. loc. ita interpretabatur: *Moses tradidit* jussitque, neminem nisi Judæum ad *vias*, mysteria religionis, admittere, et *fontem*, hoc est, eam doctrinam, *quærentes* excludere, nisi eamdem legem colant. Nec melius Schol. vetus: *non monstrare vias*, non confiteri religionis secreta, nec *deducere ad fontem*, ubi baptisantur. Utramque tamen interpretandi rationem cum dictis figurisque bibliorum sacrorum, quorum notionem aliquam habere potuerit Juvenalis, concordare monet Ach.

VAR. 105. *In causa est*, 22.

NOT. 105, 106. Caussa hujus et superstitionis et inhumanitatis est pater, qui quovis sabbato otium agit nec ulla vitæ negotia curat. Ineptas hujus moris caussas tradit Tacit. Hist. V, 4, veras autem Michaelis Jur. Mos. §. 159, 194—196, et 249. Conf. et Dio XXXVII, 17. — *Ignava septima lux*, ut *frigida sabbata* et

Septima quæque dies turpi damnata veterno,

apud Rutil. I, 389 seq. et σάββατα ψυχρὰ in Meleagri carm. 83 (in Brunck. Anal. tom. I, pag 24): nam τὸ ψυχρὸν, ut Lat. *frigere*, de otio et ignavia dicitur. — *Partem vitæ non attigit ullam*, nulla vitæ negotia curat, nisi verbum *attigit* expresse pingit diligentiam, quam Judæi in observandis sabbatis adhibebant, abstinentes ab omnium rerum contactu et tractatione; Ach. Idem recte subjungit : si tamen ea mens poetæ fuit.

NOT. 107. *Cetera* vitia parentum.

NOT. 108. *Inviti :* nam *imberbis juvenis*

Utilium tardus provisor, prodigus æris,

at senex

Quærit et inventis miser abstinet ac timet uti,

Horat. Art. Poet. vs. 164, et 170. Conf. idem Sat. I, 2, 16 seq. et Pers. VI, 22 seq.

NOT. 109, 110. Hoc *vitium*, avaritia, non nisi *specie et umbra virtutis*, scil. frugalitatis et parcimoniæ, *fallit* et fallere potest homines et præcipue juvenilem mentem, quum externa ejus forma tristissima sit et deterreat magis, quam alliciat. Conf. Horat. Art. Poet. 25. Ovid. Rem. Am. vs. 323, 324. Senec. Epist. 45. — Eodem sensu dixit nostras *Boileau*, Sat. IV, vs. 60 sqq.

« Un avare, idolâtre et fou de son argent,
« Rencontrant la disette au sein de l'abondance,
« Appelle sa folie une rare prudence. » ED.

VAR. 110. *Voce* pro *veste*, 2.

NOT. 110. Venusta avari imago. — Vide quæ *Boileau* descripsit, Sat. X, vs. 250 sqq. ED.

NOT. 111 seq. Quæ quum ita sint, parentes, ut filios fallant, avaritiæ speciosum frugalitatis nomen tribuunt et vitium tamquam virtutem commendant. Conf. Horat. Sat. I, 3, 49 seq.

VAR. 112. *Rerum cautela*, 4, 17, 21, 22.

VAR. 113. *Fortunas si*, 25, 27, 46, 47, 57—60, 64. — *Servat*, 16, 22, 45.

NOT. 114. De *Hesperidum* hortis ac pomis eorumque custode, dracone, Typhonis et Echidnæ vel Terræ filio, vid. Heyn ad Apollod. II, 5, 11, et ad Virg. Æneid. IV, 483 seq. — De *Pontico* seu Colchico dracone, qui ejusdem erat stirpis et aureum vellus in Ponto apud Colchos servabat,

vid. Schol. ad Apollon. II, 1213 seq. Diodor. IV, 49; Ovid. Met. VII, 149 seq.

VAR. 115. *Putat atque verendum Artificem*, 10, 11, 18—21, 23—27, 45—50, 54—69, 71—74, plerique Codd. Paris. et sic ed. Ach. *Atque verendi*, 12, 16, 17, 21, et multi Codd. Paris. quod Pulmannus exponit: verecundæ actionis.

VAR. 116. *Crescant*, 16.

NOT. 116. *Fabris*, artificibus.

VAR. 117. *Quocumque malo*, 4.

NOT. 117, 118. Opes crescunt quocumque modo, per fas atque nefas, flagranti cupiditate et studio. Id poeta egregie expressit metaphora, a fabrili arte desumta et h. loc. aptissima, mentione *fabrorum* modo facta, quæ eodem spectat.

VAR. 119. *Et solos animi felices*, 13. *Animi felicis* (scil. esse), 10, 15—21, 23, 25, 48, 54, 55, 57—63, 65, 66—69, 71—73, et XXXIII MSS. Paris. non male! Sed doctior est, et Græca dictio *felix animi*, ut μακάριος τῆς τύχης, εὐτυχὴς τῆς ὁμιλίας, etc. et contra *infelix animi* apud Virg. Æneid. IV, 529.

VAR. 120. *Mirantur* et mox *putant* et *hortantur*, 10, 12, 15—27, 45—50, 54—69, 71—73, 77, et omnes Codd. Paris. unde hæc revocavit Ach. *Hi nulla*, 12, 15—18, 20, 21, 23, 24, 45, 46, 49, 55, 56, 59, 60, 65, et plerique Codd. Paris. — Vetus Schol. habuit *sibi nulla*, idque non pessime, ut ait *Cramer:* hanc autem lectionem, ut alias multas ex eodem fonte adnotare editores neglexerunt. ED.

NOT. 120. *Exempla beati pauperis* et vetus et recentior historia suppeditabit (præter illud Aglai Arcadis, a Schol. memoratum, de quo vid. Plin. VII, 46): avarus autem non nisi divites putat esse felices. — *Paupertas* etiam sæpissime non egestas est, sed fortuna mediocris, quæ nec lauta, nec tenuissima et despecta est, vita simplex et paucis contenta, quæ plerumque felicior est, quam quæstuosa, cui opponitur. « Paupertas est, non quæ pauca possidet, sed quæ multa non possidet, » Senec. Epist. 87.

VAR. 122. *Peragant*, 9, 11, 15, 16, 23.

NOT. 122. *Illam viam* avarorum. *Eidem incumbere sectæ*, eamdem *viam*, hoc est, vitæ rationem, idem vitæ institutum persequi. *Secta* via et methodus, ut *viam et sectam aut rationem vitæ sequi*, apud Cic. N. D. II, 22, et pro Cœl. c. 17. Bahrdt. de secta philosophica accipit, quum pecunia sit optima philosophia sitque intelligentia.

VAR. 124. *Nimias*, 4, 5, 20, 21, 22.

NOT. 124. *Minimas sordes*, avaritiæ principia et elementa. His *protenus*, statim ab initio, teneras puerorum *imbuunt* mentes, non extremis sordi-

bus: sensim iis sensimque avaritiam insinuant, a qua animi[1] abhorrent.

Var. 125. *Insanabile*, 22.

Anal. 126. Ab hoc versu usque ad 140, referuntur *minimæ sordes*; a vs. 141, usque ad finem, recenset infamiam et crimina, quorum avaritia semper origo atque caussa fuit; Ach.

Not. 126. Sic φειδωνίῳ μέτρῳ τὸν πύνδακα ἐγκεκρουσμένῳ μετρεῖν αὐτὸς τοῖς ἔνδον τὰ ἐπιτήδεια, σφόδρα ἀποψῶν, Theophr. Char. XI, extr. ubi conf. Casaub. — *Castigat ventres*, edendi cupiditatem famemque coercet. — *Modio iniquo*, injusta ac nimis parva demensi mensura.

Var. 127. *Nec*, 15, 16. — *Enim* abest a 12. Vetus Schol. hæc notavit: «id est, omnia sustinet. Duo negativa confirmativum faciunt.» Hinc eum legisse, *neque enim non sustinet umquam Omnia cærulei*, etc. suspicabatur Schurzfl. putans, *mucidi* fuisse glossam τοῦ *cærulei*, et deinde textum obsedisse. — Hanc lectionem probat Ach. eamque reipsa sermonis legibus aptiorem vulgata judicat; quod verùm esse non putat Cramer. Ed.

Not. 127. *Neque sustinet*, ne a se quidem animoque suo avaro impetrare potest umquam, ut omnia, quæ in alium diem servavit et seposuit, *mucidi panis frusta consumat*. Conf. ad XV, 88, et Horat. Sat. II, 2, 57 seq. — *Cærulei*, nigri. — *Mucida*, quæ diutino situ mucorem contraxere.

Not. 129. *Hesternum minutal*, ut θοίνην ἕωλον apud Athen. VII, 2, ubi Schweigh. hæc adnotavit: Cibos ἑώλους, id est, *hesternos* vel *pridianos* dixisse Græcos pro *rancidis* aut *putidis* eamdemque inde notionem ejusdem vocabuli ad alias quoque res putidas aut vetustate obsoletas fuisse translatam, pervulgatum est. *Minutal* condimentum vel cibus, edulia et opsonia ex variis rebus *minutatim* et tessellatim concisis (apud Isidor. ex pisce, oleo, ficis et oleribus), unde *varium* dicitur Martiali XI, 32, 11. Conf. Apic. IV, 3, qui minutal marinum, Tarentinum, Apicianum, Matianum, dulce, ex præcoci, leporinum, ex jecinoribus pulmonibusque leporis et ex rosis seu rosatum memorat, et in singulis minutalibus porrum capitatum aut porrum simpliciter (id est sectivum, ut h. loc. vs. 133, fila *sectivi porri* et apud Apic. VIII, 8, *capillus porri*) minutatim vult concidi. *Solitus servare*, conf. Martial. I, 104, 7.

Not. 130. *Septembri* mense, in quo Romæ flagrantissimus pestilensque æstus sævit, adeoque opsonia citius corrumpuntur. Conf. Horat. Epist. I, 16, 16, et supra ad IV, 59.

[1] Casaub. ad Theophr. Char. X, pr. *minimas sordes* putabat esse μικρολογίαν, quam *sordem infimam* dixerit Apuleius, quodque parcissimi hominis vitium multis quidem nominibus a Græcis exprimatur, at vix ullo a Romanis. Sed hæc notio a toto hoc loco aliena est, quod inpr. ex vs. 125 intelligitur. — Præterimus igitur, non amplius morati. Ed.

VAR. 131. *Concham æstivi*, 2, 3, 5, 10, 12, 16—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et permulti Codd. Paris. *Concha æstivi cum parte lacerti* apta h. l. si vile concharum genus intellexeris, quia cum *lacerto* conjungitur. Sed *conchem* et *lacertum* junxit etiam Martial. VII, 77; *conchem æstivi*, etc. 16, 25, 50, 56, 61—65, 77, prob. Magio in Miscell. II, 3 et 10, ubi *partem* hoc loco dici credebat caudam lacerti, et hanc solam in pretio fuisse colligebat ex Martial. loc. laud.

NOT. 131. *Differre in tempora*, etc. Conf. Aur. Victor. Epit. XXIV. Fabam coctam in alium diem servat cum *lacerto*, sardina, genere piscis salsi; vet. Schol. — *Conchis* et *lacertus* vilissimi cibi. *Conchis* faba cum cortice elixa, non *faba fressa*, quæ sine cortice coquitur, *æstiva* et propterea durior, quam quæ primo veris tempore; *Grang*. Vid. ad III, 293. Alii *æstivam* dici putant, quoniam opsonia facile æstivo tempore putrescunt. *Lacertus* vile piscis marini genus, Ital. *lacerto*, Gallice *maquereau*. — *Lacerti tenuis* meminit Martial. XI, 28, 3; 53, 7; XII, 19, eumque cum *conche* etiam junxit VII, 77. Conf. Heins. ad Ovid. Fast. II, 578. — *Signatam*, obsignatam, scilic. annulo signatorio (Siegelring), quo olim materfamilias, non, ut apud nos, claustris clavibusque, omnia obsignare et sic *includere*, claudere et custodire, solebat, ut furta, inpr. servorum, prohiberet. [1] Jam patet, quam venuste etiam his verbis adumbrentur sordes hominis. Ipse paterfamilias obsignat, et quidem omnes, etiam levissimas, res, ut alius, ei similis, apud Theophr. περὶ βδελυρίας Char. XI, extr. τὰ δὲ καταλειπόμενα ἀπὸ τῆς τραπέζης ἡμίση τῶν ῥαφανίδων ἀπογράφεσθαι, ἵνα οἱ διακονοῦντες παῖδες μὴ λάβωσιν, et apud Lucianum, in verbis, a Casaubono ad Theophr. l. l. adscriptis, sordidus homo e cœna domum reversus, ἀριθμῷ παραλαβὼν τὰ κρέα, ὁπόσα τῷ παιδὶ κατόπιν ἑστῶτι παραδεδώκει, καὶ ἐπισημηνάμενος ἐπιμελῶς τὸ ἀπ' ἐκείνου καθεύδει. — *Silurus*, vilis piscis, potissimum Nili. Conf. Plin. IX, 15, ubi Harduin. suspicabatur, hunc piscem, quem vulgo sturionem esse putant, Pannoniis, Danubii accolis, nunc *Arcia* seu *Hacchia* et propter latum os vernacula voce *voratricem hominum* dici, ejusque imaginem, sub glanidis nomine, exhiberi ab Aldrovando de pisc. V, pag. 569. Nostro tamen loco non ingens, sed parvus potius innui videtur. Conf. Bocharti Hieroz. II, 5, 14; Athen. VII, 9 (27), pag. 287, et supra ad IV, 33; *putri siluro*, quemadmodum σαπρὸν σίλουρον dixere Sopater et Diodorus apud Athen. VI, 4 (18), p. 230 et VI, 9 (36), pag. 239.

NOT. 133. *Sectivi* interpretantur, non capitati. Veteris Schol. nota est: «bene *sectivi*, quia quando ponitur cultoribus hortorum, tunc secatur.»

---

[1] Vid. ad I, 68; Plin. XXXIII, 1; Cic. ad Div. XVI, 26; Plaut. Pers. II, 3, 15; Torrent. ad Horat. Epist. II, 2, 134; Lips. ad Tac. Ann. II; Koenig. ad Pers. VI, 17; Scriver. ad Smetii Antiq. Neom. p. 25; Abram. ad Cic. Phil. II, 28, et Böttigeri Sabina, pag. 402, 403.

Id est, inquit *Cramer*, pag. 517, quando terræ exemptum reponitur, usus caussa, in cellam penariam a cultoribus hortorum, tunc capite truncatur. Ed. — *Porrum* est vel capitatum (κεφαλωτὸν πράσον, quod in caput nutritur), vel sectile seu sectivum et sectum, Gall. *de la ciboule*; Germ. *Schnittlauch*: unde *utrumque porrum* dixit Mart. III, 47, 8. Conf. III, 293; Colum. XI, 3, 30 seq. Plin. XIX, 6, seu 33; Mart. X, 48, 9. — *Numerata*, ut nemo servorum ne unum quidem auferre possit. Singulis fere verbis vivida avaritiæ imago adumbratur, et cernenda quasi objicitur oculis. Theophr. Char. XI, extr. ut supra.

Var. 134. *Negabit* restitui ex 10, 11, 12, 16—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, probb. Lindenbr. et Heins. ad Ovid. in Ibin vs. 420. *Negavit*, 14, 15, 70, 75, 76, 82, quod ἀορίστως accipi potest. *Negarit* non male conj. Schurzfl.

Not. 134. *Aliquis de ponte*, mendicus, qui in pontibus stipem colligere solet. Conf. IV, 116; V, 8; Sen. de Vit. beata, c. 25; Martial. X, 5, 3; Ovid. in Ibin. vs. 418. *Negabit*, se esurum, recusabit venire, *ad hæc* fercula, edulia *invitatus*.

Var. 135. *Quid* pro *quo* al. — *Per hæc*, 16, 45.

Not. 135 seq. — Poeta dixit quibus sordidissimis artibus acquirant divitias; jam subtexit stultitiam divitum qui inter tot opes inopes viverent. Ed.—Conf. Horat. Sat. I, 1, 70 seq. et II, 3, 82 seq. 109 seq. *Quo* fine, quem in finem *divitias*, scil. habes, seu possides? Sic Cicero in Verr. II, 2, 55, dixit, *quo tantam pecuniam*? et Horat. Epist. I, 5, 12:

Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?

— *Tormenta*, animi curas et sollicitudines; *coactas*, congestas, collectas.

Var. 136. *Phrenesis manifesta*, 11. Priores syll. voc. *phrenesis*, φρένησις, corripuerunt Prudent. Hamartig. 125, et Seren. Samm. 90. Sed horum auctoritati nihil tribuendum esse in rebus metricis, passim monitum est a viris doctis, et a me ipso ad Silium. Cujus quia h. loc. immemor fui, acerbe me increpuit Heineck. Licebit eum relegare ad illa, quæ ad V, 10, notavi, et cum eo exclamare: en prosodiæ latinæ peritissimum!

Not. 136, 137. Conf. Horat. Sat. I, 1, 70, et II, 3, 82, 83.

Var. 137. *Egenti vivere fato*, 10—13, 16, 18—21 a m. pr. 22—27, 45—50, 54—69, 71—74; XXXII MSS. Paris. et ed. Ach. rectius forsan, certe doctius. *Egentis*, 1, 8, 17, 21 a m. sec. tres Codd. Paris. et edd. recentt.

Not. 138. Vid. infra ad vs. 325.

Var. 139. *Pecunia crescit*, 10—13, 15—27, 48, 54—69, 71—74, 77, forte rectius.

Not. 139. Conf. Senec. de Ben. c. 27, et Epist. 94, 119; Ovid. Fast. I, 211 seq. Horat. Od. II, 2, 13 seq. III, 16, 17, 18, et ad hh. ll. Mitscherl.

Not. 140. *Paratur*, et mox vs. 143. — *Mercaris*, forte actus pro conatu.

Not. 142 seq. Conf. Horat. Od. II, 18, 23 seq. et Sat. I, 1, 110; II, 6, 8, 9; Ovid. Art. Am. I, 349.

Not. 144. *Canet*, albescit, *oliva*, floribus olivarum, exquisite pro, iis consitus est.

Var. 145. *Dominus precio*, seu *pretio*, 11, 13, 16—24, 45. *Pretiis ullis*, 77.

Not. 145 seq. Si agri dominus pretio induci non potest, ut eum vendat, fraude et injuria cogetur. Senec. Epist. 90: « Licet agros agris adjiciat, vicinum vel pretio pellat æris, vel injuria. » Magna vis est epithetorum, *macri*, *lassi* (nimio labore), et hinc *famelici boves*.

Var. 147. *Armenta*, 25, 27, 46—50, 54—69, 71—74, 77. — *Mittantur*, 16. — *Mittuntur*, 10, 13, 15, 17—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, plerique Codd. Paris. et ed. Ach.

Var. 148. *Scævos*, 18, 23.

Not. 148. *Novale*, sc. solum, quod alternis annis seritur (vid. Plin. XVIII, 19, et Virg. Georg. I, 71, ibique Heyn.); sed h. loc. quivis ager, ut apud Virg. Eclog. I, 71. — *In ventres sævos*, ingentes (vid. ad Sil. I, 2, et Heyn. ad Virg. Æneid. I, 14, 99), vel potius, quos fames urget et exasperat. Similiter *iratum ventrem* dixit Horat. Sat. II, 8, 5, et *rabiem edendi* Virg. Æneid. IX, 63. — *Actum*, id factum, vel omnia ablata esse.

Var. 149. *Habeant*, 17, 20, 22—24, 27, 45, 46, 49, 56, 60, 65. *Habebant*, 47. — *Credant*, 20, 24.

Var. 151. *Et sic venales*, 16.

Not. 151. Ex hoc loco suspicari possis, minimam, vel potius nullam fuisse civilem disciplinam agrorum respectu: nam in urbibus *politiam* viguisse quamdam sub prætoribus et ædilibus minime dubium est; Ach. Conf. Hesiod. Ἔργ. 346 seq. — Non ejusdem opinionis Cramerum habes, qui de hac agrorum *politia* secus judicat collatis LL. XII Tabb. atque scriptoribus finium regundorum et rei agrariæ. Ed.

Var. 152. *Quæ fœdæ*, 17—21, 23, 24, 27, 45—47, 49, 50, 54—58, 61—69, 71—74, et quidam Codd. Paris. *Tam fœdæ*, 22. — *Bucina*, 17, 18.

Not. 152. Quam mala est fama avari ejusdemque potentis? Objectio poetæ, cui avarus vs. seq. respondet. Conf. Horat. Sat. II, 2, 94 seq. Egregie *buccina* tribuitur Famæ, quæ omnia quasi debuccinat, hoc est, divulgat, *ausposaunt*.

Var. 153. *Quid nocet hoc*, et mox *lupini* cum Ach. restituimus ex 10—13, 15—21, 23—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et omnibus Codd. Paris. *Quid nocet hæc* et *lupinæ*, 1, 14, 22, 48, 70, 75, 76, 81, 82, quæ posterior

vox, quod sciam, non alibi occurrit, nisi adjective posita. — *Tunicam* (molestam) *Lupini* alicujus damnati designari putabat H. Vales.

Var. 155. *Farra metentem*, 22. Non male!

Anal. 153—155. Conf. I, 48; XIII, 92 seq. Hor. Sat. I, 1, 66 seq. Sen. Epist. 115, et Pompon. apud Non. I, n. 64. — Eamdem sententiam felicissime tractavit *Boileau*, Epist. V, vs. 89 seq.

« Qu'importe qu'en tous lieux on me traite d'infâme,
« Dit ce fourbe sans foi, sans honneur et sans âme;
« Dans mon coffre tout plein de rares qualités,
« J'ai cent mille vertus en louis bien comptés.
« Est-il quelque talent que l'argent ne me donne? » Ed.

— *Tunicam lupini*, folliculum fabæ (vid. Plin. XVIII, 14, et Athen. II, 14); h. loc. pro re vilissima (conf. ad V, 157 seq.)

Not. 156—160. Verba poetæ, quibus amara continetur irrisio. Conf. Horat. Satir. I, 1, 80 seq. et Epist. I, 2, 47 seq. — *Scilicet;* vid. ad II, 104.

Var. 159. *Solus culti*, 25, 46—49, 54—60, 64.

Var. 161. *Passis ætate*, 11: sed *fractis* in marg. — *Et Punica*, 25, 27, 46, 47, 49, 54—58, 60, 64. — Ante hunc versum excidisse unum alterumve suspicari possis: in sententiarum saltem ordine est, quod severiori judici displicere possit.

Not. 161 seq. Egregia priscæ simplicitatis frugalitatisque imago; vid. ad XI, 77 seq. et conf. Var. Lect. — *Mox*, paullo post Titi Tatii regnum. — *Fractis*, debilitatis, *ætate*, veteranis.

Var. 162. *Gelidosque Molossos* malebat Scaliger. quod multo concinnius videbatur Plathnero.

Not. 162. *Immanem*, regem belli peritissimum et bis victorem. — *Gladios Molossos*, Epiroticos, bella cum Pyrrho, Epiri rege, gesta. — *Molossi*, incolæ Epiri. Conf. XII, 108.

Not. 163 seq. *Jugera bina* agri ex hostibus capti viritim plerumque dividebantur colonis eo missis. Conf. Liv. VI, 16; inpr. 36 extr. « Bina jugera a Romulo primum divisa viritim, » Varr. R. R. I, 10, ubi vid. Ursin. « Bina tunc jugera populo Romano satis erant, nullique majorem modum attribuit Romulus: quo servos paullo ante principis Neronis, contemptis hujus spatii viridariis, piscinas juvat habere majores; gratumque, si non aliquem et culinas, » Plin. XVIII, 2. « Centuriis vocabulum datum ex eo est, quum antiqui Romani agrum ex hoste captum victori populo per bina jugera partiti sunt, centenis hominibus ducenta jugera dederunt, et ex hoc facto centuria juste appellata est. » Sicul. Flacc. de cond. Agr. lib. I.[1]

[1] Conf. Colum. V, 1, 7. Non et Fest. v. *heredium*, Scalig. ad Prop. IV, 11.

Var. 164. *Merces ea*, 10, 11, 12, 15—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et omnes Codd. Paris. unde hoc recepi cum Ach. pro *merces hæc*.

Var. 165. *Haud ingratæ*, 10, 11, 12, 15—18, 20—24, 27, 45, 46, 47, 56, 65, et XX MSS. Paris.

Not. 166. *Curta*, manca, *fides patriæ nullis visa*, nemini ingrata nimisque parca videbatur patria, quæ hanc mercedem tantis constituebat meritis.[1]

Anal. 166 seq. Talis agellus alebat patremfamilias, et qui in ejus *casa* erant. — Romanorum ædes priscis temporibus non nisi casæ erant. — *Patrem casæ:* nos familiari sermone dicimus *le patron de la case*. Ed.

Var. 167. *In qua*, 15.

Not. 169. *Vernula*, servæ filius domi natus, *unus*. Temporibus contra poetæ unus dominus magnam servorum familiam alebat. — *Tres domini*, filiifamilias, domini seu heri minores, vel olim futuri (Germ. *Junge Herren*), ut apud Plaut. Capt. Prol. vs. 18.[2] — *Verna* et *vernula*, servus οἰκογενής. In vetustis lapidibus vernas etiam libertos, scilicet in domo patroni natos, apparere monet Cramerus, pag. 520. «Tales intelligas opportet in *l.* 15 D. *de aur. et arg. leg.* non servos. Qui *vernæ*, iidem et *vernaculi* dicti, sive hujusmodi servi, sive liberti, e quibus constitisse *vernaculam* illam *multitudinem* apud Tacit. Ann. I, 32, non male judicat Lipsius. Docta est de vernis et vernaculis disputatio Herm. Cannegieteri *de Mutat. nom. Rom. rat. cap.*» Addit præterea Lydi locum *de Magistrat.* I, 44, quem hic referre non nostri est propositi : ipsum vide. Ed.

Not. 170. *A scrobe*, a fodiendo, plantis vitibusque defodiendis, *vel sulco*, arando agro. — *Amplior cœna et grandes ollæ*, quia parantur et apponuntur *fratribus magnis*, adultis et a rustico opere famem integram afferentibus, quodque hi pulte tantum vescuntur. — *Juventutem grandi pastam polenta* similiter dixit Pers. III, 55, ubi tamen Casaub. monet, *grandes* vocari *ollas* et *polentam*, quia multo pane vescantur, quibus solus panis sit cibus, et hac voce commendari εὐεξίαν modice viventium : signum enim esse valetudinis bonæ, grandem panis quadram posse comedere, idque non facere delicatulos cum omnibus suis condimentis et gulæ scitamentis. — *Altera cœna*, non prior eaque exigua parvulis fuerat parata. — *Puls*, quæ ex farina, fabis aut hordeo parabatur, far tusum et aqua maceratum, cibus priscorum Italorum (qui eo trecentis annis ante

[1] De voc. *curta* vid. ad VI, 449, et Heins. ad Ovid. Fast. II, 408.

[2] «Filiusfamilias appellatur sicut paterfamilias, sola nota hæc adjecta, per quam distinguitur genitor ab eo, qui genitus : itaque post mortem patris non hereditatem percipere videntur, sed magis liberam bonorum administrationem consequuntur: hac ex caussa licet non heredes sint, domini sunt,» Paul. lib. II, ad Sabin. et L. II, ff. de lib. et posth.

panis usum vescebantur), ut polenta Græcorum : nam illi farre, hi hordeo victitabant. Usus antiqui hujus cibi mansit in sacris. Conf. XVI, 39, et ad III, 187; Plin. XVIII, 8—10; Varr. L. L. IV, 22; Val. Max. II, 5, 5; Heyn. Opusc. Acad. tom. I, pag. 372.

VAR. 171. *Postibus ollæ*, 21.

VAR. 172. *Vestro*, 57. — *Agro* pro *horto*, 15.

NOT. 172. Nunc horti ampliores sunt, quam olim agri. Conf. loc. Plinii ad vs. 163 adscriptus.

NOT. 173 seq. Conf. Virg. Æneid. III, 56 seq. et Claudian. XXII, 111 seq.

VAR. 174. *Ac ferro*, 21.

VAR. 175. *Sceva*, 23.

VAR. 176. *Indomiti census* revocavi ex 10, 12, 13, 17—22, 25, 27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et XXV MSS. Paris., hoc est, immensi, quo sensu *indomita prela dixit* Plin. XVII, 10, seu 14. *Immodici census*, 11, 14, 15, 16, 23, 24, 70, 75, 76, 82, et X Codd. Paris., quæ lectio haud dubie ex interpret. orta. Illam certe librariorum ingenio deberi, quis sibi persuadeat?

NOT. 176. Vid. Var. Lect.

VAR. 178. *Et pudor*, 18. *Quis modus aut pudor est* in literis ad me scriptis ingeniose emend. cl. Herel. coll. Horat. Od. I, 24, 1. *Quis desiderio sit pudor aut modus*, qui locus Juvenalis forte menti obversabatur. Vox *metus* languet, quoniam cum *reverentia legum* jungitur.

NOT. 177, 178. Conf. Prop. III, 13, 48 seq. et Horat. Od. III, 24, 34 seq. ibique Mitscherl. — *Properantis*, qui cito vult dives fieri.

VAR. 179. *His casulis*, 15.

ANAL. 179 seq. Inducitur sermo Marsi senis et Vestini Hernicique cum *pueris*, hoc est, filiis suis; et priscorum Italiæ incolarum frugalitas præ luxu hominum, his temporibus viventium, laudatur. Cum delectu autem memorantur *Marsi*, *Hernici* et *Vestini*, gentes laboribus bellisque asperæ, et morum simplicitate ac probitate conspicuæ. Conf. ad III, 169; VI, 164, et Heyn. ad Virg. Georg. II, 167 seq. — Vid. et Indic. Geograp. ad Cæsar. nostræ edit. tom. IV. ED.

VAR. 182. *Qui* restituimus ex 11, 12, 13, 16—20, 23—27, 45—50, 55, 57—69, 71, 72, 73, 75, 76, et MSS. Paris. tantum non omnibus. *Quis*, 10, 14, 15, 21, 22, 54, 56, 70, 74, 77, 82, quod minus aptum videtur, nisi forte ita junxeris verba : *aratro panem quæramus mensis* nostris, *quis satis est*, quibus sufficit panis. — *Laudant hæc*, 11, 21 a m. sec. 22, 23.

NOT. 182. *Qui satis est mensis*, qui victui tolerando sufficit. Conf. Hor. Sat. II, 17, 18; Sen. Ep. 20 et 26.

Not. 183, 184. Conf. VI, 10 seq. Virg. Georg. I, 7, 8, et Ovid. Fast. I, 675 seq.

Var. 184. *Contingunt homines*, 10, 11, 12, 17—24, 27, 45—49, 54, 55, 56, 60—63, 65—69, 71—74, 77, et XXX MSS. Paris. non improb. Schurzfl. qui comparavit Gr. ἅπτει χόρος. *Contemnunt homines*, 13. *Effugiunt homines*, 50, 64.

Not. 185. *Nil vetitum*, nihil, quod nefas est, *fecisse volet*, faciet vel facere cupiet et solet, *quem non pudet*, *alto per glaciem perone tegi*, etc. hoc est, homo frugalis, qui in vestitu non ornatus et nitoris, sed usus, quem præstat, rationem habet, quemque non pudet, vili habitu crassoque panno uti, quo frigus arceat. — *Pero* corium crudum.[1] «Pedes perone setoso talos adusque vinciebantur, genua, crura suræque sine tegmine,» Sidon. Apoll. Epist. lib. IV. — *Submovet Euros*, vim ventorum aerisque injuriam arcet. — *Pellibus inversis*, quæ introrsum pilos habent.

Var. 186. Post hunc versum in 16, insertus est iste: *Frondoso pariter requiem capessere lecto.*

Var. 188. *Quodcumque*, 13, 49, 55, 61, 62, 63, 65—69, 71—74.

Not. 187, 188. Conf. Prop. III, 13 (al. 11), 1 seq. et Tibull. II, 4, 27 seq. — *Purpura*, luxus. *Quæcumque est*: nam *nobis ignota* est, et de ea non nisi fando audivimus.

Var. 189. *Et nunc*; 16.

Not. 190. Sub *finem auctumni* antelucanam lucubrationem incipiebant Romani; *Grang. media de nocte*, conf. ad Liv. IX, 44, 5. — *Supinum* in lecto, dormientem, pigrum.

Not. 191. *Ceras*, tabulas ceratas.

Var. 192. *Vigila ac causas age*, 17, 19. *Vigil ac*, 16, 21, a m. sec. 22, 28.

Not. 192. *Rubras leges*: nam veteres Romani legum reliquorumque librorum principia ac titulos rubrica, μίλτῳ, minio, vel κηρῷ μεμιλτωμένῳ, cera miniata, notabant et pingebant. Nota Ach. est: «Qui mos etiam usque ad initium typographiæ stetit, ut videre est in vett. MSS. et princ. editt. quorum tituli et majusculæ literæ minio, cerussa aliove colore, sed præcipue *rubro*, cum figuris auro depictis scripti fuerunt. In libris autem *legum* textus legis erat rubro colore exaratus, commentarius et glossæ nigro. Hinc h. loc. *leges rubræ*, et plerumque *rubrica* pro legibus ipsis.»[2] — Recte *Cramer* notat numquam ab Ach. probari posse hanc

[1] Gloss. *calceamentum pilosum* (*rusticum* apud Isidor. Orig. XIX, 34), cujus erat usus tempore hiberno. Conf. intpp. Pers. V, 102; Serv. et Cerda ad Virg. Æneid. VII, 690.

[2] Vid. Casaub. ad Pers. V, 90; Quintil. XII, 3, extr. intpp. Ovid. Trist. I, 1, 7, et Petron. 46; Schwartz. de Ornam. lib. et Funcc. de Script. vett.

inter textum et commentarium colorum diversitatem : soli tituli et capitum argumenta minio notabantur; quod et in quibusdam libris haud ita pridem editis observatum est. Ed.

Not. 193. *Libello* supplice, non, ut olim, per et propter virtutem. Honores militares, impr. ordines, ab Imperatoribus *peti*, et per gratiam dari solebant: unde Vegetius, II, 3, queritur, «Legionum robur infractum, quum præmia virtutis occuparet ambitio, et per gratiam promoverentur milites, qui consueverant per virtutem.» Conf. Lips. de Mil. Rom. II, 8. *Posce vitem*, pete centurionatum. *Vitis* insigne centurionis, qui milites ea castigabat.[1]

Var. 194. *Sit caput*, 11, 20, prob. Schurzfleisch. putans, voce *sed* turbari sensum.

Anal. 194, 195. Exhibe vero te incultum, vel negligentem circa cultum corporis ac pilosum, ut strenuus idoneusque militiæ videaris. Theoph. Char. XIX : περὶ δυσχερείας, § 2. Τὰς μασχάλας θηριώδεις καὶ δασείας (h. loc. *alas grandes*) ἔχειν ἄχρις ἐπὶ πολὺ τῶν πλευρῶν, ubi Casaub. «Multi, inquit, Athenienses, quo magis viri fortes viderentur, et ab omni mollitie alieni, studuerunt hirsuti esse sub axillis. Nam quum in concionem venerant, in suffragiis ferendis partem illam denudabant, ut posset ab omnibus, postquam manum vel brachium sustulerant, conspici, etc.» Conf. supra ad II, 11, 12, et Pers. III, 77, ubi idem Casaub. monet, notari illuviem et δυσχέρειαν eorum, qui centurionatum, tribunatum, etc. ambiebant et cultus neglectu externoque habitu gloriam virorum atque militarium affectabant. — *Buxo*, pectine buxeo, ut apud Ovid. Fast. VI, 229, et Martial. XIV, 25, 2. — *Nares pilosas*: nam molles et delicatuli pilos narium evellebant, ut et alas. Conf. Ovid. Art. Am. I, 520.

Var. 195. *Advocet*, 16.

Not. 195. *Alas grandes*, axillas grandibus pilis hirsutas, quod virilitatis indicium est; Brit. — *Lælius* pro quovis imperatore. — Quum non sit imperatoris, examen instituere cum tirone, ex veteri quodam scholiaste Cramer. putat Lælii nomine intelligendum esse aliquem centurionem ad cujus officium id pertinebat. «Recte, inquit, et ab eo schol. discere poterant plerique nunc intpp. qui Lælium pro quocumque *imperatore* dictum volunt.» Ed.

Var. 196. *Dirue majorum*, 20.

Not. 196. *Attegias*, casas, vel mapalia (rectius magaria), quæ sunt



[1] Vid. ad Nostrum, VIII, 247, et ad Sil. Italicum, VI, 43; XII, 395, 465; Plin. XIV, 1; Tacit. Ann. I, 23; Lips. Mil. Rom. V, 18; Casaub. ad Spartian. Hadr. 10; Rader. ad Martialis Epigramm. X, 26, 1.

tuguria Nomadum plaustris imposita. De mapalibus *Maurorum* vid. Sil. II, 437—448, et XVII, 88 seq.[1] — Vide Ind. geograph. ad Cæsar. nostræ editionis, tom. IV, pag. 309. Ed. Vulgo putant, hoc vocabulum esse Punicum, seu Mauritanum, et synon. *castella*. Sed *attegias* ab *attegendo* dici, ut καλύβας ἀπὸ τοῦ καλύπτειν, contendebant Salmas. Exerc. Plin. p. 311; Bochart. Phaleg. II, 9, et alii. — *Brigantes*, populus Britanniæ[2] numerosissimus, cujus caput fuit Eboracum (hodie *York*), et regina olim clarisssima Cartismandua; vid. Tac. in Hist. III, 45; in Ann. XII, 32, 36, et Agric. cap. 17.

Not. 197. *Aquilam*, primipilatum : nam aquila aurea, legionis signum, erat in custodia centurionis primi pili.[3] — *Locupletem :* nam hujus centurionis dignitas admodum erat quæstuosa.[4] — *Sexagesimus annus*, quia gradatim, per decem cohortes, ad primi pili dignitatem adscendebatur. Conf. Plin. XIV, 1. « Hyperbolice hæc et ad notandam præmiorum tarditatem : nam post quinquagesimum annum nemo arma ferre cogebatur ; » Ach.

Var. 198. *At*, 11, 15, 16; *et* 45.

Var. 199. *Trepido*, 10, 11, 12, 16—27, 45—50, 54, 55, 57—69, 71, 73, et omnes Codd. Paris. quod restituit Ach. putans, hoc doctius esse, quod mihi secus videtur.

Not. 199 seq. Si non sine timore cornuum lituorumque sonum audire poteris, mercaturam exerce, et ita quære opes. Cur venter solvatur pavore, docent Macrob. VII, 11, et Gell. XIX, 4.[5]

---

[1] Rufinus *attegias* ponit pro umbraculis, quæ σκηνοποιεῖσθαι dicit Josephus, ut notat Politian. Miscell. c. 9. Grang.

[2] Non, ut Schol. notat, Galliæ, etsi in ea Brigantium opp. (hodie *Briançon*), nam Juvenalis temporibus et multo ante provincia erat omnis Gallia, nec ulla fuit tunc caussa, cur Romani in eam arma ferrent; Ach. — Notavit Schurzfl. hic in vet. Schol. legendum *Guallos* non *Gallos*. *Gualli*. quos alii Wallenses nuncupant, veteres sunt Britanniæ populi. Ed.

[3] Vid. Veget. II, 8; Tac. Hist. III, 22; Sil. VI, 25 seq. et Lips. Mil. Rom. II, 8. Vetus Schol. et Farn. *aquilam* h. loc. ad signiferi munus referunt. Conf. Fabrett. ad Columa. Traj. c. 7, pag. 188 seq. ubi probare conatur, centurionem primipilarem fuisse aquiliferum.

[4] Conf. Suet. in Aug. 49, in Tib. 48; in Calig. 44; Plin. XIV, 1; Mart. VI, 58, 10; Dio, LIV, 25; LV, 23; Lips. de Mil. Rom. II, 8.

[5] Rem probant exemplis Dionysii, Bruti, Carbonis, apud Aristoph. in Ranis, Sen. Epist. 82, et Valer. Max. IX, 13, 2, inpr. Arati, summi ducis, quem tradit Plutarchus torpore ac vertigine, quoties fere cœperit tuba cani, correptum esse acieque jam instructa sæpius anxie quæsivisse ab ordinum ductoribus, *num præsentia sua opus sit?* inde vero occasionem quibusdam dedisse faceti dicti : *Præteri Achæorum instante pugna alvum solvi.*

VAR. 203. *Ne*, 63. *Nec*, 13, 17, 18, 23, 25, 27, 45—50, 54, 62, 64—69, 71—74. Eadem varietas est apud Virg. Georg. IV, 47, et al., debeturque librariis, qui ignorabant, *neu* vel *neve* passim pro *nec* poni.

ANAL. 201—204. Neque fastidias merces viliores, aut fœtidas, modo fructuosæ sint et quæstuosæ, ut coria, quæ trans Tiberim portantur. Ibi putida conficiebantur opera, verb. caus. sulphurationes et excoriationes. Conf. Martial. I, 42, 3 seq. I, 109, 2; VI, 93, 4; Turneb. Adv. XXIV, 43.

NOT. 204. Poeta respexisse videtur ad nota illa verba, quibus urinæ vectigal commendasse dicitur Vespasianus; vid. Sueton. Vespas. c. 23.

VAR. 206. *Poeta*, 8, 13, 21, prob. Pith. Sed junge : *sententia poetæ*.

NOT. 206. Dicitur εἰρωνικῶς *sententia diis atque ipso Jove digna*; digna, quæ dei alicujus atque ipsius Jovis sententia sit. — *Sententia poetæ*, scil. Ennii, sumpta a Bellerophonte Euripidis, qui hoc pariter ironice dixit; Farn. Grangæus comparavit verba incerti poetæ apud Sen. Epist. 115: « Non quare et unde : quid habeas, tantum rogant. » — *Unde habeas*, scilicet opes, divitias, vel quod possides. — *Habere*, ut ἔχειν, absol. pro divitem esse positum accipiebat Grang.

VAR. 208. *Hæc*, 20. — *Pueris vetulæ*, 10, 17—24, 45. — *Repentibus assæ*, 1, 10, 14, 70, 75, 76, 77, 82. *Repetentibus assem*, 21, 24, quod conj. Schurzfl. coll. V, 144. *Poscentibus assem*, 11, 12, 15—20, 22, 23, 25, 27, 45—50, 54—69, 71—74, et plerique Codd. Paris. probb. Grang. Rigalt. et Ach. coll. eodem loco supra V, 144, qui sane huic lectioni favet, vel potius alteri *repetentibus assem*, quæ ad nostram propius accedit, et peperit tertiam : *poscentibus* enim est glossa, verbo *repetentibus* adscripta. Sed utrumque forte petitum ex V, 144. Nostram lectionem primus revocavit Carrio Emendatt. II, 9, ubi ex Nonio monet, *assam* dici nutricem, quod semper *assit* seu *adsit* iis, quos nutriat. Sed vetus Schol. est : « *Assa* dicitur nutrix sicca (sole colorata, rugosa), et vetusta, quæ lac non præstat infantibus, sed solam diligentiam et munditiam adhibet. » Gloss. vett. « *Assæ*, adsectrices, ἀναγέτριαι, ταῖς τικτούσαις ὑπηρετοῦσαι, aliquando etiam τροφοί. » *Vetulæ pueris poscentibus assæ* legebat Is. Pontan. ad Macrob. VII.

NOT. 208. *Repentibus*, parvulis, ut *qui in purpuris repit*, apud Quintil. I, 1, 6. Conf. Barth. ad Stat. Theb. IX, 427. — *Assæ*; vid. Var. Lect.

VAR. 209. *Hæc*, 19. — *Alpha et vita*, 11 a m. sec. et 64. Conf. Valesiana, pag. 206.

NOT. 209. *Ante alpha et beta*, priusquam prima literarum elementa discant.

VAR. 211. *Possum*, 10, 13, 15—25, 54—60, 62, 64—69, 71—74. *Possunt*, 27, 48, 61, 63. — *Dico*, 27, 61, 62, 63.

VAR. 212. *Festinare facit*, 16.

Not. 212. *Festinare*, avaritia imbuere, vel ut imbuas ea filios tuos quam primum et ante annos. — *Præstare aliquem* dicuntur, qui spondent pro eo, ut talis sit vel futurus sit, qualis esse debet, vel qualem eum esse alii cupiunt et optant; vid. Ernesti clav. Cic. Grangæus contulit versum senarium ignoti poetæ apud Cic. Epist. IX, 19, πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων. — *Magistro*, te, parente.

Var. 213. *Abis*, 66.

Var. 214. *Et Pelea*, 15. — *Aut Pelea*, 23. — *Vincit*, 18.

Not. 213, 214. Quemadmodum Ajax Telamonius, et Achilles parentes suos virtute, ita te filii tui avaritia omnibusque sceleribus vincent.

Var. 215. *Parcendum teneris*, 10, 17, ut apud Virg. Georg. II, 363. Id substitui pro vulg. *Parcendum est teneris*. Librarii sexcenties inculcarunt *est*, ubi bona latinitas illud omittere solet. *Parcendum est pueris*, 22.

Not. 215 seq. Salse et hæc dicta : Ignosce puerulis, si tibi nondum pares fuerint sceleribus; exspecta, dum adoleverint, videbisque, iniquitatem eorum cum annis crevisse. — *Nondum implevere medullas Maturæ mala nequitiæ*, sumpta nequitia, qualis est parentum, nondum satis alte in teneros penetravit animos, et tanquam venis medullisque infixa hæret.

Var. 216. *Naturæ mala nequitia est*, 1. *Maturæ*, 14, 15, 16, 23, 24, 48, 59, 65, 70, 77, 82. *Naturæ*, 10—13, 17—22, 25, 26, 27, 45—49, 54—58, 60, 75, 76, non improb. Schurzfl. ut *medulla naturæ* maxima dicatur κακοζηλία. Idem ex antiquiss. MSS. Paris. restituit Ach. et exponit ita : *nondum implevere medullas*, penitus in teneros, simplices et adhuc *naturæ* deditos penetraverunt eorum animos, nondum venis medullisque infixa hærent *mala nequitiæ*, scelerum omnium principia, semina. *Nativæ*, 50, 61—64, 66—69, 71—74, non improb. H. Vales. — Mox ante *quum* insertum est *Ast* in 14, 70, 82, quod extrusi, quoniam abest ab 10—13, 15—27, 45—50, 54—69, 71—77, et interpolationem redolet. — *Pectore*, 16, 22.

Not. 217. *Mucronem longi cultri*, novaculam barbæ tondendæ caussa *admittere*, hoc est, adolescere. — Romani non nisi ante quadragesimum annum cultro ad barbam tondendam utebantur; eam vero a juventa pectebant. At clar. *Baillot*, jam sæpe a me laudatus, videtur haud immerito dubitare an hic de novacula mentio fiat. Quid enim sibi vult vocab. *longi?* non falce, ut Polyphemus, barbam metebant. Quid *mucronem cultri?* nullius usus est mucro; sola adhibetur acies. Itaque locus sic explicari posset : « quum jam ad juventam pervenerit, et militarem cinxerit gladium. » Ed.

Not. 218. *Perjuria vendet summa exigua*, parvi quæstus commodique caussa pejerabit.

Var. 219. Copula *et* abest ab 10—13, 15—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77. — *Tegeasque aramque*, 21.

Not. 219. Jurantes precantesque *tangebant aram* (conf. III, 145; XIII, 89; Virg. Æneid. IV, 219; XII, 201; Liv. XXI, 1, et ad Sil. III, 82), vel *pedes*, genua et simulacra deorum, ut apud Sueton. Tib. 27, et Ovid. Metam. XIII, 585. — *Cereris* pro quocumque numine et quidem sanctissimo.

Not. 220. *Elatam*, mortuam ac sepultam. Verbum funerale, ut apud Prop. IV, 7, 7; al. vid. supra ad I, 72.

Not. 221. *Mortifera cum dote*, magna, et hinc caussa mortis. Verba *limina subit* spectant ad ritum nuptialem, quo nova nupta, ad ædes sponsi ducta, ut invita virginitatem deponere videretur, a paranymphis portabatur trans *limen*, quod tam ab ingrediente, quam ab egrediente tangi ominosum erat (vid. Burm. ad Ovid. Am. I, 12, 4, et Doering. ad Catull. LXI, 166); *premetur*, suffocabitur, strangulabitur; *quibus*, quam scelestis! nisi malis post *digitis* signum interrog. ponere, ut sensus sit: quibusnam aliis quam mariti sui, qui tuus est filius? Alii de digitis aconito infectis accipiunt, coll. Plin. XXVII, 2: « Constat omnium venenorum ocissimum esse aconitum, et tactis quoque genitalibus feminini sexus animalium eodem die inferre mortem. Hoc fuit venenum, quo interemptas dormientes a Calpurnio Bestia uxores M. Cæcilius accusator objecit: hinc illa atrox peroratio ejus in digitum. »

Var. 223. *Anquirenda* recte, puto, emend. Grang. vid. ad VI, 501. — *Putes*, 18, 19, 23, 27, 46—50, 54, 55, 56, 59—64, 65, 68, 69, 71—74, 77.

Not. 223. Cæde sibi facilius divitias parabit, quam ærumnis *terra marique* tolerandis.

Not. 224. Magnum scelus, quod quæstuosum est, cædes, facili negotio perpetratur.

Var. 228. *Levi*, 45. *Læto*, 16. — *Providit*, 15, 16, 29.

Var. 229. *Fraudem*, 24. — *Conduplicari*, 13, 17, 18, 20, 22, 23, 24, 27, 45, 47, 54, 58, 64. *Conduplicandi*, 15. Forte rectius, etsi non ignoro, vocem *libertatem* etiam infinitivo junctam legi, verb. causs. apud Prop. I, 1, 28, et Valer. Flacc. I, 601. — Totus autem versus abest ab 2, 10, 11, 12, 16, 21, neque eum in suo exemplari habuisse videtur vetus Schol. qui illum silentio prætermisit, et verba *dat libertatem* exposuit: auctoritatem et nequitiam permittit. Est haud dubie lacinia, adsuta ab interpolatore, qui verba *Dat libertatem* non concoquebat, nisi talia adderentur. Minus quidem languebit, si *et* vs. 228 et 230 pro *etiam* positum acceperis. At quis ferat hanc copulam toties ac vario sensu repetitam eamdemque sententiam ter expressam? Hinc etiam non placet opinio eorum, qui vs. 230, *et* ante *totas* delendum putant, ut verbis *Nam quisquis.... dat libertatem* πρότασις (quæ sic nimis longa est et ταυτολογεῖ), reliquis vero, *totas effundit habenas*, etc., ἀπόδοσις contineatur. Toto potius versu ejecto nihil est, quod in hoc loco displiceat; vid. Comm. — Hic vs. et al. Hafn. abest; quare ejiciendum putat et Cramer. Ed.

VAR. 230. *Effudit*, 21, 22, 25, 27, 46—49, 54—63, 66, 67, 69—73.

ANAL. 227—232. Quicumque pueros opum amore et cupiditate imbuit, et eosdem *lævo monitu*, perversis infaustisque præceptis, *avaros producit*, format, efficit (vid. ad VI, 241), is similis est aurigæ, qui *curriculo*, equis, *dat libertatem et totas effundit habenas*, hoc est, filiis *dat libertatem* immoderatam vel quodvis scelus audendi, is in effrenatas eos cupiditates, et quævis scelera pronos faciet frustraque deinde a cursu quasi et impetu, quo in flagitia feruntur, illos revocare conabitur, ut auriga, qui equis in circo currentibus habenas ita remittit, ut, si cursum deinde velit inhibere, non possit. Comparatio aptissima venustissimaque, a circo petita. Conf. Virg. Georg. I, 512 seq. De vs. 229, vid. Var. Lect. *Totas effundit habenas*, ut apud Virg. Æneid. V, 818; XII, 499, al. — *Curriculo*, equis, ut *currus* apud Virg. Æneid. XII, 287, et Georg. I, 514. Ἅρματα πεισιχάλινα dixit Pind. Pyth. II, 21. *Quem* græce et docte pro *quod*, scil. curriculum, quoniam, si sensum respexeris, ad equum, hoc est, filium, spectat. Conf. ad vs. 241.

VAR. 232. *Sed* conj. Plathner.

NOT. 232. *Te*, auriga, hoc est, patre et auctore, seu doctore. — *Metis relictis*, equis indomitis adeo ruentibus, ut metas cursu prætereant, nec circum eas flecti se patiantur. Similiter animus in avaritiam præceps fines et modum transit.

VAR. 233. *Credet*, 24.

NOT. 233 seq. Poeta vere et naturæ hominum convenienter philosophatur. — *Nemo satis esse credit*, sufficere putat, satis habet.

NOT. 234. *Indulgent sibi latius ipsi*, filii, non contenti modo finibusque, a patre definitis, eos transeunt. *Latius*, conf. Bentl. ad Horat. Sat. II, 2, 113.

VAR. 235. *Cur*, 22. — *Dices*, 16. — *Stultus, qui donat amico, Qui paupertatem levat adtollitque propinqui*, 13. Non male, ut ipsa sint patris verba.

NOT. 235 seq. Quum stultum esse dicis, qui aliis benefaciat, doces filium, quocumque modo divitias sibi parare. — Eamdem sententiam expressit *Boileau*, Sat. VII, vs. 191 seq.

« Endurcis-toi le cœur; sois Arabe, corsaire...
« Ne va point sottement faire le généreux;
« Engraisse-toi, mon fils, du suc des malheureux. » ED.

VAR. 236. *Levat*, 13, 16, 23. — *Attollitque*, 13, 16. *Attolletque*, 15. *Tollat levetque*, 24. — *Propinquum*, 21.

NOT. 236. *Paupertatem levare et attollere*, ut contra *paupertate*, vel fame, inopia, etc. *premi*, *urgeri*, *gravari* dicimur, metaph. ab onere petita.

NOT. 237. *Circumscribere*, decipere, fraudare; vid. ad X, 222.

VAR. 238. *Anquirere* etiam h. loc. suspicari possis, vid. supra ad VI, 501. — *In te est*, 18, 19 a m. sec. 23, 25, 27, 46, 47, 48, 50, 54—69, 71—74.

NOT. 239. *Deciorum*, vid. ad VIII, 254.

NOT. 240. *Menœceus*, Creontis, Thebani regis, filius Marti se immolavit, ut secundum Tiresiæ vaticinium cives sui victoriam reportarent. Vid. Eurip. Phœniss. vs. 841 seq. Stat. Theb. X, 589 seq. 751 seq. Pausan. IX, 25; Apollod. III, 6, 7; Cic. Tusc. Quæst. I, 48. *Si Græcia vera*, veridica, verax est,[1] hoc est, si Græcorum scriptores vera nobis tradidere (*quidquid Græcia mendax audet in historia* X, 174, 175), nec potius hoc commenti sunt, ut alia, quæ de Thebis earumque origine fabulose narrant. Hæc ut rideret poeta, adjunxit vs. 241—243, qui tamen h. loc. ubi a comparatione tantum occasio eorum scribendorum petita est neque ipsi ad caput rei illustrandum quidquam faciunt, parum opportuni sunt, et intempestivam produnt artis doctrinæque ostentandæ cupiditatem.[2] Historia autem originis Thebarum, vel tironibus nota ex Ovid. Metam. III, 1—130, et forte ex etymol. vocc. γηγενεῖς et Σπαρτοὶ orta est.[3] — *Legiones* pro multitudine virorum armatorum. Res de industria amplificatur, risus captandi caussa, quo et vs. 243 spectat. *Quorum* græce et docte dicitur pro *quarum*, scilicet Thebarum, respectu ad incolas urbis et nobilius genus habito, ut *quem* supra vs. 231.[4]

VAR. 241. *Quarum* (scilicet Thebarum), 19, 25, 46, 48, 49, 50, 54—57, 59—69, 71—74, et multi Codd. Paris. Sed *quorum*, 1, 10—18, 20—24, 27, optimi Codd. Paris. (Put. Fauch. Alex. Senat. Thuan. et alii), quod doctius est; vid. Comm.

VAR. 243. *Et tamquam*, 20. — *Tibicen*, 22, 49.

NOT. 243. Tam horrido modo tantoque impetu inter se armis decertarunt, ut putares, una cum iis natum fuisse *tubicinem*, qui ad pugnam eos excitaret.

NOT. 244. *Ignem*, insatiabilem avaritiam, quæ etiam *ardens* dicitur

---

1 Vid. Longol. ad Plin. Epist. II, 9, 4; Intpp. Ovid. Her. XVI, 123, et Met. X, 209.

2 Non enim crediderim (quæ Bahrdtii sententia erat), horum versuum addendorum consilium eo spectare, ut iis adumbretur summa vis educationis pravorumque exemplorum et præceptorum, quæ in teneros puerorum animos sine ullo impedimento alte descendant, ut dentes draconis in sulcos Cadmi. Quæ ratio quam longe petita sit, vel me non monente intelligitur.

3 Vid. Heyn. ad Apollod. III, 4, 1, et Herman. Mythol. Lyric. t. II, pag, 239, 240.

4 Vid. ad Sil. V, 495, et X, 306; Brunk. ad Sophocl. Ajac. 760; Koeppen. ad Hom. Iliad. II, 278; Gron. Obss. I, 16, ad Liv. I, 59; XXIX, 12, et ad Sen. Herc. fur. 1157.

Cic. Fin. III, 11. — *Scintillas*, semina et originem. — Sic *Racine*, *Britannicus*, act. IV, scen. III :

« Vous allumez un feu qui ne pourra s'éteindre. » Ed.

Var. 245. *Et late*, 10, 11, 15, 17—19, 23, 25, 45—49, 54, 55, 57—60, 64, 65.

Var. 247. *Caveam*, 15—20, 22, 25.

Not. 246, 247. Filius etiam te ipsum, patrem et præceptorem, interficiet, ut leo nonnunquam magistrum suum, a quo enutritur, in *cavea*, ferarum receptaculo vel theatro, dilacerat. Poetam h. loc. respicere historiam sui temporis putant, coll. Martial. de Spect. X. Particula autem comparationis omissa, ut supra vid. 227 seq. et passim, verb. causs. Hor. Epist. I, 2, 34, 42; 3, 19 al. — *Leo alumnus*, vid. Heins. ad Ovid. Metam. IV, 421.

Var. 248. *Nec grave*, 24.

Not. 248 seq. Ovid. Metam. I, 148 :

Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Hosce annos filius e *genesi* computabit, vel *mathematicos* ea de re consulet et, si hi vitam nimis longam tibi promiserint, eam tibi veneno eripiet, ut tuis divitiis ocius potiatur; vid. ad III, 43, 44, et VI, 553 seq. — *Sed grave* est filio tuo, *exspectare tardas colus*, mortem, nimis tarde ad te adventantem. Φεῦ μοίρης τε κακῆς καὶ πατρὸς ἀθανάτου, Strat. Epigr. LXXII, 4, in Brunck. Anal. tom. II, pag. 376. — *Colus*, vitæ *stamina*, quæ fusis suis Parcæ ducunt. — *Tardas colus*, ut *nimium stamen* X, 252. *Stamine* Parcarum *nondum abrupto*, ante naturalem vitæ modum.

Var. 249. *Colos*, 13, 18—21 a m. sec. 22, 23, 24, 46—50, 54—57, 59, 60, 62, 64, 65, 68, 69, 71—74.

Not. 251. *Senectus cervina*, summa. De longa cervorum vita vid. Aristot. Hist. An. IX, 6, et Plin. VIII, 32 seu 50 extr.

Var. 252. *Archygenen*, 17, 19. Ego *Archigenen* pro *Archigenem* scripsi.

Not. 252. *Archigenen quære*, h. loc. medicum; vid. ad VI, 46, et de *Archigene* ad VI, 236. — *Quod Mithridates composuit*, antidotum de quo vid. ad VI, 661.

Var. 253. *Opposuit*, 22.

Var. 254. *Togas* pro *rosas*, 16. — *Est* non exstat in 17, 18.

Not. 253, 254. *Si vis* auctumnum et ver aliud videre, hoc est, vel annum vivere. — *Medicamen* Mithridaticum, antidotum, alexipharmacon. — *Et pater et rex*, non minus pater, quam rex; quoniam his temporibus patri a liberis non minus metuendum est, quam tyranno a civibus. Verba autem *et pater et rex* ad eumdem quoque Mithridatem referri possunt, qui *et pater et rex* a Pharnace filio, qui patri bellum intulerat,

obsessus in regia venenum hausit et, quum eo sumpto parum profecisset ad mortem accelerandam (nam frequenti usu antidotorum, quibus ab ineunte ætate se munierat adversus venena, vis eorum imminuta erat), a Bitoeto, milite Gallo, a quo id petierat, interfectus est. Conf. Liv. Epist. CII; Appian. Bell. Mithrid. cap. 109—112; Plut. Pomp. pag. 641; Dio, XXXVII, 10—14; Gell. XVII, 18; Fabric. ad Oros. VI, 5, et intpp. Aur. Vict. V, I, 76; et nostratem *Racine* in fabula Mithridatis nomine inscripta. Ed.

Var. 255. *Aut pater, aut rex*, 10, 11, 15—20, 24, 27, 45—50, 54—69, 71—74, plerique Codd. Paris. et ed. Ach.

Not. 256 seq. Majorem voluptatem, quam quæ ex *theatris*, hoc est, ludis scenicis capitur (quibus Romani maxime delectabantur), promitto tibi, si consideraveris labores et pericula, quæ subit avarus, ut omni modo rem augeat.

Not. 257. *Prætoris pulpita*, ludi scenici, a prætore dati. — *Pulpitum*, λογεῖον, cathedra, suggestus in proscenio seu theatro, ubi histriones recitabant. — *Lauti*, elegantis, divitis, vel magni et dignitate conspicui; vel potius qui laute, splendido apparatu ludos facit (ut apud Pers. VI, 23, *puer lautus*, qui magnis impensis cœnam parat), vel iis in sella curuli et prætexta, seu toga picta, veste triumphali, præest. Conf. X, 36 seq. et XI, 192. Ita prætores viam sibi ad consulatum, ut ædiles curules ad summos honores muniebant.

Var. 258. *Spectas*, 18, 23, 25, 27, 46—50, 54—69, 71—74. *Constant*, 21, 25, 27, 46—50, 54—69, 71—74.

Not. 258. *Quanto constent*, tanquam pretio, quo empta sint et parata. Sic *morte constare* dixit Cæs. Bell. Gall. VII, 19.

Not. 260. *Fiscus*, corbis spartea seu viminea, in quam pecunia condebatur, vel ipsa pecunia. — *Ad Castora*, apud mensarios et feneratores in foro, ubi ædes erat Castoris, vel in æde Castoris *ponendi numi;* nam non modo fœdera, pactiones et testamenta, sed pecuniæ etiam deponebantur in templis, quæ tuta erant religione deorum, et potissimum excubiis militum, unde *vigil Castor* h. loc. dicitur.[1]

Not. 261. Ex quo fures, in foro Martis, hoc est, in foro Augusti, quod

[1] Vid. Lips. ad Tacit. Annal. I, 8. Britannicus *ad Castora* interpretabatur: apud mensarios in foro, ubi erat ædes Castoris; vid. Liv. II, 20, 42; Sueton. Cæsar. 10, et Dionys. Halicarnass. VI, pag. 351. Plathneri nota est hæc: « Ad Castoris ædem jam Ciceronis temporibus negotiabantur numularii vel feneratores, et in ea pecuniæ deponebantur. » Conf. Cicer. Verr. I, 49, et pro Quintil. 4.

æde Martis Ultoris ornatum erat,[1] numularios diripuere, et ipsi quoque Marti insignia sua abstulere; *Brit.* Ex quo in templo Martis compilatæ fuerunt arcæ ipsiusque Dei galea furto subrepta; Farn. coll. Martial. VI, 72, et Antholog. II, 25, de Eutychida, quæ loca parum ad rem faciunt. Conf. supra ad X, 25. Poeta forte ad sui temporis historiam, nobis ignotam, respicit; et hac occasione, ut passim, ridet infirmam divini numinis potentiam, et quidem h. loc. (ut II, 130 seq.) *Martis*, qui ne *res* quidem *suas*, sua ipsius insignia, servarit, nedum res hominum, sibi, tanquam patri ac tutori Romanæ gentis, in custodiam concreditas. Rigaltius in Diss. de Sat. Juven. suspicabatur, deriso Marte, qui falso *Ultor* dicatur, non modo vanitatem fabulæ perstringi, sed etiam ignaviæ accusari Romanos, qui nihil amplius armis quærant, et olim etiam quæsita sibi eripi turpiter patiantur.

Not. 262 seq. *Licet relinquas*, relinquere, spernere poteris, *omnia aulæa Floræ*, etc., hoc est, cuncta ludorum genera, ex quibus non tantum percipies voluptatis, quantum ex avari laboribus; nisi malis: quamvis vel omnes ludos relinquas, nihil cures, non magna carebis voluptate, modo respexeris varia *negotia*, labores, navigationes, peregrinationes, incommoda et pericula, quæ avarus subit, ut rem familiarem amplificet opibusque affluat; tanto tibi jucundius hæc, quam ludi illi, spectaculum offerent. Hæc avari *negotia*, etc., in vss. sq. describuntur. Poetæ animo oculisque obversabatur locus Horat. Epist. II, 1, 197 sq. Conf. sup. III, 223 (ubi vid. not.), et loca, quibus vita nostra scenæ, mimo et fabulæ comparatur Sen. Epist. 77 et 80; Suet. Aug. 99, et Palladæ Epigr. C. in Brunck. Anal. tom. II, pag. 427, ubi vid. Jacobs. ad Anthol. Gr. vol. II, part. III, pag. 247. — *Aulæa* vela picta, in ædibus, porticibus et theatris suspensa, unde h. loc. pro ipsis ludis ponuntur.— *Floræ* ludi, Floralia scil. sacra s. solennia, de quibus vid. Ovid. Fast. V, 183—378; Plin. XVIII, 29; Val. Max. II, 10, 8, et Sen. Epist. 97. — *Cereris* ludi, qui in Cerealibus sc. sacris agebantur. Vid. Ovid. Fast. IV, 390 seq. et Liv. XXX, 39 — *Cybeles* ludi, Megalesia, diversa a ludis magnis. Vid. Liv. XXIX, 14 (ubi conf. Duker.), XXXIV, 54; Ovid. Fast. IV, 179 seq.

Var. 265. *Non* et *jactare*, 12.

Anal. 265—284. Quam vecors sit avarorum audacia, docet poeta comparatione eorum cum aliis hominibus, qui non minus quidem audaces sunt, sed ut quærant victum, non ut opibus affluant: unde temeritas illorum justiorem habet excusationem. Conf. XV, 93 seq.

Not. 265. *Petaurum*, πέταυρον, proprie asser, seu tabula parieti affixa, ad quam se gallinæ volatu recipiunt, ut pernoctent; hinc machina in

[1] Vid. Suet. Aug. 21 et 29; Ovid. Fast. V, 549 seq. et Dio Cass. LIV, 7 et 8, ubi conf. Reimar. § 85.

altum suspensa, in quam, gallinarum instar, quasi volatu sese ferebant petauristæ, οἱ πρὸς ἀέρα vel πρὸς αὔρας πέτονται. Ita Grang. qui etiam monet, a Mercuriali et Lipsio petaurum explicari de machina lignea, nostris oscillis simili, qua homines rotis in aerem jactarentur, a Scalig. autem ad loc. class. Manil. V, 433 seq. de rota, in sublimi posita et a duobus versata, altero superne, altero inferne nitente, ita ut alternis dejecti nunc penderent, nunc recte sederent. « Petauri ludus, quum per circulos quispiam veloci cursu transvolat, corpore ita librato, ut circulum non offendat. » Alex. ab Alex. III, 21 :

....rota transmisso toties intacta petauro,

Mart. XI, 22, 3. Variæ tamen petauristarum artes fuisse videntur. Conf. Petron. cap. 47, 53, et 60; item fragm. 13 et Fest. — Nonius ita interpretatur : « Petauristæ a veteribus dicebantur qui saltibus vel schœnis levioribus moverentur. » Hinc colligi potest nomine illo fuisse designatos quicumque præstigiis et saltibus corporis agilitatem viresque ostentabant. Ed.

Var. 266. *Solent*, 27, 47, 54, 61, 63, 64, 74.

Not. 266. Designatur funambulus, σχοινοβάτης et νευροβάτης.[1] — *Rectum*, an a cæli vertice pendentem? Sed mox *ancipiti planta* (vs. 272) sensu careret : an æqualiter a plana superficie distantem? Quid igitur sibi velit τὸ *descendere?* Itaque intelligendus est funis, in obliquum tensus : in quo ambulare difficillimum est, ut cl. *Baillot* innuit. Ed.

Var. 267. *Quantum*, 16. — *In* ante *Corycia* non male inseritur in 10, 17, 19, 23, 24, vel ante *puppe* in 45. — *Coricia*, 10, 17, 19, 23, 24, 46. *Coritia*, 47, 48, 50, 64. *Corithia*, 21, 45. *Corinthia*, 22. — *Rupe*, 21 a m. sec.

Not. 267 seq. Tu multo majorem risus voluptatisque materiam præbes, qui non victus, sed lucri quærendi caussa semper navigas et negotiaris, nulla periculi ratione habita. — *Corycia*, Cretensi; epith. orn. petitum a mercatura, quam olim Cretenses potissimum faciebant; quo etiam sequentia spectant.[2] *Corycus* seu *Corycum*, urbs et mons Cretæ.[3]

Not. 268. *Tollendus* a *Coro* (vid. ad X, 180) cum nave, intumescentibus fluctibus, pro vocat. *tollende*.



[1] De cujus arte vid. Burm. Anthol. Lat. III, epist. 179; Wernsdorf. Poet. Lat. minor. tom. VI, pag. 569, 570; Prudent. Hamartig. vs. 368 seq. Niceph. Gregor. Hist. Byzant. VIII, 10, pag. 214 seq. ed. Paris. 1702; Firmic. VIII, 17; Manil. V, 650 seq.

[2] Conf. Mitscherl. ad Horat. Od. I, 1, 13, et 35, 7; Martial. Epigrammat. lib. III, 65, 2; IX, 39, 5, et XI, 9, 2.

[3] Britannicus et alii epitheton referunt ad Corycum, Ciliciæ prom. et oppidum, ut navis designetur errabunda et propemodum prædatoria, quum avarus contempto omni periculo huc et illuc navigando lucra sectetur, quo more errent Cilices, piratæ sævissimi. Sed in vss. seq. de Creta insula agitur.

VAR. 269. *Ac vilis*, 1, 2, 14, 18, 56, 70, 74—77, 82.—*Perditus, a Siculis sacci mercator* (qui a Siculis saccum mercaris), 3, 5, 10, 11, 12, 15, 16, 17, 19—27, 45—50, 54, 55, 57—69, 71, 72, 73, et permulti Codd. Paris. quod perperam probat Plathnerus, quia *saccus olens* sit crocum, quod plurimum in Sicilia, unde et *Sicanium* dicatur Stat. Sylv. V, 3, 41. Et tamen adstipulatur Ach. qui illam lectionem restituit.

NOT. 269. *Perditus*, miserrimus, omni sæpe ratione ac spe destitutus. — *Sacci olentis*, croci, opobalsami; Grang. opobalsami, aut malobathri, fœtidæ mercis, ut ex sententia tali, *tu fœtide*, Schol.

VAR. 270. *Pingui*, 16, 27, 45, 59, 60. — *Antiquo*, 22.

NOT. 270. *Antiquæ Cretæ*, post hominum memoriam jam habitatæ, adeoque fama nominis sui notissimæ. Quemadmodum enim hominum, quæ vulgo dicitur, nobilitas ex antiquitate generis æstimari solet; ita et antiqua origo sæpe a poetis in magna vel urbium vel terrarum laude ponitur. Vid. Heyn. ad Virg. Æn. I, 12, 375 et 531.

NOT. 271. *Passum*, vinum, quod ex uvis passis, hoc est, ad solem expansis et arefactis[1], optime conficiebant Cretenses. Vid. Plin. XIV, 9; Martial, XIII, 106, et verba Athen. X, 11, (56) pag. 440: « Παρὰ Ῥωμαίοις δὲ, ὥς φησι Πολύϐιος ἐν τῇ ἕκτῃ, ἀπείρηται γυναιξὶ πίνειν οἶνον. Τὸν δὲ καλούμενον πάσσον πίνουσι. Τοῦτο δὲ ποιεῖται μὲν ἐκ τῆς ἀσταφίδος, καὶ ἔστι παραπλήσιος πινόμενος τῷ Αἰγοσθενίτῃ γλυκεῖ καὶ τῷ Κρητικῷ. » Creticum vinum fuisse dulce, dicit Ælian. Hist. XII, 31. — *Pingue passum*: nam « ex uvis passis in prælo compressis effluit et conditum vasculo mellis more servatur; » ut utar verbis Colum. XII, 39. — *Lagenas* vino passo repletas: nam *lagena* vas erat, in quo vinum non modo paratum semper habebatur in triclinio, ut ex eo infunderetur poculis, sed etiam adservabatur. Vid. intpp. Petron. 22. — *Municipes Jovis*, Creticas, ejusdem quasi patriæ cum Jove, qui in Creta nutritus dicitur. Sic *municipes siluri* IV, 33, ubi vid. not. *testa municeps Sibyllæ*, hoc est, Cumana, apud Martial. XIV, 114, 2, et *lacernæ Cadmi municipes*, hoc est, Tyriæ, ibid. X, 87, 10. Grangæus monet, hanc loquendi formulam depromptam esse ex Aristoph. Acharn. act. II, scen. II: « Ὁ λάρκος δημότης ὅδ' ἐστὶν ἐμός. »

NOT. 272 seq. Funambulus arte sua periculosa non nisi victum sibi et vestitum parat, avarus autem non minore vitæ discrimine divitias, quibus carere possit. — *Ancipiti figens vestigia planta*, incerto gradu per funem incedens.

VAR. 273. *Victum ex illa merce*, 22.

[1] Vid. Columel. XII, 39, et intpp. Virg. Georg. II, 93; Varro, lib. I, de Vita populi Romani. « Passum, inquit, nominabant, si in vindemia uvam diutius coctam legerent eamque *passi* essent in sole aduri. »

Not. 273. *Brumam cavet*, frigus arcet, hoc est, parat sibi, quo frigus arcere possit.

Not. 275. *Tu temerarius es*, temere periculis te vitamque tuam objicis.

Var. 276. *Plus hominum jam*, 21, 22.

Not. 276. *Trabibus*, navibus. — *Plus hominum*, etc. qui naufragium pertulerunt quam qui evaserunt; Ach. Immo *plus hominum est jam in pelago*, quam in terra; tanta est hominum avaritia et lucri cupido. Omnia in majus extolluntur, et nihil omittitur, quod ad avaritiam ἐναργῶς adumbrandam valere possit. Eo etiam spectat v. 277. *Classis*, pro multitudine navium.

Var. 277. *Vocat te*, 10, 27, 47, 54, 58.

Not. 278 seq. Naves non Orientem modo, sed Occidentem quoque extremum petent. Conf. Horat. Epist. I, 1, 45, 46.—*Carpathium æquor*, a Carpatho insula (nunc *Scarpanto*), inter Rhodum sita et Cretam, dictum et cum delectu positum, quoniam et periculosum est, et transeundum iis, qui Bithyniam petunt, quo frequenter commeabant mercatores Romani. Conf. Mitscherl. ad Horat. Od. I, 35, 7, 8, et III, 7, 3. — *Gætula æquora*, Libyca. Libya seu Africa horreum Romani populi.

Var. 279. Secundam syll. voc. *Calpe* in sexto casu corripi, jam miratus est Priscian. lib. VI. Eamdem brevem esse apud Avien. Arat. vs. 1023, observat Curio prava lectione deceptus, qui cum aliis putabat, id propterea fieri, quod *Calpe* etiam tertiæ declinationis sit et *Calpes, Calpis* non minus recte dicatur, quam *Calpe, Calpes*.

Not. 279. *Æquora transiliet*, trajiciet, et quidem cum summa temeritate atque audacia, ipsis naturæ legibus illudente, ut apud Hor. Od. I, 3, 24, et Sil. IV, 71. — *Calpe*, Hispaniæ Bæticæ promont. (*Gibraltar*). — *Ad gurgitem*, hoc est, fretum *Herculeum* seu Gaditanum (*die Strasse*), in quod sol mergitur.[1]

Not. 280. Solem undis se mergentem, instar candentis ferri aqua tincti, *stridorem* sonitumque edere, poetæ passim fingunt, idemque olim et Iberi et philosophi, v. c. Epicurus et Posidonius, credebant.[2]

Not. 281 seq. Sarcasmi vim facile senties. — *Folle tenso* et *aluta tumida*, βαλαντίῳ, sacco argenti pleno, numis distento et turgente, instar follis vento repleti. Conf. ad VII, 192, et XIII, 61. — Videndus quoque Januensis, qui sic : « *Aluta*, ab *alo*. Dicitur hæc *aluta* pellis quæ tanata; dicitur vulgariter *corduane*, quia alit pedes. Unde Juvenalis :

Appositam nigræ lunam subtraxit alutæ.

---

[1] Conf. ad Sil. I, 141 seq. 209 seq. III, 399, et VI, 1 seq.

[2] Vid. Cleomed. II, 1; Burm. ad Valer. Fl. II, 36, 37; conferatur similiter Barth. ad Stat. Silv. II, 7, 27, et Theb. I, 158.

Et inde *hic alutarius, rii*, id est, pelliparius, qui vel operatur pelles tanatas, vel tinctas, vel qui eas tanat, id est, servat, vel tingit.» Hæc omnia referente Cramero, pag. 533. Ed.

Not. 283. *Oceani monstra*, marinæ belluæ, quæ summum maris petunt tempestate imminente. Conf. Mitscherl. ad Horat. Od. I, 3, 18.— *Juvenes marinos*, Tritonas et Nereidas. « Ut quis e longinquo revenerat, miracula narrabant, vim turbinum et inauditas volucres, monstra maris, ambiguas hominum et belluarum formas. » Tac. Ann. II, 24.[1]

Not. 284 seq. Varia sunt insaniæ et furoris genera, inter quæ avaritia etiam et potissimum referenda. Conf. Horat. Sat. II, 3, 77 seq. — *Ille* Orestes, a Furiis, μητροκτονίας ultricibus, *vultu* terribili et *igni*, faucibus, *terretur in manibus sororis* Electræ, quæ fratrem, furore correptum et querentem,

Ὦ Φοῖβ' ἀποκτενοῦσί μ' αἱ κυνώπιδες
Γοργῶπες, ἐνέρων ἱέρειαι, δειναὶ θεαί,

consolatura dicebat,

Οὔ τοι μεθήσω, χεῖρα δ' ἐμπλέξασ' ἐμὴν,
Σχήσω σε πηδᾶν δυστυχῆ πηδήματα,

sed duris his verbis repellebatur,

Μέθες, μί' οὖσα τῶν ἐμῶν Ἐριννύων,
Μέσον μ' ὀχμάζεις, ὡς βάλῃς εἰς Τάρταρον.

Ita Eurip. Orest. vs. 260 seq.; qui locus Juvenalis, opinor, animo obversabatur. — *Eumenides*, Εὐμενίδες, eædem deæ, qui antiquioribus poetis Ἐριννύες dicebantur. Vid. Herrman. Mythol. tom. II, pag. 491 seq.

Var. 285. *Torretur*, 11, in marg. non improb. Schurzfl.

Var. 286. *Credet*, 17.

Not. 286. *Hic*, Ajax, Telamonis filius, qui armis Achillis ab Agamemnone aliisque Græcorum ducibus Ulyssi adjudicatis, in insaniam incidit, et quum flagris in *boves* pecudesque sæviret tresque arietes jugulasset, Atridas et Ulyssem a se *percussos* occisosque esse existimabat. Conf. ad VII, 115, et X, 84. — *Mugire*, bovem esse. — *Ithacum*, Ithacium seu Ithacensem (ut X, 257, et XV, 26). — Ulyssem, ἁπλοῦν et ἐθνικὸν ἀντὶ κτητικοῦ, simplex pro possessivo, ut *Dardanus*, *Itala tellus*, *equus* seu *exercitus Astur*, *populus Phæax* (XV, 23); *Mæotis ara* et *Memphitis terra* (XV, 115, 122), Δελφὶς ἄκρα, seu πέτρα, Κελτὶς Ἄρης, Θεσσαλὸς λεὼς et similia. Vide ad Sil. I, 14, 252; XVI, 180.

[1] Conf. Hard. ad Plin. IX, 5, et Scalig. Comm. ad Arist. Hist. An. II, pag. 232 seq. « Apud populos miraculorum amatores, ut erant Græci Romanique, balenæ, phocæ, aliaque marina animantia pro Sirenibus, Nereidibus et Tritonibus, forsan, ut Lapones aliique Scythiæ parvæ staturæ populi pro Pygmæis, habitæ sunt; » Ach.

VAR. 287. *Lacertis*, 7, 12, 15, 17 a m. sec. 20, 21, 22, 46, 61, 62, 63, 65—69, 71—73, et XII MSS. Paris. in his Put. et Fauch.

NOT. 287 seq. Quamquam avarus et mercator, qui divitiis inhiat et lucri studio tot periculis se committit, non, ut furiosi solent, vestes suas lacerat, tamen insanit et propterea *curatoris eget a Prætore dati*, ut utar verbis Horat. Epist. I, 1, 102. Conf. ejusd. Sat. II, 3, 217, 218.

VAR. 288. *Navem qui*, 21.

VAR. 289. *Tabula distinguitur uda*, 15, 16, 19, 21, 23—27, 46—49, 55—60, 68. XXV MSS. Paris. et ed. Ach. *una*, 17, 20, 22, 28, 74, et tres Codd. Paris. *unda*, 1, 8, 10—14, 22, et VII MSS. Paris.

NOT. 289. *Tabula* ille (propr. navis) *distinguitur*, separatur, disjungitur ab *unda*. Vid. ad XII, 57—59.

VAR. 291. *Conscissum*, 16, 21, 22.

NOT. 291. *Argentum concisum in titulos faciesque minutas*, concisum in argenteolos, signatumque titulis et imaginibus parvis Principum vel pecudis, urbium, Jani gemini, Victoriæ, navis, bigarum, quadrigarum. Conf. ad VI, 205; Plin. XXXIII, 3; Scalig. ad Caton. pag. 69.

NOT. 292 seq. Mercator lucri cupidus nil curat tempestatem. — *Solvite funem*, ut apud Virg. Æn. V, 773, ubi vid. Heyn.

VAR. 293. *Piperisve*, 19, 45, non male! — *Coemtor*, 11. — *Coemptor*, 15, 16, 19, 21 a m. pr. 23—27, 46—50, 54—69, 71, 72, 73.

NOT. 294. *Fascia nigra*, nubes atra, quæ longo per cælum tractu fertur, prænuntia tempestatis.

VAR. 295. *At forsitan*, 15, 17, 20, 21, 22. Multi Codd. Paris. et ed. Ach. *Ac forsitan*, 16, 19, 23—27, 48, 56—64, 66—69, 71—77. *An forsitan*, al. Conf. Comment.

NOT. 295. *Æstivum tonat*, ut æstate fieri solet ob calorem. — *Hac ipsa nocte*, ut X, 76, *hac ipsa hora*.

VAR. 296. *Cadit*, 21. — *Trabibus fractis*, 10.

NOT. 296. *Cadet*, peribit. — Simpliciter forsan intelligendum: fracta nave in fluctus excidet; naufragium faciet. ED.

NOT. 297. En graphicam avari descriptionem! Tabulam dextra, *zonam* vero (in qua Romani vel peregrinantes, vel negotiantes pecuniam habebant, de quo vid. Liv. XXXIII, 29; Gell. XV, 12; Horat. Epist. II, 2, 40; Suet. Vitell. 16) non *læva* tantum manu, sed *morsu* quoque, hoc est, dentibus, tenet, quasi eam perditurus, si corpori adhæreat, neque reputans, se ita facilius submergi; mavult autem perire, quam pecuniæ jacturа et natatum reddere expeditiorem et sic vitam redimere. — Ut fere in Lucian. Dialog. Mort. XI, 4: Τὸ δὲ χρυσίον ὀδοῦσι καὶ ὄνυξι καὶ πάσῃ μηχανῇ

ἰφύλαττον. « Mavult suffocari, perplexa scilicet manu *læva* et hiante ore per *morsum*, quam ut expedita jactura redimeret vitam natando.» Hennin.

VAR. 298. *Suffecerit*, 20, 21, 27, 46, 47, 48, 54. *Sufficeret*, 23.

VAR. 299. *Volvunt*, 22.

NOT. 299. *Tagus* et *Pactolus*, auriferi fluvii Hispaniæ et Lydiæ. — *Rutila*, aurea.

VAR. 300. *Sufficiant*, 16.

NOT. 300. Nudi sunt naufragi, quia, ut facilius natent, vestes abjiciunt. Grang.— *Sufficient* illi *panni* viles, quibus *inguina*, ex aqua marina uda et *frigida*, *velare*, tegere et abscondere possit. Lub. et Ach.

VAR. 301. *Exanguisque*, 12.

NOT. 301, 302. Qui naufragio olim vel alio insigni periculo evaserant, funestos, quos tulerant, casus, ne toties eos stipem colligentes narrare cogerentur, et quoniam mentem magis afficiunt, quæ oculis, quam quæ auribus percipimus, pingere et scribere solebant in tabulis, quas humeris primum ferebant, et deinde una cum vestimentis, quæ servaverant, tanquam ἀναθήματα, in templo dei Σωτῆρος, Neptuni vel Isidis et Æsculapii, suspendebant.[1]—*Picta tempestate*, pictura tempestatis et naufragii *se tuetur*, vitam sustentat.

NOT. 303, 304. Conf. Horat. Sat. I, 1, 76 seq. et sup. vs. 135.

VAR. 305. *Perdives*, 24. *Dives* reponi jubebat Curio, et *armis* pro *hamis* Britann. ut metro consuleretur. Neutrum iis venisset in mentem, nisi perperam de *hamis* piscium cogitassent.

NOT. 305. *Hamæ* instrumenta, σκάφη, ad incendia compescenda hauriendamque aquam (ut ἄμη apud Plut. et Hesych.), vel vasa aquæ acetique plena, quibus utebantur Vigiles, quorum cohortes septem (unde hoc loco *cohortem servorum*, quod præterea ad luxuriam Romanorum spectat et servorum, qui a ditioribus alebantur, multitudinem) incendiis coercendis Augustus instituerat. Vetus Schol. « Per translationem disciplinæ militaris Sparteolorum Romæ, quorum cohortes in tutelam Urbis cum hamis, et cum aqua vigilias curare consuerunt vicibus. » Vasa autem illa non a Vigilibus incendii exstinguendi caussa quavis nocte circumlata videntur, quæ Brissonii (Antiq. select. II, 8) aliorumque sententia est, sed

[1] Conf. XII, 27, 28; Strab. VIII, pag. 360; Horat. Art. Poet. 20 seq. Heyn. ad Tibull. I, 3, 27; Mitscherl. ad Horat. Od. I, 5, 13 seq. et intpp. Pers. I, 89; VI, 32. Grangæus ad hunc locum adnotat, eos, qui depictam non habuerint tabulam, *truncum* gestasse fasciis involutum fortunamque suam narrasse, quo refert verba Martial. XII, 57, 12. « Nec fasciato naufragus loquax trunco. » — Vide quæ Cramer. annotat, pag. 534. ED.

disposita in publicis privatisque ædibus, inprimis locupletiorum, qui in earum propatulo secundum Neronis edictum (vid. Tac. Ann. XV, 43) « custodes (nocturnam servorum custodiam) et subsidia reprimendis ignibus habebant.»[1] *Hami* piscium ab h. loc. alieni, ob sensum ac metrum. Nota Ach. est: « Quidam male intelligunt uncos ferreos seu ad diruenda ædificia, seu ad capiendos fures; ego vero non solum vasa seu vascula aquaria, sed et cupas, prægrandia vasa ad eumdem fere modum, quo instrumenta, quæ Galli vocant *pompes à incendie*, e quibus aqua longis siphonibus per medium mittebatur incendium. » — De *hamis* tot eruditos viros dixisse monet Cramer. ut eorum integrum recensum instituerit Trekelius ad Brisson. Select. Aut. II, 8, cui honoris gratia, ut antesignanus, additur Cujacius, Obs. XIII, 30. Ed.

Not. 306. Licinus forte idem, ad quem poeta potissimum respexit I, 109, ubi hæc est vet. Schol. nota: « *Licinius* ex Germania puer captus tantæ industriæ fuit, ut reliquias cibariorum inter conservos feneraret, et, cui quid credidisset, quali poterat chirographo, pugillaribus subnotaret: quos quum in expeditione quadam transiturus flumen in vestimentis recondidisset, C. Julio Cæsari quondam deneganti ei pugillaribus quidquam adnotatum, barbarus lugens eos obtulit. Statim ad dispensationem admissus, non multo post manumissus est. Dein curationi Galliarum ab Augusto præpositus eas spoliavit; et quum flagraret invidia, basilicam sub nomine C. Julii Cæsaris ædificavit. Decessit sub Tiberio, proinde dives, quod Cassii opes etiam exhausisset, et dictus est habuisse numos, quantum milvi volant. » Conf. Pers. II, 36 (ubi vid. Schol et Casaub. qui tamen ibi agi putabat de Licinio Stolone, ob possessa agri mille jugera damnato); Sen. Ep. 119 et 120 « Licinum divitiis, Apicium cœnis, Mæcenatem deliciis provocant »; Dio Cass. LIV; Suet Aug. cap. 67; Sidon. Epist. V, 7. — *Attonitus*, δεινῶς pro anxius et sollicitus.

Not. 307. *Electro*, poculis et vasis ex electro. Conf. ad V, 38, et Heyn. ad Virg. Æn. VIII, 402. — *Signis*, statuis, vel potius simulacris. — *Columna Phrygia*, ex marmore Phrygio, inprim. Synnadico (nam Synnas, seu Synnada urbs Phrygiæ majoris, marmore nobilis), ut ap. Tibull. III, 3, 13, ubi vid. *Heyne* et *Brouckus*.[2] — *Ebore et testudine*, supellectile iis ornata, vel ex iis facta. Conf. XI, 94 seq. et 123.

Anal. 308 seq. Divite illo Licino seu Licinio, qui quavis nocte in-

[1] Conf. Colum. X, 387; Turneb. Adv. II, 29; XIX, 23; Intpp. Plin. Epist. X, 42; Casaub. ad Hist. Aug. p. 497; Wower. ad Apollinar. p. 144; Tit. Digest. de Off. Præf. vigil. Lips. Tac. Historiar. lib. III, 64, et inprimis Heubach. Comment. de Politia Rom. Goetting. 1791, pag. 46—51.

[2] Conf. ad VII, 82; Heins. ad Ovid. Fast. III, 529 (et ad hunc, volumen hujus editionis sextum. Ed.); Plin. XXXV, 1; Holsten. ad Steph. Byz. *Columnæ Synnades* apud Capitol. in Gordiano, III, 32.

cendium domus metuebat, multo felicior Diogenes ille Sinopensis Cynicus, qui paucis contentus erat divitiasque spernebat. Hujus domus non ardebit; nam dolium, quod in Metroo ipsique pro domo erat, non ligneum, sed fictile ex terra : quam domum si quis fregerit, vel cras ex argilla et luto fingetur alia, vel eadem conglutinabitur.[1]

Not. 309. *Cynici nudi*, nam Cynicorum humerus alter nudus erat, pallio in alterum rejecto. Vid. Salmas. de Pallio, pag. 396 seq.—*Plumbo commissa*, hoc est, ferruminatione seu plumbatura, μολυβδώσει.—*Testa*, dolio fictili.

Var. 310. *Aut eadem*, 10, 11, 12, 14, 15, 18, 19, 23, 24, 43, 45, 50, 64, 70, 82, et plerique Codd. Paris. *Atque eadem*, 16, 17, 20, 21, 22, 25, 27, 46—49, 54—63, 65—69, 71—77, et quidam Codd. Paris. At quomodo *altera fiet domus*, et simul manebit *eadem*? Id jam monuit Lips. Epist. Quæst. IV, 25.

Not. 311 seq. Nota sunt, quæ tradunt Diog. Laert. VI, 2, 6, et Plut. Vit. Alex. tom. I, pag. 671 : Ἐν τῷ Κρανείῳ ἡλιουμένῳ αὐτῷ (Diogeni) Ἀλέξανδρος ἐπιστάς φησιν· Αἴτησόν με ὃ θέλεις. Καὶ ὅς, Μικρὸν, εἶπεν, ἀπὸ τοῦ ἡλίου μετάστηθι. Πρὸς τοῦτο λέγεται τὸν Ἀλέξανδρον οὕτω διατεθῆναι καὶ θαυμάσαι καταφρονηθέντα τὴν ὑπεροψίαν καὶ τὸ μέγεθος τοῦ ἀνδρὸς, ὥστε τῶν περὶ αὐτὸν, ὡς ἀπῄεσαν, διαγελώντων καὶ σκωπτόντων, Ἀλλὰ μὴν ἐγὼ, εἶπεν, εἰ μὴ Ἀλέξανδρος ἤμην, Διογένης ἂν ἤμην.

Var. 312. *Quantum*, 23, 47, 48, 49, 55, 58, 64.

Var. 313. *Totum qui*, 27, 47, 48, 49, 56—60, 64, 65.

Not. 313. Conf. ad X, 168 seq. Cynici honores et divitias spernebant, docentes solam virtutem sufficere ad vitam beatam. Apul. Apol. I : « Diogenes, cum Alexandro Magno de veritate regni certabundus, baculo vice sceptri gloriabatur. »

Var. 315. *Nullum numen abest*, 13, 15, 16, 19, 20, 23—27, 45—50, 54—63, 65—69, 71, 72, 73. — *Sed te Nos facimus*, 10, 13, 15, 16, 17, 20—27, 45—50, 54—69, 71—74. *Sed nos Te facimus*, 12, 19; vid. supra ad X, 365, ubi iidem leguntur versus.

Var. 316. *Deam, cœloque locamus*, 45, ex X, 366.

Not. 315, 316. Vid. ad X, 365, 366, ubi eadem leguntur verba.

Not. 316 seq. Si quis tamen a me quærat, quantus rei familiaris esse debeat, *edam*, dicam, respondebo, etc. Conf. Hor. Sat. I, 1, 73 seq.

Var. 317. *Consulit*, 16, 21.

Var. 318. *En quantum* suspicari possis. At vid. Comm. — *Ac frigora*, 21.

---

[1] De illo dolio vid. Plin. XXXV, 12; Menag. ad Laert. VI, 2, p. 137, et inpr. Sponii Miscell. Erud. Antiq. ubi dolium quoque depictum videbis.

Not. 318. *In quantum*, καθ' ὅσον vel εἰς et ἐς ὅσον seu ἐφ' ὅσον, ut ἐς τί.[1]

Not. 319. *Epicurus*, honestæ voluptatis amator, cujus famam, olim magnopere læsam, hodie alii alio modo et successu defenderunt, Athenis in *horto* docere solebat, et olere, polenta atque aqua contentus ipso, Jove felicior sibi videbatur. Conf XIII, 123.[2]

Not. 320. *Socratici penates*, frugalis Socratis domus et secta.— *Ante* Epicurum.

Var. 321. *Dicet*, 11, 22, 23, 25—27, 46—50, 54—60, 65.

Not. 321. *Natura;* nam «si ad naturam vives, numquam eris pauper, si ad opinionem, numquam dives;» Sen. Ep. 16. *Sapientia*, philosophia. — *Dicit*, docet ac præcipit.

Var. 322. *Ludere*, 45. *Includere*, 15. *Cludere* alii; vid. ad III, 19.

Not. 322 seq. Hæc cum indignatione et sarcasmo disputantur ac suadentur. *Videor acribus exemplis te claudere*, ut *in angustias compellere* seu *cogere;* Germ. *in die Enge treiben*, et Lucian. Hermot. cap. 63: περιέρχῃ με καὶ συνελαύνεις ἐς στενόν; vel avaritiam et cupiditates tuas nimis angustis frugalitatis terminis circumscribere: exempla Diogenis, Epicuri et Socratis, quæ tibi commendavi, vereor, ne nimis *acria*, severa, et rigida sint. Quod si ergo hæc philosophorum frugalitas austeritasque tibi displicuerit; *de moribus nostris*, Romanorum hujus ævi, *misce*, admisce, adjunge illi austeritati *aliquid*, non multum, ita ut modicis contentus sis opibus, non immensas, ut illi, quæras.

Var. 323. *De nostris*, 19, 25, 27, 46—50, 54, 55, 57—60, 64, 65. —In omnibus, quas vidi, editt. perperam non post *summam*, sed post *ordinibus* distinguitur.

Not. 323—326. Conf. simil. loc. Pers. VI, 78 seq. ibique Casaub. *Effice summam, quam lex Othonis dignatur bis septem ordinibus*, para tibi censum equestrem, quadringenta sestertia, quæ ut habeat, qui in quatuordecim ordinibus seu gradibus (orchestræ, in qua senatores sedebant, proximis) sedere cupit, sancitum est lege Roscia theatrali, lata a L. Roscio Othone, Tr. pl. a. Urb. cond. DCLXXXVI. Conf. I, 106; II, 117; III, 154—159; V, 132.[3] Docte autem et εἰρωνικῶς *lex* dicitur *dignari*

---

[1] Apud Anacr. III, 25, ubi vid. Baxt. Conf. Plin. Epist. X, 75; Ovid. Met. XI, 7. et Ruhnk. ad Vellei. I, 9.

[2] Passerat. ad Prop. III, 21 (al. 20), 26; Barth. Adv. XX, 20; Bernart. ad Stat. Silv. I, 3, 94; Scalig. ad Virg. Cir. vs. 3; Jo. Schrader. Emendatt. pag. 31 seq. Sen. Epist. 21; Plin. XIX, 4, et Diog. Laert. in Vita Epicuri.

[3] Plin. XXXII, 2; Ernesti clav. Cic. in Ind. leg. pag. 35; Ruhnken. ad Vellei. II, 82; Torrent. ad Sueton. Ner. 11, et Domit. 8; Mart. V, 39.

summam bis septem ordinibus, hoc est, equestri loco et ordine : nam lege illa proprie quidem non summa, sed, qui eam possideret, hoc ordine et honore dignus censebatur ; at dignitas hæc magis ex pecunia pendebat, quam ex homine ejusque moribus virtutibusque : quo etiam spectat sarcasmus III, 154—159.

VAR. 324. *Dignetur*, 45.

VAR. 325. *Labellis*, 22.

VAR. 326. *Quadraginta*, 16, 20 a m. pr. 22; vid. ad I, 106.

NOT. 325—329. Si *hæc quoque summa* tibi non sufficit, *sume duos Equites*, hoc est, para tibi censum duorum Equitum, et si id nondum satis tibi videtur, trium : sed hoc tibi persuadeas velim, cupiditates avarorum numquam satiari nec ullis terminis contineri posse. Simillimus locus finisque Satiræ est apud Pers. VI, 75—80. *Hæc quoque* summa *si rugam trahit extenditque labellum*, ut contra *jam redit in rugam*, hoc est, multiplicatur, πολλαπλασιάζεται, apud Pers. VI, 79, ubi Casaub. et Kœnig. verba nostra interpretantur ita : si summa nondum tendit neque explet marsupium, sed adhuc hians et laxum est os illius. Hoc eleganter translatum putant a vestibus, quæ, quo ditior aliquis esset et elegantior, eo laxiores fuerint et fusiores eoque magis rugatæ, unde

Effluit effuso cui toga laxa sinu,

apud Tibull. I, 6, 40; at Britann. a sacco, qui, quum plenus non sit, rugam trahat. Vetus autem Schol. et plerique intpp. sensum verborum ita expediunt : *si hæc quoque summa rugas* in fronte tua contrahit, hoc est, te tristem facit adeoque tibi displicet, non satis magna videtur. Illud arridere potest, quoniam tum vs. 327 metaphora, a veste petita, continuatur, et sup. vs. 138 de eadem re dicitur *pleno quum turget sacculus ore*. Hoc vero, quia subjungitur *extenditque labellum*, quo non minus ægritudo et mens parum contenta adumbratur; unde Farnab. non male exponit h. loc. « Si hæc quoque summa te cogit, quod Angli dicunt, *to bend the brow and hang the lip.* » Britann. tamen hoc sumptum existimabat ab iis, qui tamquam famelici labra oris extendant ad cibum capiendum. Poeta etiam alia uti potuit metaphora.—*Tertia quadringenta*, tres census equestres, hoc est, censum senatorium, quem Augustus ad duodecies sestertium auxit. Vid. Suet. Aug. 41; Dio LV, et Plut. Vit. Ant.

VAR. 327. *Non*, 27, 64.

NOT. 327 seq. Si nondum satiavi cupiditatem tuam, hoc est, si ea ne sic quidem satiatur, sed si pluribus inhias, plura concupiscis : nec Crœsi, nec regum Persarum, nec Narcissi opes *sufficient animo* tuo, hoc est, avidam mentem tuam explebunt. Poeta toto h. loc. cum indignatione loquitur. *Persarum* ac Parthorum reges et olim et tum temporis potentissimi erant iidemque ditissimi.

VAR. 328. *Rosci* pro *Crœsi*, 4. Forte e glossa, ad vs. 324, adscripta. —

Crœsi, regis Lydorum, divitiæ cui non sunt auditæ? — *Vel Persica*, 16.

Var. 329. *Sufficiunt*, 27.

Not. 330. Claudius Imp. libertorum præcipue suspexit Posiden, Felicem, Harpocram, Polybium, sed ante omnes *Narcissum*, ab epistolis, et Pallantem, a rationibus, quos, decreto quoque senatus, non præmiis modo ingentibus, sed et quæstoriis prætoriisque ornamentis ornari libenter passus est; tantum præterea adquirere et rapere (h. loc. *indulsit*, permisit, *omnia* scelera, etc.), ut, querente eo quondam de fisci exiguitate, non absurde sit dictum : *abundaturum*, *si a duobus libertis in consortium reciperetur*. Hæc sunt verba Suet. Claud. cap. 28, quæ commentarii loco adscripsi. Νάρκισσος μέγιστον τῶν τότε ἀνθρώπων δυνηθείς· μυριάδας τε γὰρ πλείους μυρίων εἶχε, καὶ προσεῖχον αὐτῷ πόλεις καὶ βασιλεῖς, etc. Dio Cass. LX, pag. 688 C. — *Uxorem*, Messalinam, quæ propter adulterium et nuptias cum Silio aliaque flagitia, auctore potissimum Narcisso, occisa est, inscio et invito Claudio, qui veniam ei daturus erat, nisi libertus ille cædem festinasset. Conf. ad X, 342. Res nota ex Suet. Cl. 26, 29, 39, et inpr. Tac. Ann. XI, 12, 26—38.



SATIRÆ DECIMÆ QUINTÆ

ARGUMENTUM.

Obtinet Ægyptus perversos impia ritus. —
Immanes ritus Ægyptius incola suadet.
(Al. Ægypti incola servat.)

RELIGIONES PEREGRINÆ. — DE SUPERSTITIONE. —
DE SUPERSTITIONIBUS ÆGYPTIORUM. — DE RELIGIONIBUS ÆGYPTI. —
AD VOLUSIUM BITHYNICUM. —
DE FALSA DEORUM CULTURA ET NEFARIO VICTU ÆGYPTIORUM.

In hac Satira, ad Volusium Bithynicum scripta, Juvenalis gravissime invehitur in religiosam Ægyptiorum dementiam, qui non modo monstra Deorum, animalia et olera, sed etiam alii alia hujusmodi numina colant, et ob hanc religionis diversitatem tanto se invicem odio prosequantur, ut cæco nonnumquam furore instincti eos, qui aliis utantur sacris, devorare non dubitent (vs. 1—13). Quæ ne quis fabulosa esse censeat et similia iis, quæ Ulysses Alcinoo super cœnam de Læstrygonum Cyclopumque immanitate et ἀνθρωποφαγίᾳ narraverit (13—26), exemplum memorat efferatissimæ hujus crudelitatis, quod sua ætas viderit; et refert, finitima oppida, Tentyra et Coptum, antiqua simultate, nullam aliam ob caussam, quam quod diversa coluerint numina, ita arsisse, ut nuper Coptitæ cum Tentyritis, diem festum agentibus et larga meri potione oneratis, quo facilior victoria esset, jurgio contendendi occasionem inde ceperint, utque rixa primum conviciis ac clamore, deinde percussione capitum vulneribusque, pugnis et lapidibus inflictis, transacta, mox armis sumptis in prælium exarserit, quo fugatis Coptitis, unus eorum, qui nimia formidine cursum præcipitans procubuerit, captus a Tentyritis, et non modo in plurima sectus frusta et particulas, ut multis sufficeret, sed crudus etiam ac totus corrosis ossibus tanta aviditate devoratus sit, ut qui ex hostibus novissimi venerint, absumpto jam toto corpore, ductis per terram digitis aliquid de sanguine ejus gustaverint (27—92). Tanta inhumanitate nullum umquam populum sævisse dicit: non Calaguritanos in Vasconum finibus, qui, longa demum obsidione ad diram redacti famem

et ignari adhuc Stoicorum philosophiæ, vitam inhonesto modo, humanorum scilicet corporum dapibus, protraxerint (93—114); non Tauros, qui homines tantum immolaverint Dianæ, non etiam comederint (115—119); non Cimbros nec Britannos, aut Sauromatas et Agathyrsos (119—128). Tum poeta acerbe increpat inimicitiam et odium, quod feræ non nisi in dispar genus, homines autem in se ipsos gerant, quodque prorsus contrarium sit naturæ, quæ humano generi mollissima dederit corda, et ceteris animalibus:

> Tantum animas, nobis animum quoque, mutuus ut nos
> Affectus petere auxilium et præstare juberet.

(129—174.)

SATIRÆ DECIMÆ QUINTÆ
ANALYSIS.

Ex hoc argumento intelligitur, poetæ consilium non eo potissimum spectasse, ut religionem vel superstitionem Ægyptiorum derideret (de qua vid. ad vs. 2), sed ut insigni ostenderet exemplo, diversitate religionis hujus populi inexpiabile nonnumquam odium, et inauditam inhumanitatem gigni. In ipsa Satira (in primis in postrema ejus parte vs. 129—174) magna est orationis vis ac gravitas, rei convenientissima; quæ tamen passim, ubi locus est, admixtis facetiis temperatur. — Achaintrius hæc bene adnotavit : « Inferius tamen hoc opus ceteris ejusdem auctoris videtur; quod non mirum est : nam et senex admodum erat, et rem Romanis inauditam narrabat. Non ea bella infanda noverat, quæ furor religiosus sequentibus ævis produxit. Quid si Mahumeti fanaticum ardorem vidisset cumdemque manu dextra gladium gestantem, Coranum altera ? Quid si Christianorum sancta bella sub crucis vexillo suscepta, *les croisades ?* Quid si Albigensibus rogos accensos ? Lutheri et Calvini sectatorum et Catholicorum furores sacros ? Non juste minus exclamasset

> Adspicimus populos, quorum non sufficit iræ
> Occidisse aliquem....

Sed cur ea commemorem ? Jam non sub crucis vexillo bella et strages sunt inchoandæ. Humanitatis ipsius et philosophiæ nomine (quod non minus sævum, at ridiculum magis et multo minus excusandum) arma capessuntur, regna et imperia corruunt, urbes diruuntur, agri vastantur hominesque trucidantur. Sic omni tempore

inde principum ambitio prava, aulicorum aviditas et Δημαγωγῶν insania, hinc populorum socordia et imbecillitas miseris mortalibus excidii caussæ fuerunt terramque hanc miseram stragis sedem desolationisque fecere. »

De tempore, quo hanc Satiram scripserit Juvenalis, vid. Comm. ad vs. 27. Minus constat, qua occasione et quo loco composita sit. Vetus Schol. « Ad Volusium, inquit, de Ægyptiorum sacris scribit, odio Crispini, qui Ægyptius erat, egens, et modo magister peditum atque equitum factus est. » Vid. ad I, 25 seq. et IV, 1 seq. Calderinus: « Invehitur in mutua hominum odia et feritatem, notans scilicet Paridem (vid. ad VII, 87 seq.), cujus odio fuerat ejectus, sumpta occasione ex re gesta, quam in Ægypto viderat. » Lipsius (Epist. Quæst. IV, 20): « Juvenalem exsulasse sub Domitiano, non abnuerim, et, quod in Divæi libro est, in Ægyptum etiam missum, ultro crediderim. Indicare hoc ipse voluit Satir. XV, 45. Ait: « quantum ipse notavi. » Vidit igitur Ægyptum, vel quum inibi exsularet, ut MS. Divæi, vel, ut Suidas, quum in vicina esset Pentapoli seu Cyrenaica; vid. Plin. V, 5. Hæc lustratio Ægypti caussam illi præbuit scribendæ satiræ de immani superstitione Ægyptiorum. Nisi hoc fuisset, cur non pariter aliquid de Hispanis aut Germanis? Hinc tamen non pro certo affirmare ausim, hanc Satiram non Romæ, sed in Ægypto et tempore exsilii, scriptam fuisse. Illud probabilius videtur, et versum 45 ad annos quoque juventutis, quibus poeta Ægyptum lustrare potuit, referre licet. Conf. Vita Juvenalis per annos a me digesta ad ann. Urb. CCCXXXIII et DCCCLXXIV.

SATIRA DECIMA QUINTA.

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc; illa pavet saturam serpentibus ibin.
Effigeis sacri nitet aurea cercopitheci,
Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ,
Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.
Illic cæruleos, hic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur; nemo Dianam.
Porrum et cæpe nefas violare et frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina! lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa; nefas illic fetum jugulare capellæ:
Carnibus humanis vesci licet. Attonito quum
Tale super cœnam facinus narraret Ulixes

SATIRÆ DECIMÆ QUINTÆ INTERPRETATIO.

1. Quis ignorat, Volusi Bithynice, quæ numinum monstra, quam ridiculos deos Ægyptii vesana superstitione venerentur? Alii crocodilum, alii serpentibus pasci solitam ibin religioso metu colunt. In antiqua Theba, cujus dirutæ jacent portæ centum, prope quam visitur statua Memnonis jam non integra, et gestans citharam, cujus chordæ, per magicam artem sonum quemdam edunt, in ea, inquam, urbe imago aurea fulget simiæ caudatæ in templis adoratæ. Hic marinos, illic fluviales pisces, alibi canem civitates integræ colunt; civis nullus Dianam. Porra et cæpas secare et dentibus frangere ingens piaculum est. O religiosam nationem, cui deos ipsi horti progenerant! Lanigerorum animalium carnibus vesci abstinet unusquisque; hœdos occidere nefas est apud eos; fas vero humanam carnem comedere. Sane quum simile quidpiam de Antiphate ac Polyphemo Ulysses inter cœnandum Alcinoo narraret, non dubito quin

Alcinoo, bilem aut risum fortasse quibusdam
Moverat, ut mendax aretalogus. « In mare nemo
Hunc abicit, sæva dignum veraque Charybdi,
Fingentem immanes Læstrygonas atque Cyclopas?
Nam citius Scyllam, vel concurrentia saxa
Cyaneas, plenos et tempestatibus utres
Crediderim, aut tenui percussum verbere Circes,
Et cum remigibus grunnisse Elpenora porcis.
Tam vacui capitis populum Phæaca putavit? »
Sic aliquis merito nondum ebrius, et minimum qui
De Corcyræa temetum duxerat urna :
Solus enim hoc Ithacus nullo sub teste canebat.
Nos miranda quidem, sed nuper consule Junio
Gesta super calidæ referemus mœnia Copti;
Nos vulgi scelus, et cunctis graviora cothurnis.
Nam scelus a Pyrrha, quamquam omnia syrmata volvas,

e convivis aliqui aut irriserint, aut etiam stomachati sint, atque ut inepto circulatori succensuerint. Nemone hunc fabulatorem, inquiebant, in mare projicit? Dignus est profecto qui demergatur in veram Charybdim, non fictam, qualem nobis descripsit, quum de Læstrigonibus et Cyclopibus tam incredibilia, tam crudelia facinora nobis affirmet. Facilius enim mihi persuaserim quæ de Scylla, de Cyaneis scopulis, inter se collidi solitis, de tempestatibus in saccum inclusis, de Elpenore a Circe virga leviter verberato, et cum remigibus jam quoque grunnientibus in porcum mutato, narrat, quam de hominibus humanas carnes devorantibus. An Phæacas tam stolidos esse judicavit, ut hoc sibi affirmanti crederent? Ita loqui merito potuisset aliquis convivarum, nondum ebrius, qui minimam adhuc vini patrii copiam hauserat. Quippe Ulysses ea nullo attestante asserebat.

27. Nos mirum quidem facinus narraturi sumus, sed in media Ægypto prope Coptum haud ita pridem, Junio Sabino Romæ consulatum gerente, perpetratum; totius cujusdam populi crimen, atque adeo eorum omnium quæ in tragœdiis exhibentur gravitatem superans; siquidem, etsi omnes tragœdias, quæ post hominum genus a Deucalionis diluvio natum conscriptæ sunt, scruteris, nullum scelus ab toto populo communiter admissum invenies. Te-

Nullus apud tragicos populus facit : accipe, nostro
Dira quod exemplum feritas produxerit ævo.
Inter finitimos vetus atque antiqua simultas,
Immortale odium, et numquam sanabile vulnus
Ardet adhuc Coptos et Tentyra : summus utrimque
Inde furor vulgo, quod numina vicinorum
Odit uterque locus, quum solos credat habendos
Esse Deos, quos ipse colit. Sed tempore festo
Alterius populi rapienda occasio cunctis
Visa inimicorum primoribus ac ducibus, ne
Lætum hilaremque diem, ne magnæ gaudia cœnæ
Sentirent, positis ad templa et compita mensis
Pervigilique toro, quem nocte ac luce jacentem
Septimus interdum sol invenit. Horrida sane
Ægyptus; sed luxuria, quantum ipse notavi,
Barbara famoso non cedit turba Canopo.
Adde, quod et facilis victoria de madidis, et
Blæsis, atque mero titubantibus : inde virorum

terrimum audi facinus et exemplum inusitatæ crudelitatis, hac nostra ætate solummodo editum.

33. Copti et Tentyra sunt Ægypti civitates vicinæ, inter quas animi fervent vetusti et immortalis odii flammis incensi : cujus vulneris insanabilis et furoris summi caussa hæc est, quod altera civitas alterius deos oderit, et suos utraque duntaxat credat veros germanosque deos esse. Atqui, die quodam festo, Tentyritarum proceres ac primarii duces se occasionem nactos esse putaverunt peropportunam, unde impedirent, ne Copti promissam ejus diei lætitiam hilaritatemque, et gaudium magnæ cœnæ carperent; ii scilicet statuerant mensas in compitis templisque, et lectos quibus pervigilabant, et quos noctu diuque stratos lux septima interdum reperiebat. Etsi enim pars hæc Ægypti horridior sit atque incultior, tamen, quantum observare ipse potui, barbara hæc gens non est minus dedita luxui et deliciis, quam Canopus, eo nomine infamis. Accedit quod minime arduum videbatur vincere ebrium hostem, balbutientem, ac vino vacillantem. Ex Coptorum parte omnia personabant tripudiis saltantium ad strepitum

Saltatus nigro tibicine, qualiacumque
Unguenta, et flores, multæque in fronte coronæ;
Hinc jejunum odium : sed jurgia prima sonare
Incipiunt animis ardentibus : hæc tuba rixæ.
Dein clamore pari concurritur, et vice teli
Sævit nuda manus : paucæ sine vulnere malæ;
Vix cuiquam, aut nulli toto certamine nasus
Integer : adspiceres jam cuncta per agmina vultus
Dimidios, alias facies, et hiantia ruptis
Ossa genis, plenos oculorum sanguine pugnos.
Ludere se credunt ipsi tamen, et pueriles
Exercere acies, quod nulla cadavera calcent.
Et sane quo tot rixantis millia turbæ,
Si vivunt omnes? ergo acrior impetus, et jam
Saxa inclinatis per humum quæsita lacertis
Incipiunt torquere, domestica seditioni
Tela; nec hunc lapidem, quales et Turnus, et Ajax,
Vel quo Tydides percussit pondere coxam

tibiæ, quam fuscus aliquis Æthiops inflabat; erant omnes unguentis qualibuscumque delibuti et floribus multis capita coronati : ex parte vero Tentyritarum omnes impasti, et odiis ardentes. Initium pugnæ ductum a jurgiis et clamoribus, quibus, tanquam tuba signum est ad conserendas manus datum. Mox sublato hinc inde clamore congrediuntur, instar telorum pugnos exerunt, quibus invicem ita vapulant, ut paucos videre sit ore non vulnerato : vix cuiquam dimicantium, aut nemini potius est nasus integer. Cerneres toto in exercitu vultus dimidiatos, facies immutatas ac deformatas vulneribus, detecta ob laceratarum genarum hiatus ossa, omnium manus fluentes cruore oculorum quos hosti effoderunt. Ludum hunc tamen ipsi et puerilem esse putant rixam, quod needum mortuorum corpora proterant. Ac sane quid attinet tot hominum millia congredi bello et sævire inter se hostiliter, si nemo perire debeat? Majoribus igitur animis odiisque concurrunt, saxa per humum colligunt, ac reductis in circulum brachiis torquent; ea sunt videlicet usitata in seditione arma : non tales ac tantos lapides tamen, quales quantosque Ajax et Turnus projiciebant, quali Diomedes Æneæ

Æneæ; sed quem valeant emittere dextræ
Illis dissimiles, et nostro tempore natæ.
Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero.
Terra malos homines nunc educat atque pusillos.
Ergo Deus, quicumque adspexit, ridet et odit.
A deverticulo repetatur fabula : postquam
Subsidiis aucti, pars altera promere ferrum
Audet, et infestis pugnam instaurare sagittis;
Terga fugæ celeri præstantibus omnibus, instant,
Qui vicina colunt umbrosæ Tentyra palmæ.
Labitur hinc quidam, nimia formidine cursum
Præcipitans, capiturque; ast illum in plurima sectum
Frusta et particulas, ut multis mortuus unus
Sufficeret, totum corrosis ossibus edit
Victrix turba : nec ardenti decoxit aheno
Aut verubus; longum usque adeo tardumque putavit
Exspectare focos, contenta cadavere crudo!
Hic gaudere libet, quod non violaverit ignem,
Quem summa cæli raptum de parte Prometheus

femur vulneravit; sed quales projicere valeant manus istis longe dispares et imbecilliores, hominum nempe hujus ævi : nam ea robustorum hominum stirps et natio jam tum incipiebat minui, quum Homerus viveret; nunc mortales tellus procreat exiguæ staturæ, magnæ improbitatis, quos quum Superi adspiciunt, rident illorum tenuitatem, detestantur nequitiam.

72. Sed ad narrationem ab hac digressione redeamus. Posteaquam novæ copiæ subsidio advenerunt, ausi sunt Tentyritæ educere gladios in hostem, sagittisque conjectis pugnam redintegrare; nec ita multo post Coptitas in fugam effusos premunt acriter et urgent : quorum unus, dum præ metu nimio propere fugam arripit, cadit, comprehenditur, secatur a victoribus in frusta, ut ejus cadaveris particulam habere singuli possent, denique ita comeditur, ut ne ipsis quidem ossibus parcatur. Neque vero illud, aut elixum, aut tostum comederunt; longior est ipsis visa torrendi aut igne coquendi cadaveris mora; crudas carnes devorare satis fuit eis. Inde fas est lætari, quod ignem a Prometheo ex æthere delatum in terras tam

Donavit terris : elemento gratulor, et te
Exsultare reor. Sed qui mordere cadaver
Sustinuit, nil umquam hac carne libentius edit.
Nam scelere in tanto ne quæras et dubites, an
Prima voluptatem gula senserit : ultimus autem,
Qui stetit absumto jam toto corpore, ductis
Per terram digitis, aliquid de sanguine gustat.
Vascones, hæc fama est, alimentis talibus olim
Produxere animas : sed res diversa, sed illic
Fortunæ invidia est bellorumque ultima, casus
Extremi, longæ dira obsidionis egestas.
Hujus enim, quod nunc agitur, miserabile debet
Exemplum esse cibi : sicut modo dicta mihi gens
Post omnes herbas, post cuncta animalia, quidquid
Cogebat vacui ventris furor, hostibus ipsis
Pallorem ac maciem, et tenues miserantibus artus,
Membra aliena fame lacerabant, esse parati

crudeli flagitio non contaminaverint: gaudeo tam nobile elementum ista immanitate violatum non fuisse, ac te id quoque gaudere arbitror. Ceterum quicumque avidos dentes cadaveri infigere potest, ei nullum unquam ferculum isto jucundius attigit. Noli itaque sciscitari, aut ambigere, an primus qui talem cibum gustavit voluptatem senserit, quum postremi omnium qui accessere, postquam totum cadaver absumptum a prioribus et corrosum fuit, premerent terram digitis, ut ex ea sanguinis guttas elicerent ac lingerent.

93. Vascones, ut ferunt, hunc in morem carnibus humanis vitam aliquamdiu conservarunt : sed quanta inter hos et Ægyptos status dissimilitudo ! Eo quippe adacti fuere Vascones per acerbitatem quamdam et inclementiam Fortunæ, per militiæ summa infortunia, per ærumnas ultimas, et diuturnæ obsidionis sævam inopiam. Illud cibi ac victus exemplum de quo loquor misericordiam et veniam invenire debet, quemadmodum scilicet post absumptas omnes herbas et animalia, et quidquid edendum objiciebat famis quædam rabies, ipsi pallore, macie, membris inedia attenuatis, hostium ipsorum miserationem moventes, alienis artubus vescebantur, et

Et sua. Quisnam hominum veniam dare, quisve Deorum
Viribus abnuerit dira atque immania passis,
Et quibus illorum poterant ignoscere manes,
Quorum corporibus vescebantur? Melius nos
Zenonis præcepta monent; nec enim omnia, quædam
Pro vita facienda putat: sed Cantaber unde
Stoicus, antiqui præsertim ætate Metelli?
Nunc totus Graias nostrasque habet orbis Athenas.
Gallia causidicos docuit facunda Britannos:
De conducendo loquitur jam rhetore Thule.
Nobilis ille tamen populus, quem diximus; et par
Virtute atque fide, sed major clade Saguntus
Tale quid excusat. Mæotide sævior ara
Ægyptus: quippe illa nefandi Taurica sacri
Inventrix homines (ut jam, quæ carmina tradunt,
Digna fide credas) tantum immolat, ulterius nil

suos etiam vorare non dubitassent. Quis mortalium aut etiam immortalium, civibus tam fortibus et in tantas conjectis angustias id non ultro ignovisset? Ipsæ mortuorum animæ, quorum cadavera laniabantur, credo illis veniam sponte annuissent. Equidem scio nos melius institutos esse a stoicis philosophis, et eorum principe Zenone, qui tametsi concedat fas esse quædam pro vita conservanda facere, non tamen omnia licere putat. Verum quomodo Stoici esse philosophi potuissent Cantabri, præsertim antiqui Metelli tempore? Nunc orbis totus philosophiæ græcæ pariter et Romanæ præceptis abundat. Eloquentiam a Gallis facundis Angli didicerunt. Thule ipsa cogitat rhetoricæ professores certo pretio conductos apud se arcessere.

113. Vascones igitur, de quibus modo agebam, et Saguntini, similes illis fortitudine et fidelitate in Romanos, licet majori quam Vascones, clade affecti, ejusmodi, quas memoravi, excusationibus uti merito possunt; non item Ægyptii, quorum crudelitas vincit immanitatem incolarum Chersonesi Tauricæ, apud quos Dianæ ara prope Mœotidem paludem visitur. Illi enim cruenti sacrificii inventores (si poetis credimus) homines immolant duntaxat; non iis vescuntur, neque metuunt victimæ infelices ne post obitum funestius

Aut gravius cultro timet hostia: qui modo casus
Impulit hos? quæ tanta fames infestaque vallo
Arma coegerunt, tam detestabile monstrum
Audere? anne aliam, terra Memphitide sicca,
Invidiam facerent nolenti surgere Nilo?
Qua nec terribiles Cimbri, nec Britones umquam,
Sauromatæve truces, aut immanes Agathyrsi,
Hac sævit rabie imbelle et inutile vulgus,
Parvula fictilibus solitum dare vela phaselis,
Et brevibus pictæ remis incumbere testæ.
Nec pœnam sceleri invenies, nec digna parabis
Supplicia his populis, in quorum mente pares sunt
Et similes ira atque fames. Mollissima corda
Humano generi dare se Natura fatetur,
Quæ lacrimas dedit: hæc nostri pars optima sensus.
Plorare ergo jubet casum lugentis amici,
Squaloremque rei, pupillum ad jura vocantem

aliquid sacrificulorum cultris patiantur. At Ægyptiis quid infortunii tandem fuit, cur tam immane facinus admittere auderent? An diuturna et atrox fames? an exercitus hostium, vallo et armis urbem obsidentium? Si Nilus nollet exundare in agros et effundi pro more, ita ut sicca et infecunda Ægyptus foret, an poterant eum odiosum et invisum magis reddere, quam si diceretur Ægyptios præ fame coegisse ad humanas carnes vorandas? Itane vero imbellis et inutilis plebecula, quæ navigare solet in cymbis ex argilla confectis, easque variis coloribus pictas exiguis remis velisque dirigere, tantam exprompsit rabiem, quanta neque Cimbri, neque Britones, neque Sarmatæ aut Agathyrsi sævire, omnes crudelissimi, aliquando comperti sunt?

129. Nullum supplicii genus inveniri, nec pœna potest parari digna sceleribus populorum istorum, qui per iram ea committunt quæ per famem cæteri: mores benignos et humanos a natura ingeneratos fuisse mortalibus, vel inde constat, quod nos proclives finxit ad lacrimas. Hæc pars humanæ indolis, hæc alienæ calamitatis commiseratio, omnium animi affectionum optima est. Docet nos igitur natura ingemiscere, quum aliquis amicus accusatur, et caussam apud

Circumscriptorem, cujus manantia fletu
Ora puellares faciunt incerta capilli.
Naturæ imperio gemimus, quum funus adultæ
Virginis occurrit, vel terra clauditur infans
Et minor igne rogi: quis enim bonus et face dignus
Arcana, qualem Cereris vult esse sacerdos,
Ulla aliena sibi credat mala? separat hoc nos
A grege mutorum: atque ideo venerabile soli
Sortiti ingenium, divinorumque capaces,
Atque exercendis capiendisque artibus apti
Sensum a cælesti demissum traximus arce,
Cujus egent prona et terram spectantia. Mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque, mutuus ut nos
Affectus petere auxilium et præstare juberet,
Dispersos trahere in populum, migrare vetusto
De nemore et proavis habitatas linquere silvas;

judices sordidatus agit: docet deflere calamitatem pupilli vocantis in jus perfidum tutorem, cujus faciem lacrymis madentem crines longius, ut puellæ gerunt, promissi perturbant, ita ut eum non facile agnoscas. Facit eadem naturæ vis, ut in fletum prorumpamus, quum virginem immatura morte raptam deferri videmus ad rogum, quum infantem terra sepeliri, qui minor est, quam ut rogo imponatur et cremetur. Quis enim vir probus, ac dignus qui tædam gestet in Cereris sacris secretis, qualem initiandum vult Cereris sacerdos, quis, inquam, vir probus humanam calamitatem ullam non putat ad se aliquo modo pertinere? Hoc discrepamus a muto animalium grege. Et vero soli mentem numinis beneficio consequuti sumus præclaram, admirabilem, et rebus divinis capiendis non minus, quam excogitandis poliendisque artibus idoneam. Hanc ab ipso cælo ductam hausimus, dum brutis animantibus in humum pronis negatur, quibus nimirum orbis primordio a Creatore mundi sola data est anima sentiendi et vegetandi vim habens, nobis animus etiam intelligentiæ rationisque capax, ut mutua incitati benevolentia opem et operam ab aliis flagitaremus, eamdemque illis navaremus; ut dissipati antea, in civitates colligeremur, et silvis,

Ædificare domos, Laribus conjungere nostris
Tectum aliud, tutos vicino limine somnos
Ut collata daret fiducia; protegere armis
Lapsum, aut ingenti nutantem vulnere civem,
Communi dare signa tuba, defendier îsdem
Turribus, atque una portarum clave teneri.
Sed jam serpentum major concordia : parcit
Cognatis maculis similis fera : quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore umquam
Exspiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam; sævis inter se convenit ursis.
Ast homini ferrum letale incude nefanda
Produxisse parum est; quum rastra et sarcula tantum
Adsueti coquere, et marris ac vomere lassi
Nescierint primi gladios extundere fabri.
Adspicimus populos, quorum non sufficit iræ
Occidisse aliquem; sed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus esse cibi : quid diceret ergo,

quas nostri majores incolebant, relictis, domos condere, alias aliis adnectere, et ita majori securitate somnum capere, propter mutuam ædium nostris conjunctarum fidentiam, possemus : ut civem quemlibet, aut prostratum, aut præ grandi vulnere titubantem protegere, bellum conjunctis viribus et buccinis inferre, iisdem mœnibus ac propugnaculis hostem arcere, et ejusdem civitatis clausa porta contineri.

159. Nunc major inter angues, quam inter homines consensio est. Feræ non sæviunt in feras eadem pelle contectas. Quandonam leoni leo robustior vitam eripuit? Qua in silva grandior aper aprum dentibus laceravit? Tigris Indica cum aliis tigridibus etsi furibunda pacem colit : inter ursos concordia viget. Hominum vero crudelitas non satis habet ferrum in enses nefandas fabricasse, quum primi fabri ferrarii gladios coquere ignorarent, ac rustica tantum instrumenta, rastra, sarculos, marras et vomeres producerent. Sed videmus etiam gentes integras, quibus ira succensis tam parum sit homines mactasse, ut eorum membra, vultum et

Vel quo non fugeret, si nunc hæc monstra videret
Pythagoras, cunctis animalibus abstinuit qui
Tamquam homine, et ventri indulsit non omne legumen?

pectus in vicem alimentorum vorare sustineant. Quas igitur in voces non erumperet, quo se non abderet, si hæc portenta cerneret, Pythagoras? qui carnibus animalium vesci non magis quam hominum ipsorum, timuit; immo etiam qui omnibus oleribus promiscue uti stomacho non permisit.

VARIÆ LECTIONES

ET NOTÆ

IN SATIRAM DECIMAM QUINTAM.

Nor. 1. *Volusius Bithynicus*, e Bithynia oriundus, amicus Juvenalis, nobis ignotus. Alius *Volusius*, malus poeta, notus ex Catulli carm. XXXVI, ubi vid. Doering. Alii quoque memorantur, Tac. Ann. XIII, 30, et XIV, 56 (ad quæ loca vid. Lips.); III, 30, et XIII, 25, XIV, 46. Nostrum fuisse eum, ad quem Plutarch. libellum scripserit πρὸς Βιθυνικὸν περὶ φιλίας (vid. Suid.), suspicabatur C. Vales. — *Quis nescit, qualia demens Ægyptus portenta colat;* minus acerbe Cic. Tusc. Qu. V, 27: « Ægyptiorum, inquit, morem quis ignorat? quorum imbutæ mentes pravitatis erroribus quamvis carnificinam prius subierint, quam ibim, aut aspidem, aut felem, aut canem, aut crocodilum, violent; quorum etiam si imprudentes quidpiam fecerint, pœnam nullam recusent. » Eumdem Ægyptiorum morem cultumque animalium, anguillæ, bovis, suum, canis, felis, muris et ibis, asperioribus facetiis perstrinxere Antiphanes, Anaxandrides et Timocles, quorum versus nobis servavit Athenæus, VII, 13, pag. 300 (VII, 55; tom. III, pag. 94, 95, ed. Schweigh.). — Vim Juvenalis satiricam feliciter æmulatus est *Boileau*, Sat. VIII, vs. 267:

« .... Cent fois la bête a vu l'homme hypocondre
« Adorer le métal que lui-même il fit fondre;
« A vu dans un pays les timides mortels
« Trembler aux pieds d'un singe assis sur leurs autels;
« Et sur les bords du Nil les peuples imbéciles,
« L'encensoir à la main, chercher les crocodiles. » Ed.

Nor. 2. *Portenta*, quæ *omnigenum Deûm monstra* dixit Virg. Æneid. VIII, 698. *Portentificas animalium figuras*, Lactant. de Orig. erroris, II, 14. — *Horrificos quos prodigialia cogunt Credere monstra Deos*, Prudent. contra Symm. I. *Ægyptia illa, non numina, sed portenta* Minuc. Octav. pag. 236. Conf. Lucian. de Sacrific. c. 14, 15, ubi hæc portenta deorum ridet: ἢν δ' ἐς τὴν Αἴγυπτον ἔλθῃς, τότε δὴ, τότε ὄψει πολλὰ τὰ σεμνὰ καὶ ὡς ἀληθῶς ἄξια τοῦ οὐρανοῦ· κριοπρόσωπον μὲν τὸν Δία, κυνοπρόσωπον δὲ τὸν βέλτιστον Ἑρμῆν, καὶ τὸν Πᾶνα ὅλον τράγον, καὶ ἶβιν τινὰ καὶ κροκόδειλον ἕτερον, καὶ πίθηκον, etc. Eadem vero portenta etiam India coluit: neque *dementior*

Ægypti, quam Græciæ et Romæ, religio fuit ob cultum [1] animalium. Ipsa quoque Roma Ægyptiorum sacra adscivit: quod notat Lucan. VIII, 832 seq. Quædam autem animalia ab omnibus colebantur Ægyptiis, e terrestribus bos, feles, canis; ex aquatilibus lepidotus, lutra, anguilla, etc.; e volatilibus accipiter, etc.: alia a quibusdam populis, ut ovis a Saitis et Thebanis, capra et hircus a Mendesiis, aquila a Thebanis, lupus a Lycopolitanis, hippopotamus a Papremitis, etc. [2] Hæc religionis diversitas sæpe odium, rixas, cædes ac bella peperit; [3] quale fuit odium, idque vetus et immortale, ac bellum inter *Tentyritas* atque *Coptitas* ortum, quod infra vs. 33 seq. describitur. Simile bellum sua ætate exstitisse memorat Plut. de Is. et Osir. Opp. tom. II, pag. 380. Οἱ Ὀξυρυγχῖται καθ' ἡμᾶς, τῶν Κυνοπολιτῶν τὸν ὀξύρυγχον ἰχθὺν ἐσθιόντων, κύνας συλλαβόντες καὶ θύσαντες, ὡς ἱερεῖον κατέφαγον. Ἐκ δὲ τούτου καταστάντες εἰς πόλεμον, ἀλλήλους διέθηκαν κακῶς, καὶ ὕστερον ὑπὸ Ῥωμαίων κολαζόμενοι διετέθησαν. Romanis quoque ipsis aliquando, simili de caussa, adversus Ægyptios arma fuisse capienda, docet Ælianus Hist. Anim. XI, 26. Conf. Pierius Hierogliph. XXXI extr. Idem Plutarchus loc. cit. et Diodor. II, 4, tradunt, priscos reges, rebellante frequenter populo, Ægyptum divisisse in varias partes singulisque edixisse, quæ separatim colerent animalia, ut inter se dissidentes non in Principes conspirarent. — *Crocodilos adorat*, quia et Ægyptum securum præstant ab Arabiæ Libyæque latronibus, qui metu horum animalium perterriti, Nilum trajicere non conantur, et Menam regem ab impetu et furore canum defendisse dicuntur; quas rationes affert Diodor. II, 4. *Crocodilon adorat pars hæc Ægypti*, etc. Τοῖσι μὲν δὴ τῶν Αἰγυπτίων ἱροί εἰσι οἱ κροκόδειλοι, τοῖσι δ' οὔ, ἀλλ' ἅτε πολεμίους περιέπουσι. οἱ δὲ περί τε Θήβας (ut Ombitæ in nomo Thebano) καὶ τὴν Μοίριος λίμνην οἰκέοντες καὶ κάρτα ἥγηνται αὐτοὺς εἶναι ἱρούς..... οἱ δὲ περὶ Ἐλεφαντίνην πόλιν οἰκέοντες καὶ ἐσθίουσι αὐτούς, οὐκ ἡγεόμενοι ἱροὺς εἶναι, Herodot. II, 69. « Gens hominum est huic belluæ adversa in ipso Nilo Tentyritæ ab insula, in qua habitat, appellata. Mensura eorum parva, sed præsentia animi

---

[1] De religione Ægyptiorum ejusque ritibus vid. *Creuzer's Symbolik*, t. I, pag. 248—322, 357 seq.; tom. II, pag. 145, 338; tom. III, pag. 77 seq. — Vid. ad Tibull. nostræ edit. Exc. I, Ed.—De cultu illo animalium ejusque caussis vid. Lucian. de Astrolog. c. 5—7; Cic. Nat. Deor. I, 36; Diod. II, 4; Strab. XVII; Herod. II, 65—76; *Jablonski* Panth. Ægypt. IV, 4, tom. II, pag. 260 et Proleg. pag. 19—23, et 83—87 (ubi monet, animalia, tam viva quam inanimata, deorum tantum symbola fuisse); *Meiners vermischte Schriften*, tom. I, pag. 204—224; ejusdem *Grundriss der Gesch. aller Relig.* pag. 32 seq. edit. sec. *Baumgärtners Gesch. der vier ältesten Goth. des Orients*, pag. XXIV seq. *Heeren's Ideen über die Politik und den Handel der alten Völker*, tom. II, part. I, pag. 635 seq.

[2] Vid. Diod. II, 4; Strab. XVII; et Herod. II, 65.

[3] Vid. Dio Cass. XLII, 34, et Athan. in libro contra Gentes.

in hoc tantum usu (*forte* tanto ausu) mira. Terribilis hæc contra fugientes bellua est, fugax contra insequentes : sed adversum ire soli hi audent. Quin etiam flumini innatant; dorsoque equitantium modo impositi, hiantibus resupino capite ad morsum, addita in os clava, dextra ac læva tenentes extrema ejus utrimque, ut frenis in terram agunt captivos. ac voce etiam sola territos, cogunt evomere recentia corpora ad sepulturam. Itaque uni ei insulæ crocodili non adnatant; olfactuque ejus generis hominum, ut Psyllorum serpentes, fugantur. » Ita Plin. VIII, 25, seu 38.[1] — *Coptitæ* contra (vid. Ælian. Hist. Anim. X, 24) et *Ombitæ* (vid. Ælian. X, 21), et Arsinoitæ (vid. Strab. XVII, pag. 558), aliique crocodilos religiosis colebant ritibus, et parentes non modo patienter ferebant liberos suos ab illis raptos devorari, sed honori quoque id sibi ducebant superque ea re lætabantur.[2] Hinc bellum inter *Tentyritas* et *Coptitas* ortum videtur, quod describitur infra vs. 33 seq. Ab illis præterea accipitrem cultum, ab his vero in eorum odium crucifixum esse, tradit Ælianus. Ex his vero, quæ modo dixi, intelligitur, non opus esse crocodilorum cultum referre ad unam tantum eorum speciem, quæ parva ac terrestris sit, nec hominem lædat, quæque σοῦχος seu σοῦχις dicta et in antris puteisque, ut mansuescerent, a Diospolitis educata sit.[3]

VARIÆ LECTIONES. 3. *Ibim*, 45, 49, 60, 64.

NOT. 3. *Illa*, alia pars, adeoque non tota Ægyptus, quod alii memorant. *Pavet*, religiose colit : nam religio sæpe dicitur *pavor, metus, timor, formido, horror*, δεισιδαιμονία, *Gottesfurcht*; gallice, *la crainte de Dieu*, etc. quoniam ferarum gentium religio metu magis, quam amore divini numinis continetur. — *Ibis* (Tantalus Linn.) avis ciconiæ fere similis et utilissima Ægyptiis, quia ranas, serpentes, bruchos, locustas aliaque insecta et amphibia innumera, quibus Ægyptus, post inundationem potissimum Nili, infestatur, devorat ac delet; unde h. l. *satura serpentibus* dicitur. « Ibes maximam vim serpentium conficiunt, quum sint aves excelsæ, cruribus rigidis, corneo proceroque rostro : avertunt pestem ab Ægypto, quum volucres angues ex vastitate Libyæ vento Africo invectas interficiunt atque consumunt; ex quo fit, ut illæ nec morsu vivæ noceant, nec odore mortuæ, » Cic. Nat. Deor. I, 36.[4] Ibes crocodilis

[1] Conf. ejusdem XXVIII, 3, seu 6; Steph. Byz. v. Τεντυρίς ibique intpp. Sen. Nat. Quæst. IV, 2; Ælian. Hist. An. X, 21 et 24; Strab. l. XVII.

[2] Vid. Ælian. ll. ll. et Maximi Tyrii Dissert. XXXIX, pag. 456.

[3] De qua vid. Strab. XVII, p. 558; Steph. Byzant. v. Διὸς πόλις; Spanhem. de usu et præst. num. Diss. III, p. 149, 160, edit. secund. *Jablonski* Panth. Ægypt. V, 2, tom. III, pag. 70, 71.

[4] Conf. Diodor. II, 4; Mela, III, 8; Plin. X, 28 seu 40; Salmas. ad Solin. c. 34; Herodot. II, 75, 76; *Jablonski* Panth. Ægypt. V, 5, tom. III, pag. 161 seq. *Blumenbach in Philosophical Transactions*, ann. 1794; Larcher. ad Herod. tom. II, pag. 325—330; Böttigeri Sabina, p. XVII, edit. prim.

etiam inimicas esse et, si pennæ earum crocodilis admoveantur, hos protenus obtorpescere, tradit Ælian. de Anim. X, 21, et 24.

Not. 4. *Cercopithecus* simia caudata (*Meerkatze*), a κέρκος, *cauda*, et πίθηκος, *simia*, sic dicta, nigro capite et pilo asinino (Plin. VIII, 21, seu 30), quam vel Thebis, vel in aliis Ægypti oppidis cultam esse, non aliunde, quod sciam, constat. Juxta Nilum tamen scribit Solinus multos simios nasci, et cercopithecos adorari in Arabia ad [1] Memnonium; *Brit.*

Var. 5. *Memnone*, 21—23, 65. Ita ubivis scribendum putabat Harduin. ad Plin. VI, 30, seu 35; X, 26, seu 37; XXXVI, 7, seu 11.

Not. 5. Designantur Thebæ Ægyptiæ, ubi in templo Serapidis colossus fuit, vel saxea *Memnonis effigies* (e nigro marmore et forma hominis sedentis), quæ, solis orientis percussa radiis, sonum citharæ similem edidisse dicitur, et adhuc exstat. [2] Qui miraculum rei augent, sonum illum, quarto adhuc sæculo post Christ. nat. auditum, dicunt oriente sole lætum, occidente lugubrem fuisse, vel adeo vocem hominis, et quidem canentis vel clamantis vel querentis. — *Memnon* autem Ægyptius solis orientis symbolum fuit, et nomen ejus corruptum traductumque ad res quoque Trojanas ingenio poetarum, qui eum Tithoni et Auroræ filium fecere. [3] — *Chordæ magicæ*, hoc est, statua, quæ magica arte sonum vocalem, instar chordarum citharæ, edere credebatur. Τὸ ἄγαλμα κάθηταί τε καὶ ἀνά πᾶσαν ἡμέραν ἀνίσχοντος ἡλίου βοᾷ, καὶ τὸν ἦχον μάλιστα εἰκάσει τις κιθάρας ἢ λύρας ῥαγείσης χορδῆς, Pausan. I, 42. — *Memnone dimidio*, hoc est, in statua, quæ non integra est, sed dimidiata (vid. ad III, 219); quod terræ motui tribuit Strabo l. c. sed Cambysi Pausan. l. l. et vetus Schol. cujus glossa est hæc: « Memnonis ex ære statua, citharam tenens, certis horis canebat. Hanc Cambyses rex jussit aperiri, existimans mechanicum aliquod esse, quod intra statuam lateret: nihilominus tamen

[1] Grangæus *cercopithecum* putat h. loc. cynocephalum dici, quod is ejusdem prope formæ ac figuræ sit idemque Ægyptiis sacerrimum animal, teste Jo. Pierio Hieroglyph. lib. VI.

[2] Vid. Philostr. in Heroic. c. 4; in Icon. I, 7, et in Vita Apollon. VI, 3 et 4; Callistrat. Stat. I, pag. 891; IX, pag. 901; Tzetz. Chil. VI, Hist. 64; Plin. XXXVI, 7 seu 11; Tacit. Ann. II, 61; Luciani Toxaris c. 27; inpr. Strab. XVII, p. 818, al. 1170, 1171; Pausan. I, 42; Pocockii *Description of the East*, tom. I, pag. 101, 102, tab. 26, 27; ejusd. Inscript. antt. cap. 9; *Jablonski* de Memnone, pag. 58 et 83—117, et qui post illos verum fabulosæ narrationis sensum enucleare conati sunt, de *Veltheim Von der Memnons-Säule*, *Dornedden* in libro, cui titulus est: Phamenophis Goett. 1797, et *Langlès* in nova editione Itinerar. Nordeni: *Voyage d'Égypte et de Nubie*, Paris. 1795, tom. II, pag. 159 seq. et *Creuzer's Symbolik*, tom. I, pag. 307, et tom. IV, pag. 429.

[3] Vid. *Jablonski* loc. laud. et Heyn. Excurs. XIX, et XXVI, ad Virg. Æn. I (edit. nost. vol. II, p. 283—213. Ed.), et not. ad Apollod. III, 12, 14.

aperta statua, quæ erat magice consecrata, horis statutis sonum reddidit. Ideo *dimidio* dixit, id est aperto et diviso.» Schol. nondum editus, quem Douza ad Catull. laudavit: «Statua, inquit, Memnonis filii Auroræ ita arte quadam mechanica composita, ut humana voce Regem et Solem salutaret. Postea rex Cambyses volens hanc rem cognoscere, partem statuæ abscidit, et sic postea Solem tantum, non etiam Regem salutabat: unde *dimidio Memnone* dixit.»

Not. 6. *Thebe*, Θήβη, Διὸς πόλις, vulgo *Thebæ*, et quidem non Bœotiæ vel aliarum regionum urbs sic dicta (vid. ad XIII, 27), sed antiquissima hujus nominis urbs Ægypti, unde hoc loco *vetus*. Cf. Diodor. II, 1. Θῆβαι Αἰγύπτιαι ἑκατόμπυλοι. Hom. Il. IX, 383. — *portis centum*, hoc est multis, ut ἑκατόμπολις Κρήτη et al. Cf. Koeppen. ad Hom. loc. cit., et Diodor. I, 45. qui tamen lib. II. c. 1. *portas centum* dixit quorumdam sententia totidem esse templorum januas. Alii tot aulas vel domos principum innui existimant; vid. Mela I, 9. — *Jacet obruta*, ruderibus seu ruinis; diruta a Cambyse; vid. Plin. XXXVI, 9 seu 14, 2; Diodor. II, 1 (qui et regiam sedem inde Memphin tradit translatam esse). Bochart. Geogr. sacr. p. m. 314 seq., et de *veterum Thebarum magnis vestigiis.*, Tac. Ann. II, 60; Strab. XVII, pag. 816; et Itineraria Pauli Lucæ, Pocockii, Savarii et inp. Nordeni (*Drawings of ruins and statues at Thebes*, Lond. 1741. 4.) — Adeas inprimis mappam geographicam a viro clar. *Barbié du Bocage* descriptam, et hujus editionis Q. Curtio subjunctam, vol. I, pag. 45. Ed.

Var. 7. *Illic cæruleos*, nec piscem *fluminis*, 23. *Illi cæruleos, hi piscem fluminis, illi*, 4 et 9. *Cæruleum* emend. Nic. Heins. ad Virg. Æneid. III, 329, ad Prop. II, 12, 1, et 23, 101 (al. 32, 45), et ad Claud. laud. Stilic. II, 167, quibus locis docet, literam *m* produci propter hiatum et cæsuram, neglecta ecthlipsi. Conf. supra ad I, 151; II, 26; IX, 118, et XII, 36. Refragatur his Schrader. Emendatt. pag. 136 seq. ubi monet, Grammaticos, præstantiores quidem, nihil ejusmodi tradere, adeoque loca, quibus viri docti se tueantur, aut suspecta esse, aut perspicue mendosa. Meo qualicumque judicio talia si et excusanda, tamen non sine necessitate obtrudenda sunt poetæ, et, quamvis illa emendatio Heinsii arridere possit, ut Juvenalis junxerit duo verba sing. num. *cæruleum*, scil. piscem et *piscem fluminis*, leviori mutatione nitori carminis (si nitor est, nec potius nostra lectio, quæ doctior est, magis placet multis) consuli poterit, si reposueris: *Illic cæruleos, hic pisces fluminis.* Ita sibi respondent *pisces cærulei*, hoc est, maris cærulei seu marini, ac *pisces fluminis*: et nunc video, ita legi in Cod. 15. — *Illic æluros* non male corrig. Brodæus Miscell. VII, 2, probb. Lindenbr. Nonio (de Esu piscium, c. 2), Schurzfl. et Plathnero, quoniam non satis constet, marinos pisces ab Ægyptiis cultos fuisse, et ex ipsorum potius religione Jove nihil dignum in mari gigni posse docuerit Plato, et ex eo Pierius Hieroglyph. lib. XXXI pr. *Felis* contra, quæ Græcis dicitur αἴλουρος (et hinc quoque *ælurus*, Gell. XX, 8, et Hygin. Astronom. II, 28, ubi vid. Muncker.), Bubasti Ægyptiorum, seu Lunæ sacra fuit ejusque

viva quædam imago; vid. Herod. II, 66, 67; Athen. loc. laud. in Comment. ad vs. 1; Plutarch. de Isid. et Osirid. pag. 376; Diodor. I, et II; *Jablonski* Panth. Ægypt. III, 3, § 3 seq. pag. 60, et 66—71. Vulgatam vero lectionem tuentur Grang. et Scaliger. ad Tibull. I, 7, 14, et aptius sibi h. loc. opponuntur *pisces cærulei*, seu maris et *fluminis*. Vellem tamen aliorum scriptorum locis probari posset, cultum piscium marinorum Ægyptiis in usu fuisse. — *Cramer* monet, vetustatem lectionis *cæruleos* testimonio firmari posse Papiæ, apud quem: *cæruleus bestia marina*, plane ut in gl. Vossiani MS. Cod. « *Cæruleus*, bestia marina Juvenali, » notante Fabricio in ora libri sui. *Cerulos* quoque, tanquam proprium nomen piscis, quædam antiqua exemplaria habuisse, alter Papiæ locus probare videtur: « *Ceruli* dicuntur quidam pisces in Ægypto, » quod si aliunde quoque demonstrari posset, non amplius foret ut de lectione dubitaretur. Ed.

Not. 7. *Illic cæruleos*, hoc est, maris *pisces*. *Piscem fluminis*, Nili, v. c. τὸν λεπιδωτὸν, τὴν ἔγχελυν, τὸν ὀξύρυγχον, τὸν λάτον et al. vid. Herodot. II, 72; Strab. XVII, pag. 812; *Jablonski* Panth. Æg. tom. II, pag. 87.

Not. 8. Notatur ridicula religio hominum, qui canes colant, comites Dianæ venatricis, non vero dominam eorum et venationis deam, Dianam. — *Canis* in Ægypto animal sacrum, inpr. Cynopolitis, dedicatumque Anubidi cynocephalo; vide ad VI, 534. Κυνῶν πόλις Αἰγυπτία πόλις, ἐν ᾗ πόλει ὁ Ἄνουβις τιμᾶται, Steph. de Urb.; Lactantius de falsa Sap. V, 20, tradit, canes in tanto apud Ægyptios honore fuisse, ut, si in domo aliqua canis moreretur, omnes in ea toto corpore raderentur, quod maximi fuerit luctus indicium. Verba *nemo Dianam veneratur* pathice magis et ironice, quam vere dicta putant, quod Ægyptii Bubastin coluerint, quæ Ἄρτεμις Græcorum seu Romanorum Diana fuerit. Ita certe Bubastin interpretantur Herodot. II, 156, aliique scriptores veteres, quos laudat *Jablonski* Panth. Ægypt. III, 3, tom. II, pag. 59 seq. Idem tamen vir doctus bene de hoc loc. ibid. pag. 58, ita disputavit: « Potest hic esse verborum illorum sensus, oppida permulta colere *canem*, Anubim videlicet, in quibus tamen nullus Bubasti vel *Dianæ* cultus offerretur. Aut potuit poeta id intelligere de *Diana* Græcorum et Romanorum, montium nemorumque custode et venatorum præside, quam sane in *Bubasti* sua (symbolo novilunii) Ægyptii non venerabantur. Forte etiam tempore illo, quo scribebat Juvenalis, sacra Bubastia, olim Ægyptiis sacro sancta summaque solennitate ac lætitia celebrata, a pristino splendore magnopere desciverant neglectaque jacebant. Neque etiam scriptor aliquis ætate illa junior nunc mihi succurrit, qui de sacris illius Deæ, ceu suo etiamnum ævo celebratis, loquatur. Non mediocriter suspicionem hanc auget Strabo XVII, pag. 353, ubi loquens de urbe Bubasto solum ejus nomen commemorat, templi vero ibidem visendi sumptuosi et vere admirandi mentionem plane nullam injicit. »

Var. 9. *Ac frangere*, 10, 12, 16—20, 22—25, 45—50, 54—69, 71—74, 77.

Not. 9. Non animalia tantum sacra erant Ægyptiis, sed arbores etiam et plantæ, *porrum*, *cæpa*, allium, lens, faba, etc. Conf. Diodor. II, 4; Plin. XIX, 6 seu 32 (*Allium cæpasque inter Deos in jurejurando habet Ægyptus*); ibique Hard. Neque tamen, quod poeta hoc loco ridet, has plantas in deos retulisse divinumque iis cultum tribuisse videntur Ægyptii; quod nec Plinium loc. laud. sibi persuasisse crediderim, cujus verba etiam hoc sensu accipi possunt: Ægytii non modo per deos jurant, sed per allium quoque et cæpas. Id forte eamdem ob caussam fecerunt, ob quam Rhadamanthus jussisse dicitur, per anserem vel canem vel arietem, platanum aliave hujus generis jurare; ut scilicet nemo temere nomine divino ad res quascumque abuteretur. [1] Ægyptii plantas, supra memoratas, valetudini forte noxias esse putarunt (conf. Diodor. loc. cit.), et sacras hinc fecerunt, ut nemo eas ederet; vel alias ob caussas iis abstinuerunt. Cur nefas duxerint *cæpas* edere, docent Plut. de Is. et Osir. Opp. tom. II, pag. 353. E. F. (Οἱ δὲ ἱερεῖς ἀφοσιοῦνται καὶ δυσχεραίνουσι καὶ τὸ κρόμμυον παραφυλάττοντες, ὅτι τῆς σελήνης φθινούσης μόνον, εὐτροφεῖν τοῦτο καὶ τεθηλέναι πέφυκεν. Ἔστι δὲ πρόσφορον οὔτε ἁγνεύουσιν οὔτε ἑορτάζουσι, τοῖς μὲν, ὅτι διψῆν, τοῖς δὲ, ὅτι δακρύειν ποιεῖ τοὺς προσφερομένους.) et ex eo Gell. XX, 7, al. 8.

Not. 10. Salsa, sed injusta, opinor, irrisio ridiculæ superstitionis.— *O sanctas*, religiosas, *gentes*, σαρκαστικῶς, ut *o sancta simplicitas!*—Eadem expressit nostras *Boileau* in Sat. XII, non adeo feliciter cæteris adjecta, quamvis ibi quoque veteris athletæ vires interdum appareant. Sic ille:

«On vit le peuple fou, qui du Nil boit les eaux,
«Adorer les serpens, les poissons, les oiseaux;
«Aux chiens, aux chats, aux boucs, offrir des sacrifices,
«Conjurer l'ail, l'ognon, d'être à ses vœux propices,
«Et croire follement maîtres de ses destins
«Ces dieux nés du fumier porté dans ses jardins.» Ed.

Not. 11. *Lanatis animalibus abstinet omnis mensa*, hoc est, ovium esu abstinet omnis Ægyptus, et quidem, si Diodor. II, 4, fides habenda, quoniam bis edunt fetus et lac, caseum lanamque hominibus præbent, adeoque propter summam utilitatem; vel propter primum signum Zodiaci, ovis vel arietis, quem sol ingreditur, figura expressum; unde etiam Saitis ac Thebæis aries vel ovis sacra erat et in templo Jovis Thebæi seu *Amun*, tanquam viva Ammonis imago, nutriebatur, de quo vid. Herodot. II, 42; Strab. XVII, pag. 559; Lucian. de Astrolog. c. 7; *Jablonski* Panth. Æg. I, 3, et II, 2, tom. I, pag. 74, 75 et 161—173.

Var. 12. *Fœtum violare*, 45.

Not. 12. Capra et potissimum caper, seu hircus, animal sacrum

---

[1] Vid. Eustath. ad Hom. Odyss. ύ, p. 1871, ed. Rom. *Jablonski* Panth. Ægyp. V, tom. III, pag. 8, 9, et Harduin. loc. cit.

Ægyptiis, præcipue Mendesiis, quorum sanctissimus deus fuit Mendes, symbolum vis sativæ ac genitivæ, quæ in natura inest, vel fecunditatis fertilitatisque, qua mundus noster conservatur; unde hircus, tanquam viva Mendetis imago, colebatur in magnifico templo, quod in honorem Mendetis exstructum erat in metropoli Mendesiorum Thmui, quæ etiam a numine tutelari Mendes dicebatur. Conf. Herodot. II, 46 (qui hircum quoque in Ægyptiorum lingua Μένδην appellari tradit); Suidas, voc. Μένδην; Bochart. Hieroz. part. I, lib. II, c. 43; et *Jablonski* Panth. Æg. II, 7, tom. I, pag. 272 — 289. Μενδήσιοι τὸν Πᾶνα τιμῶσι καὶ τὸν τράγον, Steph.

Not. 13. Nefas in Ægypto animalibus, sed fas *humanis carnibus vesci!* Hinc omnis et justa poetæ indignatio, quam per totam effudit satiram et quæ ad hanc scribendam eum impulit. Conf. Diodorum, II, 4, qui tradit, fame olim Ægyptios premente, multos fuisse, qui humanam ederent carnem et ab animalibus sacris abstinerent. Neque tamen omnes Ægyptii nefas duxerunt quibuscumque animalibus vesci, sed alia gens aliis iisque sacris et quæ vivæ Deorum imagines essent. Illa quoque dementia immanisque crudelitas, cujus insigne exemplum inf. vs. 33 seq. commemoratur, non omnibus Ægyptiis exprobrari protest: et minus mira videri debet, quoniam ex religione profecta est. Ab hominibus enim, quorum mentes superstitione aut perversis de Diis rebusque divinis opinionibus imbutæ sint, inhumanitate ac sævitia omnem superari posse barbariam, historia medii, quod dicitur, et vel nostri ævi docet. Conf. Lessingii Nathan.

Anal. 13—32. Quæ Ulysses *Alcinoo*, Phæacum regi, a quo exceptus erat hospitio (Hom. Odyss. VI—XIII), *super cœnam*, h. e. inter cœnam, seu cœnandum, narravit de inhumanitate et ἀνθρωποφαγίᾳ *Cyclopum*, inpr. Polyphemi, et *Læstrygonum*, ferarum Siciliæ et Italiæ gentium (Hom. Odyss. IX, 106—125, 180—542, et X, 80—132), etsi fabulosa videbantur ipsis Phæacibus, tamen minus atrocia sunt, quam quæ his temporibus in Ægypto contigerunt quæque de Tentyræis referam. Ægyptii, sapientiæ fama olim clarissimi, barbaris comparantur populis: quæ tamen comparatio proprie non nisi ad Tentyræos et crudelitatem, ex religione natam, spectat.

Not. 13 seq. Conf. Lucian. ver. hist. I, 3. Ἀρχηγὸς δὲ αὐτοῖς (Ctesiæ et Iambulo, qui fabulose multa narrarunt) καὶ διδάσκαλος τῆς τοιαύτης βωμολοχίας ὁ τοῦ Ὁμήρου Ὀδυσσεύς, τοῖς περὶ τὸν Ἀλκίνοον διηγούμενος ἀνέμων τε δουλείαν καὶ μονοφθάλμους καὶ ὠμοφάγους καὶ ἀγρίους τινὰς ἀνθρώπους, ἔτι δὲ πολυκέφαλα ζῶα καὶ τὰς ὑπὸ φαρμάκων τῶν ἑταίρων μεταβολάς, οἷα πολλὰ ἐκεῖνος πρὸς ἰδιώτας τοὺς Φαίακας ἐτερατεύσατο. — *Attonito* novitate et miraculo rerum, quas Ulysses narrabat. — *Tale facinus*, scil. ἀνθρωποφαγίαν Polyphemi et Antiphatis.

Var. 14. *Narravit*, 22. — *Ulixes* recepi ex 17, 19, 20, 58. *Ulyxes*, 23, 46, 47. Vulgo *Ulysses*. Cf. ad IX, 65, et XI, 31.—Var. 15. *Atque* pro *aut*, 16.

. Not. 15. *Bilem*, iram et indignationem. — *Quibusdam* convivis, Phæacibus discumbentibus.

Var. 16. *Moveat*, 62, 68, 71, 73.

Not. 16. *Aretalogus*, qui de virtute sua (ἀρετῇ) rebusque a se gestis multa prædicat, qualis fuit miles ille gloriosus Plauti.[1]

Anal. 16—23. Verba cujusdam e Phæacibus accumbentibus, fabulosa hæc audientis; quod ex vs. 24, intelligitur. Egregie autem augetur miraculum rei eo, quod vel rudi feroque populo Ulysses mendax videtur aretalogus; sed, quod facete poeta vs. 24, 25, addit, iis tantum convivis Alcinoi, qui *nondum ebrii* erant. Ipsa quoque Phæacis hujus oratio festiva ac præclara.

Var. 17. *Scylla* pro *sæva* conjicit Schrader.

Anal. 17—22. Memorantur fabulosa, quæ Ulysses Alcinoo narravit de Charybdi, Læstrygonibus, Cyclopibus, Scylla, Symplegadibus, utribus Æoli et Circe.

Not. 17. *Charybdis* propr. vehementior fluxus undarum, quæ a septemtrione in Austrum, acrioribus potissimum ventis australibus, qui eas repellunt, ad scopulum, ex adverso Scyllæ positum, alliduntur.[2] — *Vera Charybdi*, non fabulosa, qualem adumbravit Ulysses ap. Homer. loc. laud. — *Abicit* ἀρχαϊκῶς et metri caussa dictum pro *abjicit*, ut passim omnia ex *jacio* composita, *subicere*, *inicere*, *adicere*, *proicere*, *conicere*, *obicere*, unde *obices* et *subices*.[3]

Var. 18. *Læstrigones*, 13, 16, 24. — *Cyclopes*, 13, 16, 24. *Et Cyclopas*, 10, 11, 17—20, 25, 27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, et XX MSS. Paris. quod arridebat Schurzfl. et Ach. ut exprimeretur res ipsa, grandis scil. Cyclopum vastitas et moles quadrata, versu spondaico durum sonante.

---

[1] Conf. Sueton. Aug. cap. 74, ubi Casaubonus *aretalogos* monet parasitos esse philosophos, qui de virtutibus disputare soliti sint apud mensas divitum: quos *circulatores* vocat Seneca Epist. 29. Sed vid. *Ernesti* ad Sueton. loc. cit. Turneb. Advers. X, 12. *Aretalogus*, inquit, non tam videtur a virtute (ἀρετῇ) dici, quam ab ἀρετὸς, id est, gratus et placens, qui narrationes et fabellas acroamataque auribus auditorum grata loquitur: proinde et nugatores eo etiam nomine et garruli censentur, quum usu veniat persæpe, ut scurræ illi nugentur et garriant. Idem perperam putabat, *aretalogum* hic a Juvenale vocari Ulyssem ex *Arete*, uxore Alcinoi; hujus autem nominis priores syllabæ producuntur.

[2] Conf. Hom. Odyss. XII, 73 seq. 101 seq. 235 seq. Cluver. Sicil. Ant. I, 5; Heyn. ad Virg. Æneid. III, 240 seq. et Herrmanni Mytholog. tom. I, pag. 374.

[3] Vid. Intpp. l. class. Gell. IV, 17; Spalding. ad Quint. I, 4, 11; Broeck. et Heyn. ad Tibull. I, 8 (9), 54; Munker. ad Fulgent. II, 4; III, 6; Duker. ad Flor. I, 10, 5.

Not. 18. *Læstrygones*, ferus populus, cujus reges Lamus et Antiphates fuere ac prisca sedes Formiæ, opp. Latii in finibus Campaniæ (hod. *Mola, in Terra di Lavoro*), prope Caietam (nunc *Gaeta*) in intimo sinus Caietani seu Formiani recessu.[1] — *Cyclopes* fera Siciliæ gens, quæ, æque ac Læstrygones, carne humana vesci solebat. [2] — Notissimus eorum Polyphemus, qui Ulyssis socios devorasse dicitur. Conf. ad IX, 64, 65.

Var. 19. *Procurrentia saxa* conj. quidam male; vid. Heins. ad Ovid. Met. VII, 62.

Not. 19. *Scylla* rupes ad litus Italiæ, versus Scyllæum opp., cui humana forte olim forma fuit. [3] — *Citius Scyllam crediderim*, etc. vid. ad X, 220. — *Saxa Cyaneæ*, Κυάνεαι scil. πέτραι, petræ seu cautes, duæ insulæ vel potius cautes sub ingressum Ponti Euxini seu Bospori Thracii, a cæruleo vel maris colore sic appellatæ (vid. Schol. Apollon. ad lib. II, 318), quæ olim non sine periculo transeuntium inter se *concurrisse* feruntur (unde et Πλαγκταὶ, vagæ, errantes, Συμπληγάδες et Συνδρομάδες dictæ), sed Argonautis transgressis immobiles stetisse (Apollon. II, 309 seq. 551—610). Fabulosa narratio de concursu earum inde orta, quod tam parvo (XX stadiorum) discretæ erant intervallo, ut, potissimum iis, qui eminus eas conspicerent, concurrere quasi inter se aut collidi viderentur (vid. Strab. III, pag. 149, et VII, pag. 319), vel ut ex adverso intrantibus geminæ cernerentur paulumque deflexa acie coeuntium speciem præberent (ita Plin. IV, 13, seu 27); vel denique, quod situs earum sub navigationis per Pontum Euxinum initia incertus habebatur, ita ut errare per mare crederentur (quæ est sententia Heynii ad Apollod. I, 9, 22). Ita etiam Argonautarum navigatione immobiles aut stabiles factæ perhibentur propterea, quod illa verus earum situs veraque indoles innotuit, et transituris postea metus periculi ademtus est. « Hodie illas vulgus vocat *Pavonare:* Thevetus etiam testatur, eas Barbaris dici *Iarcazes*, » Grang. Vetus Schol. (nam reliqui interpretes id tacitum relinquunt) quærit h. l. «numquid et ab hæc saxa Ulyxes accessit?» Sed conf. Hom. Odyss. XII, 55 sq. ubi Cyaneæ petræ seu Πλαγκταὶ non in Euxino, sed Siculo mari collocantur, et Ulysses Alcinoo narrat, Circen suasisse, ut, non per Planctas, sed per Scyllam et Charybdim, ut viam minus periculosam iret. De vocibus *concurrentia saxa Cyaneas* vid. Var. Lect.

Var. 20. *Cyaneas* semper suspicatus sum, et nunc recepi ex 28, ut sit appositio et interpretatio verborum *concurrentia saxa. Cyanes* perperam legitur

---

[1] Vid. Spanhem. ad Callim. H. in Dian. 67; Fazellus Rer. Sicul. I, 2; Mitscherl. ad Horat. Od. III, 16, 34, 17, 1—9; Heyn. ad Tibull. IV, 1, 59, et inpr. Exc. I, ad Virg. Æneid. VII (huj. Ed. vol. III, p. 350. Ed.).

[2] Vid. Plin. VII, 2, et Heyn. ad Virg. Æneid. I, 201, et III, 582 seq.

[3] Conf. Homer. Odyss. XII, 73—100; Cluveri Sicil. Ant. I, 5; Heyn. ad Virg. Æneid. III, 429 seq. et Herrman. Mythol. t. I, p. 373, 374.

in 13, et recentt. editt. Prat., Bipont., al. Vulgo *Cyaneis* : at saxa non concurrunt Cyaneis, sed *Cyaneæ* scil. rupes seu cautes sunt ipsa *saxa concurrentia*; neque probanda est sententia Ach. qui *Cyaneis* putat esse nom. plur. accus. tert. declin. pro *Cyanes*, ut *patreis*, *sorteis*, etc. pro *patres*, *sortes*. Nam *Cyaneis* est nom. adject. (vid. Comm.) et vox quatuor, non trium syllabarum, quarum et secunda et tertia brevis est. *Sicaneis* emend. Schrader. audacter invitaque Minerva, et *saxa Cyanea* Dausqueius ad Sil. XIV, 515, p. 628, contra metri leges et κακαφώνως. — *Plenos vel*, 21.

NOT. 20. Ex Hom. Odyss. X, 1—75, nota est fabula de ventis, qui *utribus* inclusi ab Æolo dati sint Ulyssi navigaturo, et postquam hujus socii utres aperuerint, rati aliud intus latere, soluti atrocem moverint tempestatem : unde et poeta bene *tempestates* dixit pro ventis, earum caussis. Conf. Heyn. in Exc. I. ad Virg. Æn. I.

VAR. 22. *Grunisse*, 46, 47, 50, 60, 64. *Grinnire*, 13.

NOT. 21, 22. *Circe* famosa venefica, cujus sedes a poetis ex Æa, Colchorum urbe, translata est in Ææam ins. sive Circeios prom. Latii, ubi Ulyssem excepisse hospitio et *Elpenora cum* XXI aliis *remigibus* vel sociis ejus *tenui verbere* virgæ *percussos* (ῥάβδῳ πεπληγυῖα) mutasse in *porcos*, mox vero veneficiis pristinæ formæ restituisse dicitur : quo mytho voluptatum vis ad mores ferinos hominibus induendos et rationis ad eosdem exuendos declaratur.[1] — *Elpenora* fuisse e sociis Ulyssis, in sues mutatis, non constat ex Homero, qui tamen alia de eo refert Odyss. κ, 552 seq. et λ, 51—80. Grangæus eum potius nominatum putabat, quam quemquam aliorum, quod ebrius obdormiverit in tecto ædium Circes et deinde lapsus per gradus interierit. — *Cum remigibus porcis*, hoc est, qui in porcos mutati erant.

NOT. 23. *Tam vacui capitis*, sine cerebro (κενεγκράνιον vet. Schol.), hoc est, tam bardum stupidumque, *populum Phæaca*, Phæacium (vid. ad XIV, 287), *putavit* esse, ut talibus fabulis fidem haberet? *Phæacia* ins. Ionii maris prope Epirum, quæ etiam *Corcyra* vocatur et nunc *Corfu* : unde mox *Corcyræa urna* (conf. Plin. IV, 12, seu 19, ibique Hard.). *Phæaces* autem pro crudelibus et stultis etiam proverbii loco dicebantur; ut et pro iis, qui cutem curant luxuriaque diffluunt, v. c. Horat. Epist. I, 15, 24. Notus potissimum Alcinoi luxus : unde lepide mox apteque de ejus convivis vs. 24. *Sic aliquis merito* dixit, qui *nondum ebrius* erat, etc., et de *urna* temetum ducere. Conf. ad vs. 16 seq. — *Temetum*, vinum, quia præcipua *temulentiæ* caussa est (conf. Gell. X, 23; Plin. XIV, 3, et Festus); *minimum temetum*, vid. Var. Lect. — *Temetum duxerat*, hauserat vel biberat, ut *ducere pocula* apud Horat. Od. I, 17, 22 (ubi vid. intpp.), vel *Cadus erat vini : inde implevi hirneam : eam ego vini eduxi meri* apud

[1] Conf. Homer. Odyss. κ, 135—168; Heyn. Exc. I, ad Virg. Æneid. VII, et Herrmanni Mythol. tom. I, pag. 392 seq.

Plaut. Amphitr. I, 1, 273, 274, νέκταρ et μέθυ ἀπὸ et ἐκ κρητῆρος ἀφύσσειν καὶ ἐγχέειν δεπάεσσιν (*urnæ* h. l. de cujus voc. proprio significatu vid. ad VI, 426); apud Hom. Iliad. I, 598, et Od. IX, 9.

Var. 24. *Hic*, 20.

Var. 25. *Temeti* (scilic. *minimum* vs. 24) recte, opinor, emend. Schrader. idemque et nobis in mentem venit. Hoc non refellitur saltem exemplis laudatis ab Hein. qui perperam jungit *multum lacrymas* apud Virg. Æneid. III, 348. *Quantum fides* apud Liv. I, 16 extr. (ubi Duker. ita legendum censebat) et similia. — *Diduxerit*, 16. *Deduxerit*, 12, 13. *Deduxerat*, 2—4, 7, 11, 15, 17, 19—22, 24—27, 45—49, 55, 57—60, 65, 66, et omnes fere Codd. Paris. contra usum loquendi et metrum; nam priores syll. vocis *temetum* producuntur.

Var. 26. *Hæc*, 12, 17, 19, 21, 22, 45.

Not. 26. Ulysses solus sociis amissis naufragio evaserat, et postquam duas nataverat noctes ac dies, in litus Phæaciæ ejectus erat. Vid. Homer. Odyss. V, 365 seq. *Ithacus*, Ulysses; vid. ad XIV, 287. — *Nullo sub teste*, sine teste; ut apud Ovid. Met. XIII, 14, 15. *Sua narret Ulysses, Quæ sine teste gerit.* Vid. ad IV, 12. Quæ contra mox narrat poeta, non minus *quidem miranda* erant, *sed nuper gesta*, et totius *populi scelus*; unde veritas rei facile explorari ac cognosci poterat. — *Canebat* facete dictum videtur pro *narrabat*, ut fabulosæ designentur narrationes, quales solent esse poetarum, qui proprie *canere* dicuntur.

Var. 27. Nomen consulis varie h. loc. exhibent codices tam scripti quam editi. *Junio*, 8, 9, 11, 14, 17—20, 23, 70, 75, 76, 77, 82, et XVII MSS. Paris. Recte, opinor; vid. Comm. Nomen corruptum videtur ab imperitis librariis, qui putabant, metri leges prohibere, quo minus servaretur. Sed *Junio* δισσύλλαβος vox est, et ejusmodi συνίζησις passim obvia. Sic apud Silium (ut ex hoc solo exempla petam) *Pelio* dicitur, III, 495. *Tenuia* et *tenuis*, IV, 147; VI, 19. *Semiusta*, III, 16. *Semiambustus*, II, 681. *Semianimis*, IX, 123. *Semiermis*, XII, 467. *Genua*, I, 529. *Proinde*, II, 353. *Alveo*, III, 450; IV, 602. *Sinuosa* et *sinuata*, II, 172; VI, 226; VII, 503; X, 181; XV, 173, 621. — *Iuno* legitur in 25, 49, 55—57, 59, et III MSS. Paris. *Ionio* in 15. *Vinio* in 16. *Iurno* in 22. *Iunco* in 10, 21, 27, 46—48, 54, 58, 60, et X MSS. Paris. *Vinco* in 24, 45, 50, 61—69, 71—74, 81, et V Codd. Paris. Lipsius in Epist. Quæst. IV, 20, monuit, neque *Vincum*, neque *Iuncum* consulem inveniri in Fastis, et posteriorem horum partem intricatam esse propter consules crebro suffectos. *Iuncus* quidem aut *Iunctus* Commodo regnante cum Severo consul fuit; vid. Lamprid. in Commodo, c. 4, et Ulpianus lib. XXVIII, Digest. de fideicommissis libertatibus. Sed nec definiri potest, quæ vera horum consulum nomina fuerint, nec probabile est, Juvenalem ad Commodi ætatem vixisse. — Britannicus suspicabatur, *nuper* h. loc. ut passim, de longo tempore dici, et *Vincum* forte consulem fuisse sub imperio Neronis auctoremque conjurationis *Vincianæ*, de qua vid. Suet. Ner. c. 36. Enimvero ibi in plerisque iisque optimis

libris legitur *Viniciana*, et *Viniciorum* gens clarissima fuit; vid. interpp. Tac. Ann. VI, 15, 45; XIV, 40; Suet. Aug. c. 64, 71. — Grangæus conj. *Vero*, ut designetur Verus, qui cum Fulvio consul fuerit imperante Domitiano. Notior est L. Ceionius Commodus Verus, ab Hadriano, et inpr. ejus filius, ab Antonino Pio adoptatus. Hic a. V. DCCCCVII. consul, et deinde cum M. Aurelio Imperator fuit.

Not. 27. En memorabilem temporis definitionem, quæ ad majorem quoque rei fidem faciendam valet. Sed proh dolor! neque lectio satis certa est, neque constat, quis et quando *Junius* ille *consul* fuerit. Nonnulli perperam intelligunt ipsum Juvenalem nostrum; alii *App. Junium Sabinum*, qui cum Domitiano (cujus hic etiam satirice perpetuum consulatum silentio notari non abs re videbatur Pithœo) consul fuit anno Urbis conditæ DCCCXXXVI; Salmasius vero in Exercitationibus Plinianis, p. 447 seq.— *Q. Junium Rusticum*, qui consul fuit cum Hadriano, anno imperii ejus tertio et Urb. condit. DCCCLXXII. Hæc conjectura ceteris probabilior est, et tum hæc satira eodem anno scripta videri potest, quo decima tertia; vid. ad XIII, 16, et vit. Juven. per annos digestam pr. — Vetus Schol. « De se dicit Juvenalis, qui in Ægypto militem (*limitem*, conf. Hennin. et *vitem*, insigne centurionis, Pith. sed *militem tenuit* defendit Cramer. plane ut ap. Suet. Aug. c. 9, *solus rempublicam tenuit*. Ed.) tenuit, et ea promittit se relaturum, quæ ipse vidit. »

Var. 28. *Facta*, 20. — *Combi*, 24. *Compti*, 22. *Coctæ*, 19. *Cepti*, 23. Conf. ad vs. 35.

Not. 28. *Referam*, quæ *nuper gesta* sunt *super*, supra, ultra, ut ὑπὲρ (vid. Duker. et nos ad Liv. I, 2, 3, et XXXI, 47, 3.), *mœnia Copti calidæ* (vid. ad. VI, 527), intra fines Copti et Tentyrorum. Aptius etiam voc. *super*, hoc est, ultra, si poeta, qui *refert*, *quæ ipse notavit* et vidit (vs. 45.), Copti commoratus est, quum bellum hoc inter Coptitas et Tentyritas, incolas oppidorum finitimorum (vs. 33), gereretur. — *Coptus* (*Copti*, vs. 35), commune Arabum Ægyptiorumque oppidum, a Diocletiano dirutum nec nisi XII mill. pass. remotum a Tentyris; emporium celeberrimum, quo merces Indicæ, Arabicæ et Æthiopicæ, Arabico sinu advectæ, deportabantur. Metropolis fuit Nomi Coptici, et mediterranea, non ad ipsum Nilum sita, sed ad canalem ex hoc fluvio ductum, in quo merces illæ, ab Arabico sinu vel Berenice camelis et via publica Coptum devectæ, navibus in Nilum et deinde Alexandriam deferebantur. vid. Plin. V, 9; VI, 23, seu 26, et X, 33, seu 49; Strab. XVI, p. 781, al. 1128, et XVII, pag. 815, al. 1170, Zonar. II, extr. *Mémoires sur l'Egypte ancienne et moderne par d'Anville*, pag. 196. Abulfedæ Descript. Ægypti, pag. 16, et ad eum Michaelis not. 153—164, pag. 73—78, ubi præter alia docet, vicum hodiernum *Koft* vel *Kift*, ad ipsam Nili ripam situm, non esse Coptum antiquam, sed vicum, quo pro portu usa sit Coptus, urbs mediterranea, et in quo nomen ejus hæserit. Ramusio putabat, Coptum hodie *Canam* dici seu *Chanam*.

VAR. 29. *Scelera*, 2, forte rectius.

NOT. 29 seq. *Nos* referemus *scelus*, non unius hominis, sed *vulgi*, totius populi, quale numquam auditum est nec a *Tragicis* poetis descriptum; *graviora cunctis cothurnis*, hoc est, iis, quæ in tragœdiis solent tractari. Vid. ad VI, 506.

NOT. 30. *A Pyrrha*, inde a tempore Pyrrhæ, hoc est, diluvii, quo Deucalion et Pyrrha, uxor ejus, vixere, ut supra I, 81 seq.

Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor
Navigio montem adscendit, etc.

ubi vide notas. — *Syrmata*, tragœdias (ut apud Martial. IV, 49, 8, et XII, 96, 4); vid. ad VIII, 229.

VAR. 31. *Populos*, 16. — VAR. 32. *Produxit in ævo*, 13, 22.

VAR. 33. *Inter finitimas* scilicet urbes emend. Salmas. Exerc. Plin. p. 447. Sed junge *inter finitimos Coptos et Tentyra*.

NOT. 33 seq. Conf. ad vs. 2. — *Inter finitimos Coptos et Tentyra*, hoc est, inter finitima oppida eorumque incolas.

VAR. 34. *Et* deest 19. — *Satiabile*, 13. Ego potius versum hunc pannum esse crediderim, a versificatore aliquo assutum. Caussam non expiscari potest Hein. Quia ταυτολογικῶς dicta sunt *vetus*, *antiqua*, *immortale*, *numquam sanabile*, ut et *simultas*, *odium*, *vulnus*.

NOT. 34. *Vulnus* animi, dolor vel indignatio et ira, Gr. ἕλκος. Conf. Var. Lection.

VAR. 35. *Ombos* pro *Coptos*, 1, 14, 18, 61, 70, 75, 76, 77, 81, 82. *Combos*, 10, 17, 20—22, 24, 25, 45—50, 54—60, 62—69, 71—74. *Cumbos*, 19, 23, 27, *Cambos*, 16. *Combros*, 11, 15. Eadem varietas est in MSS. Paris. Sed in Cod. Puteano, qui omnium antiquissimus est, exstat *Copos*, quod ad veram lectionem ducit, quam cum Ach. substitui pro vulgata *Ombos*, quæ semper me offendit : nam describitur bellum, *antiqua simultas et immortale odium inter* FINITIMA oppida (vs. 33), inter quæ etiam illa propter religionem, commercium rixasque varii generis multo facilius, quam inter ea, quæ longiori intervallo dirimuntur, et oriri sane et sævire possunt. *Finitima* autem oppida non sunt *Ombi* et *Tentyra*, sed *Coptus* et *Tentyra* (quod jam monuit Salmas. in Exerc. Plin. pag. 448); nam *Ombi*, Ὄμβοι, in Nomo Ombite et ad orientalem Nili ripam, ubi nunc castellum *Cûm Ombo* (vid. *Travels to discover the source of the Nile*, *by James Bruce*, vol. I, cap. VI, pag. 143). *Tentyra* in Nomo Tentyrite et ad occidentalem Nili ripam sita erant, et longe ab Ombis remota. *Coptus* vero a Tentyris non nisi XII milliaria abest, caput non ejusdem quidem, sed contermini Nomi. Quod jam intelligitur ex Plinio, qui lib. V, 9. Thebaidis nomos hoc ordine enumerat : « Ombiten, Phatniten, Apollopoliten, Hermonthiten, Thiniten, Phaturiten, Coptiten, Tentyriten, Diospoliten, Antæopoliten, Aphroditopoliten, Lycopoliten. » A Plinio non multum discrepat

Strabo, nisi quod ille a summo incipit, et hic adscendit ab inferioribus. Præterea non *Ombitæ* tantum, sed etiam *Coptitæ* religiose colebant crocodilos, quos Tentyritæ aversabantur et prosequebantur; vid. supra ad vs. 2, in Comm. Hinc *Coptos* h. loc. legendum esse pro *Ombos* recte suspicati sunt de *Pauw* (*Recherches philosophiques sur les Égyptiens et les Chinois*, tom. II, pag. 160), et viri docti, a *Dusaulx* consulti, *Barthélemi* et *Larcher*. Qua lectione recepta dispelluntur tenebræ, tum versibus 28, 33 et 35, tum toti satiræ librariorum incuria offusæ. Eadem firmatur iis, quæ de origine erroris adnotavit *Achaintre*: « Probabilior videbitur mutatio vocis *Coptos* in *Combos* (quod in plerisque MSS. et editt. legitur), quam *Ombos* in *Combos*: facilius est enim unam alteramve literam (in media voce) mutare, quam literam initialem voci cuilibet addere aut detrahere. Vitioso autem vocis sono per sæcula IX et X; litera *m* multa in nomina, verba et adjectivos irrepsit. Inde ex *Coptos* factum *Copos*, ut fert Put. Codex, ex eo *Compos*, ex hoc *Combos*, *Cumbos*, *Cambos*, *Combros*: sed quia paullo sapientiores aliqui noverant, oppida horum nominum nulla esse in Ægypto, dempta litera *c*, dixerunt *Ombos*.» Huc accedit, quod librarii eodem modo vocem *Copti* corruperunt vs. 28, et substituerunt *Combi* et *Compti*; ut contra Κόμβοι pro Ὄμβοι apud Ptol. IV, 5 (alii Ὄμβροι, et apud Steph. Byz. Ὄλβοι, in Notit. Imper. Rom. s. 20, *Ambo*). Ne tamen dissimulem, quod nobis obverti possit, idem oppidum vs. 28 vocatur *Coptus*, et forma nom. pl. non alibi occurrit. Enimvero hæc difficultas non tanti est, quanti nonnullis videri possit; et innumera hujus rei exempla passim sunt obvia. Sufficiat unum memorasse, ex ipso hoc loco petitum: nam et *Tentyra* in plur. nom. nemo forsan dixit præter Juvenalem.

Not. 35. *Coptos*, vid. ad vs. 28. Vera autem videtur hæc lectio esse, non *Ombos*; vid. Var. Lect. *Tentyra* vel *Tentyris*,[1] hod. *Dendera*, urbs Thebaidos, in Africæ latere seu ad occidentalem Nili ripam sita et proxima Diospoli parvæ (a qua versus austrum eam M. P. XXVII, abesse docet Antoninus), unde Τεντυρίτης νομὸς dictus (Plin. V, 9), ubi permulta adhuc reperiuntur rudera cum tot notis hieroglyphicis, ut vix per annum delineari possint.[2] — Monumenta quæ supersint *Tentyris* (*Denderah*) et *Copti* (*Kest*) vide in opere inscripto: *Description de l'Égypte, ou Recueil des observations et des recherches qui ont été faites en Égypte pendant l'expédition de l'armée française. Paris,* 1818; *tom. II, troisième livre, ch.* 10. Nuper quoque Lutetiam feliciter advectum est vetus quoddam monumentum, ex famosa illa urbe Tentyri non sine periculo revulsum, de quo plures tunc temporis dissertationes in lucem prodierunt, doctis inter se dissidentibus utrum illud nomine *Zodiaci*, an *planisphæræ* insignirent. Ed. — *Utrimque*, ab utraque parte, civitate.

[1] Plur. nom. τὰ Τέντυρα, h. loc. et infra vs. 76; sed sing. in Notit. Imp. Rom. apud Strabonem, Ptolemæum et alios complures. *Tentyris* apud Plin. Hist. Nat. V, 9, seu 11, ubi vid. Hard.

[2] Vid. *Bruce's Travels to discover the source of the Nile*, vol. I, cap. IV, pag. 103 seq.

VAR. 36. *Vulgi*, 16, 17, 19, 20, 22, 23, 28, 45.

NOT. 36 seq. Vid. supra ad vs. 2.

VAR. 37. *Colit*, 23. — *Credit*, 22, 25.

NOT. 38. *Tempore festo alterius populi*, Tentyritarum (ut vs. 73, *pars altera*); ut alii putant, Coptitarum. Conf. ad vs. 73 seq. — *Rapienda*, captanda, raptim et cupide amplectenda : nam *rapere* seu *corripere*, gr. ἁρπάζειν, dicitur pro raptim sive facere sive capere, verb. causs. tempus, diem, pugnam, gressus, letum, viam, campum, etc. [1] — *Occasio* odii expromendi atque ulciscendi, seu prohibendi, *ne* Coptitæ *lætum diem*, hoc est, lætitiam festi diei, *sentirent*, etc., quo invidia rei augetur.

VAR. 39. *Multis* pro *cunctis*, 15.

VAR. 40. *Visaque majorum*, 7. *Majoribus ac ducibus*, 11.

NOT. 40. *Primoribus inimicorum*, Coptitarum; alii : Tentyritarum.

VAR. 41. *Nec magnæ*, 11. *Magnæ ne*, 45. *Magnæ nec*, 23. — *Gaudia vitæ*, 22.

VAR. 42. *Sentiret*, 16, 45, 67.

NOT. 42. Ægyptii *cibos palam et extra sua tecta capiunt, obscœna intimis ædium reddunt*, Mela, I, 9.

VAR. 43. *Luce ac nocte* (cum ingrata elisione), 10, 11, 12, 17, 19, 20, 21, 27, 45—49, 54, 55, 57—60, 64. — Pro *jacentem*, hoc est, stratum, Plathner. conj. *calentem* scilicet ab iis, qui assidue ei incubant. Ego malim : *quo nocte ac luce jacentes Septimus interdum sol invenit.* Ex *quo* facile fieri poterat *quem* propter compendium scrib.

NOT. 43. *Toro*, lecto discubitorio, *pervigili*, in quo noctes quoque pervigilant, genio indulgentes, vid. ad VIII, 158. — *Jacentem*, vid. Var. Lection.

VAR. 44. *Interdum*, 1, 14, 18, 25, 48, 57, 58, 59, 65, 66, 67, 69, 70, 75, 76, 82. *Interea*, 10, 11, 12, 15, 16, 17, 19—24, 27, 45, 46, 47, 49, 50, 54, 55, 56, 60—64, 65, 68, 71—74, 77, et XXXII MSS. Paris. ex quibus illud revocavit Achaint.

VAR. 44, 45. *Horrida sane Est Coptos* recte, opinor, conj. Schrader.

NOT. 44. Sacrorum festivitate et hilaritate convivii septem interdum dies noctesque continuæ extrahuntur (conf. Salmas. Exerc. Plin. pag. 441). — *Horrida*, aspera et sæva, *sane* est *Ægyptus* tota, omnes Ægyptii; vel, ut alii putant, ea pars Ægypti, de qua hoc loco agitur (utraque ratio dura est et vid. Var. Lect.): *sed barbara turba*, gens (Coptitæ), *luxuria non cedit famoso Canopo* (vid. ad I, 26), adeoque luxu ef-

[1] Vid. ad Sil. I, 570, et Heins. ad Ovid. Epist. XIX, 74.

feminata est et minus fortis, vel facile vincenda. — *Quantum ipse notavi*, αὐτόπτης: unde constat, poetam in Ægypto fuisse. Conf. ad Argument. hujus Satiræ.

VAR. 46. *Ripa* (scilicet orientalis Nili, in qua sita est Coptus) pro *turba*, 3, 5, 7, 10, 11, 12, 15, 16, 17, 19—27, 29, 45—49, 54, 55, 58—63, 65, 66, et dimidia pars MSS. Paris. forte et vetus Schol. cujus glossa est: *Latini ripa*, quam Schurzfl. eam putabat dici, quæ tum sub potestate Latinorum fuerit. — Ortam hanc e vet. Schol. lectionem non accipit Cramerus; nam id si voluisset interpres procul dubio *romana* scripsisset. Ipsi igitur placeret *Crispini patria*, quod ille dedisset memoria recolens in eam rem Canopum a poeta tangi Sat. I, 26. Judicent periti. ED.

NOT. 47 seq. Alia memoratur caussa, cur Tentyritæ a Coptitis (alii: hi ab illis) facile potuerint vinci. Conf. Sen. Epist. 83. Ægyptios esse φιλοίνους καὶ φιλοπότας, notat Athen. I, 25, p. 34 (I, 61, et 62, tom. I, pag. 129, ed. Schweigh.) *madidis*, βεβρεγμένοις, ebriis. Sic *vino madere*, *madidum esse*, *dilui*, *irrigari*, *tingui*, *proluere se*, βρέχεσθαι, τέγγεσθαι, et hinc *fluere mollitia* et *luxu*, *diffluere luxuria* (vid. ad Sil. 18). Iidem ebrii dicuntur *blæsi*, balbutientes, quorum lingua oberrat et vacillat, qui non perspicue, neque omnia, quædam vero iterum tertiumque dicunt.[1]

NOT. 48 seq. *Inde*, ex una parte, scil. Tentyritarum (alii: Coptitarum), ebrietas et saltatio, at (vs. 51), *hinc*, ab altera parte, Coptitarum, *odium jejunum* erat, hoc est, hominum jejunorum sobriorumque. Ab inimicis infesta sobrietas; Schol. Possis etiam verba *inde* et *hinc* ad unum idemque subjectum referre: *inde*, scil. ex ebrietate, saltatus, etc., *hinc*, ex eadum *jejunum*, hoc est, infirmum *odium* (viribus ebrietate fractis) proficiscebatur. Sed illa ratio præstat.

NOT. 49. *Tibicine*, tibiis canente, *nigro*, Mauro, Æthiope, adeoque forte rudi, quod tamen ebrii non curant; vel potius fusco Ægyptio, judice Grang. qui contulit Prop. IV, 8, 39:

Nilotes tibicen erat, crotalistria Philis,

et Petron. Fragm. II, 1 seq.

Memphitides puellæ
Sacris Deum paratæ:
Tinctus colore noctis,
Manu puer loquaci.

— *Qualiacumque*, cujuscumque generis. Etiam hoc ebriis convenit. Non designatur vilitas unguentorum, quæ in Ægypto pretiosissima erant.

VAR. 51. *Genuinum odium*, 11, 24, quod et male conj. Merula. *Geminum*, 19, 20, a m. sec.

[1] De quo temulentiæ effectu ejusque caussis copiose disputat Aristot. in Problemat.

NOT. 51 seq. *Jurgia*, contentiones verborum, altercatio, *prima*, primum, *sonare incipiunt animis ardentibus* vino et ira; *hæc tuba*, incitamentum, *rixæ*, certaminis, instar tubæ, quæ signum dat et accendit ad pugnam. Cf. III, 288, et V, 26.—*Jurgia* ad verba tantum spectant, *rixa* vero quum ad verba et objurgationes, tum ad facta et vim inferendam. Possis etiam *jurgia* referre ad leviorem dissensionem altercationemque, et *rixam* ad acriorem verborum contentionem et convicia, quibus ita irritati sint animi, ut *dein clamore pari concursum*, et *manus* consertæ sint. Similis locus est Tac. Hist. I, 64: « Jurgia primum : mox rixa inter Batavos et legionarios, dum his aut illis studia militum aggregantur, prope in prælium exarsere. » Conf. ibi Ernesti.

VAR. 52. *Hoc tuba*, 22.

VAR. 53. *Deinde clamore*, 24. *Dehinc clamore*, 10, 11, 22, 23, 25, 27, 54—63, 65, 66—69, 71—74.

NOT. 53. *Vice teli*, loco armorum : ut apud Ovidium, Metamorphoseon lib. XII, 382.

NOT. 54. *Sævit manus nuda*, inermis, sine justis armis : unde *nuda prælia* dixit Prop. IV, 1, 28, et *nudam pugnam*, Stat. Theb. I, 413, quæ mox præclare et festive adumbratur.

NOT. 54—74. Conf. Virg. Æneid. VII, 505—527. — *Toto certamine*, in omni pugnantium turba. Conf. Var. Lect.

VAR. 55. *Cuidam*, 12. *Ac nulli*, 1. — *Cœco certamine* (in quod cæci vel cæco impetu ruebant) quidam libri, teste Pithœo, nescio qui. Recte, opinor; saltem longe venustius.

VAR. 56. *Aspicies*, 23. — *Toto* pro *cuncta*, 25, 27, 46—49, 45, —60, 64.

NOT. 57. *Dimidios vultus*, vid. ad VIII, 4. — *Facies alias*, mutatas deformatasque vulneribus et cruore. — *Hiantia*, detecta, exstantia.

VAR. 58. *Plenos sociorum*, 11.

VAR. 59. *Tamen ipsi*, 46, 47, 49.

NOT. 59. *Ludere*, ludicram, non seriam rem agere *se credunt*, nisi aliquis interimatur et conculcetur, ut in justa pugna fit.

VAR. 60. *Quia* pro *quod*, 22.

VAR. 61. *Sane quod*, 15, 45, 46, 47, 49, 50, 54, 55, 58, 66—69, 74. *Sana quo*, 28. *Sanæ quot*, 48, 64. *Saneque quo*, 15. *Sanaque jam quod tot*, 25, 41, 56, 57. *Sanaque jam quot*, 59, 60, 65.

NOT. 61, 62. Faceta poetæ sententia et ironia salsa. — *Quo*, vid. ad VIII, 9.

VAR. 62. *Sic*, 21, 27, 54, 58, 64, 74. *Sic vivant*, 64.

Not. 62 seq. Virg. Æneid. I, 150:

Jamque faces et saxa volant; furor arma ministrat,

et VII, 507,

. . . . Quod cuique repertum
Rimanti telum ira facit....

Var. 63. *Inclinantes*, 21. *Inclinantis*, 65.

Not. 63. *Inclinatis lacertis*, non, ut quidam volunt, demissis ad saxa tollenda, sed inclinatis brachiis et reductis in modum circuli ad vibrandum; Ach. Immo illa ratio huic præferenda.

Var. 64. *Seditione*, 10, 12, 15, 16, 21—24, 45, 46, 47, 49, 50, 54, 55, 59, 60, 65, omnes fere Codd. Paris. et ed. Ach.

Not. 64. *Tela*, arma, *seditioni domestica*, familiaria et consueta, vel propria, vel quæ in promtu sunt: nisi epitheton, si sensum spectes, ad *seditionem* referendum est et *seditioni* doctius dictum, pro *seditionis*, vel ita legendum, *domestica;* competentia furori: nam nulla sic sunt domestica rixantibus tela, ut saxa; vet. Schol. Ach. et alii legunt *seditione* et hoc dictum putant pro *in seditione* — Cramer. putat veterem Schol. (qui locum interpretatus est, *tela competentia*, sive *vicina furori*, id est, quæ proxima ad manum sunt) in suo Cod. habuisse *seditioni*, non *seditione*. *Seditioni* positum pro seditiosis et rixantibus; abstractum, ut aiunt, pro concreto. Ed.

Var. 65. *Sed hunc*, 12. — *Qualis Turnus*, 12. *Qualis se Turnus*, 24. *Qualis et Turnus*, 64. *Quali se Turnus et Ajax*, 11, 15, 17, 23, 25, 45—47, 49, 54—60, 62, 65—69, 71—74, et XXX MSS. Paris. Male: nam hi saxis se ipsi non percussisse dicuntur. *Quali Turnus*, 19. *Quali vel Turnus*, 10, 20, quod arrisit Ach. *Quali et Turnus*, 16.

Not. 65 seq. Non tam grandia jaciunt saxa, qualia olim heroes misisse perhibentur. Obiter notat Virgilium cum Homero, quod præter decorum heroas lapidibus concertasse canant, et præter verisimilitudinem nimia hyberbola lasciviant in saxis, in heroibus ipsis et similibus; Hennin. Heroes Homerici sæpe (verb. causs. Iliad. IV, 517; V, 303 seq. VII, 264 seq. XI, 264 seq. XII, 445 seq. XIV, 409 seq.) saxa, eaque immania, jaciunt, quum alia deficiunt arma vel ad magna conamina non sufficiunt: quod ad ipsos quoque Deos transfertur, Iliad. XXI, 403 seq. Id quidem nobis videtur parum decere bellatorem; sed quam maxime congruit moribus heroum hominumque, qui et rudes sunt et ira feroces: quod jam notavit Kœppen. ad Hom. Iliad. V, 305, qui etiam in not. ad Iliad. I, 272, et in Comment. de Homeri vita et carm. pag. 165—173, docet, non plane vanam esse fidem illam et opinionem de vastis priscorum hominum corporibus viribusque, vitæ cultusque elegantia nondum debilitatis, qua excolatur quidem corpus, sed simul vires ejus imminuantur. Res tamen ab Homero in majus et in miraculum extollitur:

idque obiter significat poeta satiricus; etsi illud consentaneum est primario consilio, quod epici poetæ sequuntur, quodque ad animos rerum narratarum admiratione afficiendos spectat.[1] *Hunc*, talem, *lapidem*, *quales* (doctius quam *qualem*) scil. torsit *Turnus* in Æneam (vid. Virg. Æneid. XII, 896 seq.), *Ajax* in Hectorem (vid. Hom. Iliad. VII, 268 seq.), et *Tydides*, Diomedes, in Æneam. (Hom. Iliad. V, 302 seq.)

VAR. 66. *Et quo*, 27, 46—50, 55, 56, 59—65, 68, 69, 71—74.

NOT. 69. Conf. Hom. Iliad. I, 271, 272; V, 303, 304; XII, 447 seq. Virg. Æneid. XII, 899, 900, et supra ad VI, 9. Nota Ach. est: « Hæc de humani generis decrescentia non seriose a poeta dici crediderim, sed ironice potius: nam non erat is, qui Græcorum et priscorum commentis ac fabulis facile fidem adhiberet. »

NOT. 70. « Hoc majores nostri questi sunt, hoc nos querimur, hoc posteri nostri querentur, eversos esse mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas et in omne nefas labi, » Sen. de Ben. I, 10.

VAR. 71. *Ecce Deus*, 21. Non male! *Deos*, 50.

NOT. 71. Facete poeta dicit, si quis Deorum homines, quos nostra ætas fert, adspiciat, eum *ridere*, quod tam pusilli, et *odisse* eos, quod tam mali sint.

VAR. 72. *Deverticulo* scripsi pro vulg. *diverticulo*, latinitate ita postulante. *Deverticulum* enim et *deversorium* dicuntur a *devertere*, hoc est, ab uno loco ad alium se convertere; a quo differt *divertere*, quod adhibetur de duobus, qui diversam instituunt viam, unde *diversus* et alia: quæ verba male vulgo a librariis confunduntur; vid. Heins. ad Ovid. Am. II, 6, 9 (ubi veterrimi Codd. nobis favent); Burm. ad Petron. 10, et ad Virg. Georg. III, 2, 3; Bentl. ad Terent. Eun. IV, 2, 17, et Ernesti clav. Cic. voc. *devertere*.

NOT. 72. Poeta retexit telam narrationis, inde a vs. 65 abruptam. — *Deverticulum*, digressio a re proposita ad aliam. Vid. Var. Lect. Apposite ac perspicue Liv. IX, 17: « ut ab rerum ordine declinarem varietatibusque distinguendo opere et legentibus velut deverticula amœna et requiem animo meo quærerem. » — *Fabula* est historia, narratio, sive ficta sit, sive vera.

VAR. 73. *Aucta*, 16. *Auctis*, 27, 46, 47, 48, 56—60, 64, 74. *Actis*, 25.— *Pars altera amittere ferrum*, 12.

NOT. 73. *Aucti* Tentyritæ; ex aliorum sententia Coptitæ. « Ex hoc

[1] Vid. Heyn. ad Virg. Æneid. XII, 896—902; Gell. III, 10; Augustin. de Civit. Dei, XV, 9; Salmas. Exerc. Plin. pag. 42, 43; Lips. Physiol. Stoicorum, III, 5; Lucret. II, 1149 seq. *Wieland's pros. Schriften*, tom. I, pag. 77 seq. Riccii Dissertat. Homeric. tom. I, pag. 185; Plin. Historiæ naturalis, lib. VII, cap. 16, ibique Harduin.

versu et seqq. Coptitas provocatores, Tentyritas autem propugnatores fuisse, non male conjiciendum est, etsi Juven. taceat; » Ach.

Var. 74. *Pugnas inferre*, 2.

Not. 74. *Sagittæ infestæ* non sunt inimicæ vel hostiles, sed in aliquem aut aliquid directæ et illatæ (vid. ad Liv. II, 19, et Burm. ad Virg. Æneid. V, 582.)

Var. 75. *Fuga*, 1, 8, 11, 15, 17, 19—22, plerique Codd. Paris. et ed. Ach. — *Sceleri*, 9, 21, 22. — *Instans*, 9. *Præstant instantibus omnes* vetus MS. Merceri, qui emend. *Terga fuga celeri præstant instantibus Ombis*. Schrader. conj. *præbentibus omnibus*, et Lubinus *præstantibus hostibus*. Mox vs. 76. *Pampæ* (qui vicus erat vicinus Tentyris) legendum pro *palmæ* putabat Salmas. Exerc. Plin. pag. 452, B. Quis vero, ut situm urbis designet, eam vico alicui dicet vicinam esse?

Not. 75. *Terga fugæ præstantibus*, dantibus, præbentibus, *omnibus*, Coptitis. *instant*, *qui Tentyra colunt*, incolunt (Tentyritæ), *vicina umbrosæ palmæ*, hoc est, palmis umbrosis sive palmetis, de quibus vid. Jo. Bapt. Porta de re rustica, pag. 350, ut de palmis Ægyptiis Thebaicisque Galen. de Alim. II, 26, et Plin. XIII, 4.

Var. 77. *Hic*, 10, 15, 16, 17, 19, 20, 24, 45—47, 49, 50, 54—60, 62, 64—69, 71—74, 77.

Not. 77 seq. Conf. ad vid. 13. *Quidam* Coptitarum.

Not. 78—83. En plura diræ inhumanitatis indicia, quæ animus legentis horret!

Var. 79. *Frustra*, 16, 22, 23, 24, 46, 47. *Ac*, 27, 46—50, 54, 55, 59—65, 68, 69, 71, 72, 73.

Not. 80. *Sufficeret*, cibi loco esse posset, vel, ut quisque acciperet aliquam mortui partem.

Var. 81. *Aheno*, 25, 46—50, 57—60, 62, 64—69, 71, 72, 73; vid. ad III, 285.

Not. 83. *Exspectare focos*, hoc est, tempus, quod ad carnem in foco vel coquendam vel assandam requiritur.

Var. 84. *Hinc*, 10, 21 a m. sec. 23—25, 27, 45—50, 58, 61—69, 71—74.

Anal. 84—87. Immanitatem Tentyritarum, crudam hominis carnem avide deglutientium, δεινῶς simul et facete adumbrat poeta, dicens, tam dirum esse scelus eorum, ut fas sit *gaudere* et *gratulari igni*, tamquam rei sacræ, quod eam non *violaverint* coctura carnis humanæ et sic scelus sceleri addiderint. Suspicari possis, eum respexisse ad veterum philosophorum poetarumque nationes cosmogonicas de æthere supremo vel igni æthereo, subtilissimo ac purissimo, per totam naturam, per cælum et terram, per ætherem et sidera, per omnes res vivas ipsaque terræ viscera,

fuso, *summam cæli partem* ac regionem mundi occupante, perpetuo fulgente totumque mundum regente, permeante, animante, vivificante, ex quo animæ etiam, tanquam particulæ decerptæ seu avulsæ (ἀποσπάσματα), emanare, et in quem post certum tempus refundi putabantur: quæ constans et communis fuit opinio antiquorum totius Orientis philosophorum, inpr. Ægyptiorum (quorum *Phthas* fuit symbolum hujus ignis elementaris et naturalis, ut Ἥφαιστος et *Vulcanus* apud Græcos et Romanos, quorum tamen theologia mythica deinde ab illo igne ad artificialem, qui metallis fundendis parandisque adhibetur, delapsa est, et hujus potius, quam illius rationem habuit), ac Græcorum, et quidem præcipue Orphicorum, Pythagoreorum, Stoicorum. [1] Sed de vulgari potius igni, non de æthereo illo, vel natura ætherea et ignea, quæ animæ mundi tribuebatur, cogitasse poetam, ex vs. 85, intelligitur. *Violari* autem aut *pollui* dicebantur omnia ea, quæ vel in alienum nefariumque adhibebantur usum, vel a rebus hominibusque scelestis et aut physice aut moraliter impuris contingebantur, in primis res sacræ (ignis vero Vestæ et Vulcano sacer erat), et *elementa*, aer, aqua et ignis, quibus res impuræ purgari lustrarique solebant et ex quibus omnia credebantur nata esse, unde etiam inter res sacras habebantur. [2] Huc spectat locus notiss. Cic. Rosc. Am. c. 26, de Parricidis. Farnabius laudavit verba Persæ illius in Epigr. Dioscorid. Anthol. lib. III, cap. 13, μηδὲ μιήνῃς Πῦρ ἐπ' ἐμοί.

Not. 85. Vid. ad IV, 133. Verba autem h. loc. languere videntur, vel intempestivum doctrinæ ostentandæ studium prodere. Sed poeta forte fabulam illam omnemque simul veterum doctrinam de morali rerumque sacrarum pollutione, de elementis, tanquam rebus sacris, e quibus omnia sint nata et quibus lustratio fiat, forsan et de igne æthereo, h. loc. ridere voluit. Faceta certe sunt verba, *elemento gratulor* (hoc est, igni, quod non violatus sit), *et te*, Volusi, mecum *exsultare reor*: multo autem facetiora, si Volusius fuit philosophus vel imbutus certe opinionibus illis.

Var. 87. *Sed quæ* (sc. *turba*, vs. 81) emend. Schrader.

Anal. 87—92. Quis talia fieri posse sibi persuadeat, nisi ex historia constaret, quoad progredi queat inhumanitas et furor mentis, cæco religionis ardore incensæ? *Sustinere* dicitur, qui potest aliquid ferre et deinde ab animo suo impetrare (*sich überwinden*, *sich entschliessen*), hinc audere, vel valere. Conf. XIV, 127. Verbum aptissimum tali facinori, cujus perpetrandi consilium non nisi ab eo capi potest, qui omnem exuit

[1] Conf. Cicer. Academ. Quæst. IV, 37; Plutarch. de Placit. Philos. I, 3; Diogen. Laert. VIII, 26; *Jablonski*, Panth. Ægypt. lib. I, cap. 2, tom. I, pag. 44—52; Herrmanni Mytholog. tom. II, pag. 5, 6, et 398 seq. Heyn. Exc. XIII, ad Virg. Æneid. VI. — Edit. nost. vol. III; pag. 239 sqq. Ed.

[2] Conf. Heyn. ad Virg. Æneid. III, 234: VI, 740 seq. et VII, 114.

humanitatem et promtæ est audaciæ ad omnia, quæ vel præter naturam sunt et fiunt.

VAR. 88. *Nihil*, 17, 20, 23—27, 45, 46, 47, 49, 50, 56, 58, 60—69, 71 — 74.

VAR. 89. *Non* pro *ne*, 16.

NOT. 89. *Nam* spectat ad *qui* vs. 87, quòd pro *quicumque* positum.

VAR. 90. *Voluptates*, 22. — *Ultimum*, 24. *Ultimus auctor Qui venit*, conj. Schrader.

NOT. 90. *Prima gula*, hoc est, qui primus gustavit talem cibum devoravitque carnem humanam.

VAR. 91. *Qui sitit* malebat Lubinus. At sitis sanguinis, quæ huic homini fuit, satis exprimitur vs. 92.

VAR. 93. *Ut fama*, 1—5, 10—13, 15—17, 19—27, 45, 47, 49, 54—60, 65, 68, 69, 74, et omnes fere Codd. Paris. quosque vidit Britann. qui tamen *ut* delendùm putabat, ut versus staret; offensus haud dubie eo, quod alioquin syllaba secunda voc. *Vascones* h. loc. brevis esset. Eadem corripitur a Prudent. περιστεφ. I, 93, et a Paulino Nolano ad Auson. Carm. X, vs. 203, 212, 218. Ptolemæus tamen et Strab. III, pag. 111, scribunt Οὐάσκωνες et τὸ τῶν Οὐασκώνων ἔθνος. Suspicari itaque possis, recte legi vel *Vascones, fama est*, *alimentis* in 48, 61—64, 66, 67, 71, 72, 73, vel *Vascones, ut fama*, *alimentis* in 17, nisi malis: *Vascones fama est alimentis talibus olim Produxisse animas.* — Mox *elementis talibus*, 8, quod Pithœo placuisse mireris. — *Humanis carnibus*, 13. — *Usi* pro *olim*, 7, 9—13, 15, 16, 17, 19—23, 25, 27, 45—50, 54, 55, 57, 69, 71, 72, 73; XXX MSS. Paris. et ed. Ach.

ANAL. 93 seq. Quanta sit immanitas Ægyptiorum, ostenditur nunc comparatione eorum cum Vasconibus vel Calaguritanis, vs. 115—123, cum incolis Chersonesi Tauricæ, hospites Dianæ immolantibus, et vs. 124—128, cum Cimbris aliisque feris populis. Conf. ad XIV, 265 sq. *Vascones* populus Hispaniæ Tarraconensis, ad Pyrenæi radices, in hodierna Catalonia et Navarræo regno : a quibus oriundi *Vascones*, qui partem Galliæ Aquitanicæ, ab ipsis *Gascogne* dictam, occuparunt. Illorum, non horum, urbs olim eximia fuit *Calaguris*, [1] ultra Iberum sita et in dextra ejus ripa, Quintiliani patria (hod. *Calahorra* in Nova Castilia), quæ diversa est ab oppidulo ejusdem nominis cis Iberum, quod nunc *Loarre* (in Valencia) dicitur. Illa Calaguris, de qua h. loc. sermo est (quod ex vs. 108, intelligitur), *Nascica*, hæc *Fibularensis* cognominatur

1. Ita in nummis et inscriptionibus, ut et Strabon. III, pag. 111, vocatur, non *Calagurris*, *Calaguras*, *Calagoria*, *Calagurria*, de quo vid. Duker. ad Flor. III, 22, 9, et ad Liv. Epist. XCIII, ubi et conf. Drak.

Plin. III, 3, et al. Conf. Cellar. Notit. orb. ant. tom. I, 89 seq. — De illa civitate vide ad indicem geograph. quem Cæsari subjunximus, t. IV, pag. 220. Ed. — Illius incolæ olim a Cn. Pompeio obsessi dira fame urgebantur et, ut fidem Sertorio datam præstarent, uxores liberosque suos comedisse traduntur. Vid. Valer. Max. VII, 6, ext. 2, et 3, qui eorum et simile Numantinorum facinus tanquam summum feritatis notat exemplum: ut quo nulla sit necessitatis excusatio, quum sic vivere necesse non sit, quibus mori liceat. Neque illud probat Juvenalis vs. 94—106, sed recte docet, necessitatem famemque Calaguritanis justiorem certe excusationem dare, quam solam feritatem et odium Tentyritis, et vs. 106 —112, sapientiam Stoicorum a gente tam barbara, quam antiqua, minus requiri posse, quam ab ea, quæ his temporibus vivat, quibus literæ Græcorum Romanorumque in omnes terras sparsæ sint. — Vetus Schol. *Vascones* interpretatur de Saguntinis, ab Hannibale obsessis; deceptus forsan vicinarum gentium nomine. — *Saguntum* enim, ut notat Schurfl. Hispaniæ Tarraconensis civitas; *Vascones* autem populi Pyrenei, Tarraconensibus vicini. Ed. — *Ut fama est:* cui poeta vix fidem habuisse videtur. — *Alimentis talibus*, carne humana.

Var. 94. *Illinc*, 23, 27, 46, 47, 49, 58:

Not. 94. *Animas*, vitam, ut VI, 501, et IX, 122. — *Sed* cum vi repetitur.

Var. 95. *Bellorumque culmina*, 29.

Not. 95. *Fortunæ invidia* dicitur secundum priscorum hominum loquendi et cogitandi rationem, qua Fortuna Diique nimium felicibus hominum rebus invidere credebantur. — *Bellorum ultima*, extrema, summa pericula ac mala, ut *belli subita* vel *fortuita*, *extrema* et omnia fere adjectiva neutra, quæ a poetis pro substantivis ponuntur vel ita, ut sive hæc supplenda, sive illa his accommodanda sint.

Var. 96. *Dura*, 21. *Duræ*, 15. — Var. 97. *Qui nunc*, 21 a m. pr. 22.

Not. 97. *Quod nunc agitur*, a me memoratur, de quo nunc loquor.

Not. 98. *Cibi*, ἀνθρωποφαγίας Calaguritanorum. — *Gens*, Vascones seu Calaguritani. Similia traduntur de Saguntinis, Numantinis et aliis. Confer. Ovid. Met. VIII, 799 seq. Sil. II, 461—474, et Claud. B. Gildon. vs. 21. — Conf. quoque descriptionem a nostrate *Voltaire* prolatam in carmine epico, *la Henriade*, *ch. X.* — *Quidquid cogebat*, scil. edere.

Var. 99. *Cunctas herbas*, 16.

Not. 100. *Vacui ventris furor*, ut *improba ventris rabies* apud Virg. Æneid. II, 356 Conf. Athen, X, 1 (3), pag. 412.

Var. 101. *Pallore ac macie extenues* quidam Cod. Pith. — *Et maciem*, 10, 19, 25, 46—49, 55—60, 64.

Not. 101. *Maciem et tenues artus*, ἰσχνιασμὸν τοῦ σώματος, attenuationem corporis, alimentorum inopia contractam. (Conf. Spanh. ad Callim. H. in Cer. vs. 94.)

Not. 102. *Membra aliena*, hoc est, aliorum hominum, ut *sua*, uxorum liberorumque, quin et sui ipsorum, ut apud Ovidii Metamorphoseon. VIII, 877:

> Ipse suos artus lacero divellere morsu
> Cœpit et infelix minuendo corpus alebat:

quo nihil dirius fingi potest. — *Parati esse*, edere, ad edenda.

Var. 104. *Viribus*, 8, 10—27, 45—50, 54—77, 81, 82, quod interpretantur: virilibus animis, vel viris fortibus. Quæ ratio dura est, etsi ferrem eam in poeta lyrico; et diversa mihi videtur dictis illa *cognatis maculis* infra vs. 160, quæ judice Hein. simillima est. *Urbibus* Cod. Alex. tres alii Paris. et recentt. edd. Prat. et al. hoc est, Calaguri, Numantiæ, Sagunto, ut vulgo putant; aut *urbibus* Poet. pro *urbi*, Calaguri, et hoc pro civibus, ut passim, et apud Græcos πόλις, Ἄργος, Ἑλλὰς, de quo vid. Facius ad Eurip. Orest. vs. 46. Sed hæc quoque ratio longe petita est, lectio tamen illa ab Ach. recepta. Poeta forte scripsit *Civibus*, vel *Fortibus*, vel *Talibus*. *Ventribus* conj. H. Vales. coll. III, 167; IV, 107; XIV, 126, ut pars pro toto (pro viris) posita sit, et error natus ex comp. script. *v̄tribus*. — *Abnueret*, 21.

Not. 104. Conf. Var. Lection.

Var. 105. *Ipsorum*, 61, 62, 63, 65—69, 71—74.

Not. 105, 106. Non poterat gravius exprimi miseratio, qua digni videntur Calaguritani.

Var. 106. *Vescantur, sed melius*, 23—26, 45—48, 54, 56, 58—60, 64, 65. *Vescuntur, sed melius*, 19.

Not. 106—112. Nos quidem Romanos meliora docuit philosophia, inpr. Zenonis, hoc est, Stoicorum, scil. *non omnia*, sed *quædam* tantum pro *vita* tuenda *facienda* esse, et quidem non nisi ea, quæ honesta essent, adeoque Calaguritanis moriendum potius fuisse, quam vitam ratione tam inhonesta et impia producendam. Hæc *Zenonis præcepta* etiam VIII, 83, 84, inculcantur et passim a Stoicis, verb. causs. a Sen. Ep. XVII, LXX, et LXXII, et a Plin. XXVIII, 1, seu 2: « Vitam quidem non adeo expetendam censemus, ut quoquo modo trahenda sit. Quisquis es talis, æque moriere; etiam quum obscœnus vixeris aut nefandus. Quapropter hoc primum quisque in remediis animi sui habeat: Ex omnibus bonis, quæ homini tribuit natura, nullum melius esse tempestiva morte, idque in ea optimum, quod illam sibi quisque præstare possit. » Conf. ad vs. 93, et ad VIII, 83. *Zeno*, Stoicæ sectæ auctor, qui, quod honestum esset, id summum et solum bonum esse dicebat; Schol.

Var. 108. *Facienda putant*, scil. præcepta, 10—12, 15, 16, 45.

NOT. 108. *Sed Cantaber unde Stoicus* esse vel fieri poterat, hoc est, unde Vascones et Calaguritani, gens barbara et rudis, Stoicæ philosophiæ præcepta discere poterant? *Cantaber* (poet. pro *Cantabri*) Hispaniæ septemtrionalis fera et bellicosissima gens (in hodierna *Biscaia*), Vasconibus finitima, unde pro his h. loc. ponitur.

NOT. 109. Q. Cæcilius *Metellus* Pius, Q. Metelli Numidici filius, qui contra Sertorium cum Cn. Pompeio bellum gessit, in quo Calaguris, Lauron, Pallantia aliaque Hispaniæ oppida obsessa sunt.[1] — *Antiqui*, qui *ætate antiqua*, veteri ævo vixit; non, quod vulgo putant, antiquo genere orti, vel post quem alii floruerunt Metelli, vel denique gravis ætate (ut *antiquus Butes* apud Virg. Æneid. IX, 647), ut poeta respexisse videri possit ad faceta Sertorii verba, in concione militum dicta: *Puerum hunc* (Pompeium) *ego quidem, nisi anus illa* (Metellus) *supervenisset, verberibus castigatum Romam misissem* (vid. Plut. in Sertor. Opp. tom. I, pag. 578, ed. Frft.).

VAR. 110. *Nostras Graiasque*, 22. *Notasque* conj. H. Vales.

NOT. 110 seq. Nostris temporibus, quæ contra humanitatem peccantur, non amplius ignorantia vel feritate excusari possint: nam *totus* jam *orbis* terrarum (addere debuisset, quantum quidem nobis, Romanis, cognitus est) *habet Graias nostrasque*, Romanas, *Athenas*, hoc est, literas. Literæ artesque liberales dicuntur *Athenæ*, ut schola, ubi docentur, *Athenæum*, quoniam in illa Urbe potissimum floruere: unde Thucydidi ea dicitur παίδευσις τῆς Ἑλλάδος, Diodoro κοινὸν παιδευτήριον πάντων ἀνθρώπων et Ciceroni (pro Flacco, c. 26), « Urbs, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ atque in omnes terras distributæ putantur. » Simili autem orationis colore poeta III, 62, dixit:

. . . . Syrus in Tiberim defluxit Orontes.

NOT. 111. Eloquentia aliæque artes liberales ex Italia in Galliam et inde in Britanniam transierunt. De Britannis vid. Tac. in Vita Agricolæ, eorum præsidis c. 21. De *Gallia facunda* vid. ad I, 44, et VII, 148.

NOT. 112. Facete hæc et ὑπερβολικῶς dicta. — *Rhetore*. Hoc nomine Schurfl. intelligit præceptorem sive magistrum eloquentiæ, non oratorem: nam « *rhetor* est qui docet literas, atque artis traditor eloquentiæ est: *sophista*, apud quem dicendi exercitium dicetur: *orator*, qui in caussis privatis et publicis plena et perfecta utitur eloquentia; » Marius Victorin. in lib. I Rhetor. Cicer. Verum eam ubique differentiam non tenere contendit Cramer. longamque inde orditur dissertationem, quam legere operæ pretium est, vide eum, pag. 549 seq. ED. — *Thule* extremi septemtrionis insula, veteribus ignota, quorum alii insulas Shetlandicas, Bri-



[1] Conf. Appian. Bell. Hisp. cap. 101, et Civil. I, 97, 108—115; Flor. III, 22; Plut. in Vit. Sertorii et Pompeii.

tanniæ a septemtrione objectas, alii Scandinaviæ penins. (Sueciam et Norvegiam), alii denique Islandiam intellexisse putantur. [1] — *Jam loquitur* et cogitat.

VAR. 113. *Dicimus*, 68.

NOT. 113. *Populus ille*, Vascones, Calaguritani. — *Et tale quid*, tale facinus, *excusat Saguntus*, *par* Calaguritanis *virtute atque fide* (Sertorio ipsisque ejus cineribus præstita, de quo vid. ad vs. 93), *sed major clade*: nam Saguntus expugnata ab Hannibale et excisa, postquam incolæ ex desperatione in rabiem versi se conjecerant in rogum vel invicem jugulaverant (vid. Sil. I, 296; II, 695; Liv. XXI, 5; 15; Polyb. III, 17), Calaguritani autem obsidione liberati (vid. Liv. Epist. 93, et Appian. Bell. civ. I, 112). Vulgo exponunt: *par virtute atque fide* Sagunto, quæ tamen Urbs *majore clade* fuit.

VAR. 114. *Saguntos*, 19. *Sagunto*, 22. — Versus 113, 114, 115, alii ita distinguunt: *Nobilis ille tamen populus, quem diximus* (*et par Virtute.... Saguntus*), *Tale quid excusat;* alii sic: *Nobilis.... diximus, et par Virtute atque fide: sed major clade Saguntus Tale quid excusat;* alii denique ita: *Nobilis ille... diximus, et par Virtute atque fide, sed major clade Saguntus, Tale quid excusat*, ut verba sic jungantur: *Nobilis ille populus*, Vascones, *et Saguntus*, ei *par virtute atque fide*, etc.

VAR. 115. *Fata quid accuset?* conj. Schrader.

NOT. 115 seq. Calaguritanis et Saguntinis si non justam, certe aliquam excusationem et veniam dant obsidio, fames, *virtus et fides*: sed *quid excusat tale* facinus, vel Tentyritæ commiserunt? quid horum sceleri potest prætendi? an speciosum nomen religionis? Nam *sæpius olim*

> Relligio peperit scelerosa atque impia facta,
> Aulide quo pacto Triviai virginis aram
> Iphianassai turparunt sanguine fœde
> Ductores Danaum,

Lucret. I, 83 seq. Sed *Ægyptus sævior* est *Mæotide*, Mæotica, Taurica, *ara* (vid. ad XIV, 286), hoc est, Tentyritarum sævitia major, quam quæ in Chersoneso Taurica exercebatur: nam ibi *immolabantur tantum* homines Dianæ Scythicæ seu Tauricæ, non vero comedebantur. Hæc est sententia vs. 115—119, breviter expressa: quæ brevitas affectui convenit. — *Taurica* scil. terra seu Chersonesus (hod. *die Krim*), peninsula, quam

[1] Conf. Plin. Epist. IV, 16; Isidor. Etymol. XIV; Priscian. in Perieg. III; Voss. ad Virgil. Georg. I, 30; *Dietz.* ad Mel. III, 6, pag. 57; *Schwedische Bibliothek*, part. I, § 12, pag. 22 seq. *Schlözer Allgem. Nord. Gesch.* (seu *Allgem. Welthist.* t. XXXI, p. 14—20, 62, 70, 160 seq. 201 seq. *Dicuil* de Mensura orbis terræ, ed. ab Athan. *Walckenaer* Paris. 1807, p. 29: Voss. *Unters. über Gegenst. der alten Gesch.* pag. 122.

formant et pæne circumfundunt Pontus Euxinus (*das schwarze Meer*) et *Mæotis* palus. (*das Asowsche Meer* vel *Mar delle Zabacche.*) « Juxta *Mæotim* paludem *Taurici* sunt, quorum rex Thoas advenas immolare consuerat, usque in adventum Orestis et Pyladis; quibus agnitis (et Thoante ab iis occiso) Iphigenia, quæ erat templi sacerdos, ablato inde Dianæ signo, aufugit, idque Ariciæ consecravit; » Schol. Fabula notissima.—Vid. ad Sall. nostræ edit. pag. 439, ibique notas. Ed. [1] — *Taurica* scil. terra seu Chersonesus, ut apud Plin. IV, 12. — *Sacrum* Thoas, rex Taurorum, primus instituisse dicitur.

Not. 117. Iterum commenta poetarum, more Juvenalis, perstringuntur. — *Ut*, fac ut, si vel (quamvis) *credas digna fide*, *quæ carmina*, poetæ, *tradunt*, scil. de Thoante, Iphigenia, Oreste ac Pylade. [2]

Var. 119. *Qui* pro *Quis* restitui ex 11, 17, 20, quia mollius est et doctius; vid. Drakenb. ad Sil. II, 645; VII, 538; IX, 651; X, 117; XIII, 450; XV, 668; Heins. et Heyn. ad Virg. Eclog. I, 19; II, 19; Gron. Obss. ad Script. eccles. c. 21; Bentl. ad Horat. Serm. I, 4, 41, 5, 79.

Not. 119. *Hostia*, homo immolandus Dianæ, *nil timet gravius cultro*, timet tantum, ut Deæ mactetur, non, quod multo gravius est, ut ab hominibus sanguinariis devoretur.

Not. 119 seq. *Qui* seu *Quis modo*, nuper, *casus*, quæ calamitas et dira necessitas, *quæ tanta fames* et quæ *infesta arma*, hostiles copiæ, *vallo*, circumvallatione, arcta obsidione, *impulerunt et coegerunt hos*, Tentyritas, *tam detestabile monstrum*, monstrosum scelus (vid. ad II, 122), *audere?* Vascones dira necessitate ac fame ad inhumanitatem, ἀνθρωποφαγίαν, adacti sunt, non Tentyritæ.

Anal. 122, 123. Horum versuum sententia videtur esse hæc: Anne alio graviore scelere ita offendere possent Nilum, ut iratus *surgere*, intumescere et *siccam terram Memphitidem*, hoc est, Ægyptiam, inundatione sua fecundare nollet et ita in *invidiam* odiumque veniret eorum, qui nullo suo merito hanc calamitatem paterentur? Ita conseq. positum pro antec. *invidia* pro ira et calamitate illa. *Invidiam* enim *Diis facere* dicuntur, qui vel ipsi gravissimas calamitates immeriti patiuntur, vel sceleribus suis efficiunt, ut a Diis iratis illæ imittantur multis, etiam immeritis, qui

---

[1] Vid. Strab. V; Herodot. IV, 103, Diod. IV, 3, et 45; Pausan. III, 16; IX, 19; Intpp. Ovid. ex Ponto, III, 2, 45—96, et Trist. IV, 4, 63—82; Spanhem. ad Callim. H. in Dian. vs. 173, 174; Munker. ad Antonin. Liber. fab. 27, et ad Hygin. fab. 98 et 120; Heyn. ad Virgil. Æneidem lib. VII, vs. 761 seq. in Excursu VIII.

[2] Vulgo ita interpretantur: Potes jam credere, illa a poetis decantata esse vera, quum multo immaniora in Ægypto fieri videamus (conf. VI, 643, 644). Sed hæc sententia non in illis verbis inest, et vs. 116—119, de sola ara Tauricæ seu Scythicæ Dianæ agitur.

sinistras inde de Diis opiniones concipiant eosque invidia prosequantur, quia illas immiserint sibi vel contingere passi sint. [1] — Nilus autem ab Ægyptiis inter principes colebatur deos; vid. *Jablonski* Panth. Ægypt. tom. II, pag. 140 seq. et 168 seq.) et quidquid fere mali hominibus contingit, ex communi antiquitatis opinione ab ira Deorum repetendum est. [2] — *Terra sicca,* hoc est, si terra esset sicca, si siccitate laboraret. — *Terra Memphitis*, ut vs. 115. *Mæotis ara*, pro Memphitica (vid. ad XIV, 286), hoc est, Ægyptia; quoniam *Memphis* clarissima olim fuit Urbs Ægypti et sedes regni, ad Delta et sinistram Nili ripam sita, cujus rudera etiam nunc e regione urbis Cairo reperiuntur.

Nor. 123. Varias incrementi Nili caussas tradunt Herod. II, 17—25, et ad eum Wesseling. pag. 113, et 787—802; Athen. II, 88—90, ubi vid. Schweigh. Diodor. I, pag. 33 seq. al. 23 seq. Senec. Nat. Quæst. IV,



[1] Vid. Cuperi Obss. II, 4, et Burm. ad Quint. Declam. VIII, 14, et Edit. nost. vol. V, pag. 189. Ed.

[2] Interpretes, quos consului, alio modo hunc locum explicarunt; nonnulli sic : quo alio scelere ita offendere potuissent Nilum, ut ille *invideret* suas aquas tam impiis hominibus, eorumque agros inundare nollet? alii ita : quo immaniore facinore possent Nilum ad terram inundandam irritare; ut poeta respexerit fabulam de Thasio, qui, quum Ægyptus per novem annos siccitate exaruisset, persuaserit Busiridi, immolato hospite venturos imbres, promissisque fidem ipse immolatus exhibuerit, de quo vid. Hygin. fab. 56, et Ovid. Art. Am. I, 647 seq. unde perperam colligunt, Nilum vel numen hujus fluvii insigni scelere ita ad iram irritari potuisse, ut cresceret et superstagnaret : nam ejus inundatio exoptatissima est Ægyptiis, et irati dii non bona, sed mala hominibus immittunt. Alii *invidiam Nilo facere* simpl. dictum putant pro, iram ei et indignationem movere. Nota Ach. est : « Quivis deus populo iratus pestes, famem aliave mala in eum immittebat; tunc populus omnis ad eum placandum maxima sacrificia, atque etiam humana parabat; et, quo major hostia erat, eo acrius, respectu tanti muneris, *invidia*, æmulatio, deo crescere putabatur : nam beneficia non sine invidia quadam accipiuntur : inde, ad se beneficio liberandum, æmulatio invidiæ filia oritur in animo recipientis, cui nihil satis est, donec tale munus majore rependerit. Sic *invidiam facere Nilo* in sensu quidem abstrusiore idem ac cogere eum maximis hostiis et muneribus, ut etc., vel excitare ejus segnitiem, ut fere pariter Ovid. Art. Am. I, 647 seq. Itaque sententia h. loc. est : Si Nilus iratus Ægyptiis nollet *surgere*, hoc est, Ægyptum inundatione fecundare; numquid ad eum placandum possent aliquid crudelius facere, quam hominem immolare, et ejus membris vesci? » — Cramerus e veteri Schol. locum ita exponit : « *Invidiam facere Nilo*, est, calumniam facere, et exprobrare immissam infertilitatem, dum infamandi dei caussa (*Nilus* enim hic deus Nili) ad illud quod supremum est in famis miseria illico decurrunt. » Ed.

2; Ludolf. ad Hist. Æth. pag. 117 seq.; *Histoire d'Hérodote, traduite du grec, par Larcher*, tom. I, pag. 158—169; *Jablonski* Panth. Ægyp. tom. II, pag. 14 seq. et 163 seq.

VAR. 124. *Britones*, 1, 10, 11, 12, 14, 15, 16, 18, 20, 23—27, omnesque edd. vett. *Brittones*, 17, et edd. recentt. Prat. et al. *Brytones*, 19. *Bistoris*, 21. *Bistones*, 22. Jo. Schraderus in Obss. libro pag. 4—6, docte de hoc loco ita disputavit: « *Britones* in numerum ferarum et immanium gentium referuntur. Id dolens Markland. inustam genti maculam delere tentavit ad Stat. Sylv. IV, 2, 38, reponens: *Cimbri, nec Teutones umquam, Sauromatæve truces*. Vir doctus in Actis Lips. Ann. 1729, pag. 383, testatur, ei accedere quatuor MSS. in quibus *Sauromatæve* legatur; in aliis duobus esse *Bistones* (ut in nostro Cod. 22), vel ex comp. scribendi *Bitones* vel *Btones*. Lectio *Bistones* reperitur etiam in Cod. Perizon. ejusque vel in prima ratio videtur habenda, quod ipse Juvenalis haud leviter eam confirmat, *Sarmatas* et *Thraces* similiter jungens supra III, 79, ut ante Martialis XII, 8, 9. Thracum vero feritatem et crudelitatem omnes omnium temporum scriptores fere notaverunt. Sed et plurimos et locupletissimos diritatis atque immanitatis Britannorum testes ex vetustis monimentis excitavit Barth. ad Claudian. laud. Stil. II, 246; et præcipue Cons. Mall. vs. 51, et Rutil. I, 500; Claud. B. Get. 568; Avien. D. O. T. 418 et 749; Hor. Od. III, 4, 33. Aut igitur vulgata Juvenalis scriptura servanda est, aut locus, quem *Britones* obtinent, *Bistonibus* adsignandus. *Britones* autem et *Britanni* ita dicti a vocab. *Brit*, quod proprie versicolorem, depictum et coloratum denotat: nam moris fuit, ut Britannorum nurus cutem cæruleo colore inficerent, de quo vid. Plin. XXII, 1, seu 2; Mel. III, 6, 155; Camdenus in Britannia, pag. 24 seq., 27 seq. Cannegieter. de Brittenb. pag. 6. » Conf. etiam interpp. Prop. II, 17, 25, al. 18, 23; Herodian. III, 14; Cæsar. Bell. Gall. V, 15; Martial. XI, 53; XIV, 19; Solin. XXII, extr. Nota Achaintri est: « Futilis est Marklandi emendatio: nam his temporibus Cimbri, Teutones, Britones, Sauromatæ, Sycambri ceterique omnes Europæ septentrionalis populi truces et feri erant; nec inde sequitur, Britannos hodiernos, Francos, Germanos, qui ab iis ortum ceperunt, ejusdem feritatis esse participes. »

NOT. 124—128. Ægyptii, vel potius Tentyritæ inhumanitate superant barbaros populos. — *Qua* scil. rabie sæviunt. De *Cimbris* vid. ad VIII, 249 seq. *terribiles*, qui ingentem olim terrorem incusserunt Romanis. — *Britones*, vid. Var. Lection.

VAR. 125. *Sauromatæve* pro vulg. *Sauromatæque* revocavi ex 11, 17, 20, 21, 22, 24, 45, 49, et quatuor MSS. de quibus vid. quæ modo dixi ad vs. 124. *Sauromatesve*, 19. — *Nec* pro *aut*, 15.

NOT. 125. *Sauromatæ*, vid. ad II, 1. — *Agathyrsi*, Scythica gens in Sarmatia Europæa, Gelonis contermina, ambiens Mæoditis paludis flexum vel, ut alii dicunt, accolens Marisium fl. qui, si Herodoto fides habenda, in Danubium influit. Quod si verum est, sedes hujus populi in

hodierna Transilvania fuere. [1] — *Immanes*, feri, etsi molles fuere, ut omnes Thraces, teste Herodoto.

Var. 126. *Immane* pro *imbelle*, 25, 46, 48, 49, 54, 55, 57, 59, 60. Sed voc. *immane* modo præcessit. — De metro h. loc. vid. supra ad VI, 274.

Anal. 126 seq. Acerba irrisione et indignatione hæc dicta de Tentyritarum omniumque simul Ægyptiorum, qui Nilum accolunt, inpr. Alexandrinorum et Canopitarum, mollitie, quæ mirabilem facit illam feritatem et barbariem.

Var. 127. *Sutilibus* pro *fictilibus* conj. Schrader. coll. Virgil. Æneid. VI, 414, ubi vid. Cerd. et Heyn. — *Solidum*, 74. — *Phasellis*, 25, 27, 46—50, 55, 57, 58, 61, 62, 64, 66, 73. At vid. Comm.

Not. 127, 128. Poeta non ea respexisse videtur, quæ Seneca Natur. Quæst. IV, 2, sed quæ Strab. XVII, pag. 801, A, de mollitie Alexandrinorum, Canopum in Nilo navigantium, tradit: Ἀντὶ πάντων δ' ἐστὶν ὁ τῶν πανηγυριστῶν ὄχλος τῶν ἐκ τῆς Ἀλεξανδρείας κατιόντων τῇ διώρυγι. Πᾶσα γὰρ ἡμέρα καὶ νὺξ πληθύει τῶν ἐν τοῖς πλοιαρίοις καταυλουμένων καὶ κατορχουμένων ἀναίδην μετὰ τῆς ἐσχάτης ἀκολασίας, καὶ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν. Ibidem dicit tanta facilitate navigari, ut scaphis etiam utantur testaceis, quæ, hoc loco vocantur *fictiles phaseli* et *picta testa*.

Nam qua Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum,
Et circum pictis vehitur sua rura faselis,

Virg. Georg. IV, 287 seq. qui locus haud dubie Juvenalis animo obversabatur, et ubi Heyn. jam ex Diodor. I, 98, et Herod. II, 96, 97, notavit, hoc proprium fuisse Ægyptiorum, ut certo navicularum genere, cui *Baris* nomen fuerit, cymbis papyraceis, per Nilum discurrerent. [2] Sed quomodo testaceæ vel *fictiles* scaphæ aquis sustinebantur? Ita quærebat Grangæus putabatque, satisfacturum nobis Senecam Nat. Quæst. III, 25. Nota Ach. est : « Minime physici est talis quæstio. Omne vas concavum, quælibet sit ejus materia, omnis cymba aquas supernatat, dummodo sit illi pondus minus et superficies æqua aquæ columnæ ipsam sustinenti. » Conf. Salmas. Exerc. Plin. pag. 1116. — *Fragiles phaseli* dicuntur Hor. Od. III, 2, 28, et Ovid. ex P. I, 10, 39. — Cramer. fatetur se in hoc loco semper hæsisse, et quum veteris moris in rebus domesticis hodienum Ægyptii sint retentissimi, nec quisquam e tot peregrinantibus, quorum

[1] Conf. Herod. IV, 100, 102, 104, 125; Plin. Hist. Nat. lib. IV, 12 seu 26; Mel. II, 1; Virg. Æneid. IV, 146, ubi vid. Heyn. in not. et Excurs. II, nost. edit. vol. II, p. 493 et 561. Ed.

[2] Conf. Plin. VI, 22; XIII, 11, Theophr. H. Plant. IV, 9; Plut. de Is. et Os. pag. 358; Lucan. IV, 135 seq. et intpp. Vet. Test. ad Exod. II, 3, et Jes. XVIII, 2.

itineraria nostris præsertim temporibus larga copia in lucem edita sunt, harum fictilium cymbarum vel e longinquo mentionem injecerit, hinc suspicatur vir clarissimus in voce *fictilibus* apud poetam antiquum ulcus latere; nam de vocab. *testæ* facilius cum eo transigi posse existimat. Ed. — *Phaselus* seu *faselus* navicula longior et angustior (*Gondel*), sic dicta a forma leguminis, φασήλου (quod est genus fabarum, *Türkische*, *grosse*, *Sau-Bohnen*, de quo vid. interprett. Virgil. Georg. I, 227), et miræ velocitatis, quam potissimum debebat proræ, longe et oblique supra aquam porrectæ; vid. Voss. ad Catull. IV, 1. — *Remis incumbere*, ut al. *insurgere*, ἐμβαλεῖν κώπαισι Pind. Pyth. IV, 356, ἐπιῤῥώοντ' ἐλάτῃσι Apollon. II, 663. Similiter *adsurgere in hastam*, *clipeum*, *ensem*, *ictum*, ἐρείδειν, ἐπερείδειν τὸ ἔγχος. *Testæ*, scaphæ testaceæ; *remis brevibus*, naviculæ aptis.

Not. 129. *Pœnam sceleri*, quæ Tentyritarum sceleri debetur.

Not. 130. *In quorum mente pares sunt ira atque fames*, qui putant aut certe putare videntur, nihil differe, utrum quis sola ira et odio, an dira fame motus carne humana vescatur, quique hinc per iram eadem nefanda faciunt, quæ alii (Calaguritani et Saguntini) per famem, et quæ sola fames aliquantulum excusat. [1]

Not. 131 seq. Aureæ sententiæ, sed declamatoria magis, quam satirica arte prolatæ. — Sævitia illa Tentyritarum est præter naturam, quæ non ad crudelitatem formavit homines, sed *cor mollissimum* dedit et ad misericordiam propensum; quod vel eo *fatetur*, indicat (ut X, 172), quod non aliud animalium genus *lacrymas* fundere potest. « Natura hominem tantum nudum et in nuda humo natali die abjicit ad vagitus statim et ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrymas, et has protinus vitæ principio : at hercules risus, præcox ille et celerrimus, ante quadragesimum diem nulli datur. » Plin. VII, 1.

Var. 133. *Pars ultima*, 81. *Pars intima*, 64, ex emendat. Britann. ut sensus sit : lacrymæ sunt, quæ interiorem sensus nostri partem pietatemque patefaciunt.

Not. 133. *Optima* et propria *pars*, indoles et affectio, *nostri sensus*, animi vel mentis, est mollities et miseratio.

Var. 134. *Casum lugentis amici* recte, opinor, conj. Curio coll. Virg. Æn. II, 93. *Casum* legitur in 16, et III Codd. Paris. *Lugentis*, in 10, 21, 22, 24—27, 45—50, 54—69, 71 (in quo tamen vitiose *lucentis*), 72, 73, 74, et XV

[1] Ita h. loc. interpretari malim, quam cum Britannico *iram* referre ad impulsum iræ mentisque impetum, qui non in potestate nostra est, et *famem* ad deliberatam voluntatem cupiditatemque sævam, qua gravius peccatur. — Eumdem hunc sensum recipere non dubitavimus. Ed.

MSS. Paris. Utrumque nunc recepi pro vulgata lectione *caussam dicentis*, quæ vix cuiquam placebit, nisi Heyn. qui eam tuetur coll. VIII, 27; XII, 46; Virg. Æneid. VIII, 619—621, et XI, 171. Pro *casum* forte quidam librariorum reposuerunt *caussam*, et deinde alii aptum ei vocabulum *dicentis* commenti sunt.

Not. 135. *Squalorem* vel *sordes* tam *reorum*, quam supplicantium lugentiumque, ad miserationem movendam spectare, vel tironibus nota res est. *Squaloremque rei* et (vid. ad IV, 63, in Var. Lect.) *pupillum ad jura*, jus, *vocantem circumscriptorem*, tutorem, qui pupillum bonis suis fraudavit. Conf. ad I, 46, 47; X, 222, et huj. loci Var. Lect. — Intelligit hic Cramer. *actionem* rationibus distrahendis, quam finita tutela instituit pupillus contra tutorem ob interceptam pecuniam pupillarem maleque redditas rationes, idque in duplum. Ed.

Var. 136. *Fletus*, 27, 47, 50, 54, 64. *Fletum*, 44. Alterutra lectio videtur probanda; vid. supra ad VI, 623.

Not. 136, 137. Designantur fletus, pueritia et decora facies pupilli, quæ omnia ad miserationem augendam valent. — *Cujus* pupilli *capilli puellares*, longi et fluentes, quales esse solent puellis puerisque delicatis, *ora manantia fletu*, lacrymis, *faciunt incerta*, hoc est, incertum faciunt adspicienti, sitne puer an puella. Venustæ ideæ, eleganter, ut passim a poetis, expressæ.[1] — Non delicatorum tantum, sed et communis hic puerorum apud Romanos universorum habitus fuit, ut recte notat Cramer. ad h. loc. Comati enim pueri, tonsi demum erant et circumcisis ab aure descendentibus capillis, ubi vestem pupillarem deposuissent. Itaque hic repræsentatur adolescens, a tutore bonis spoliatus, qui propter luctum, etsi liberatus tutela, puellares capillos nondum deposuit, quum potuisset jam et debuisset comam circumcidisse. Ed.

Not. 138, 139. Henninius: « Vix est, inquit, ut Juvenalis hodiernis moribus persuadeat, fieri hunc *gemitum naturæ imperio*, quandoquidem sine ullo gemitu fere ea funera quotidie occurant. Sed ne quis Juvenalem φιλοσοφώτατον ἀφιλοσοφίας arguat, notandum, Veteres statuisse, infantum animas semper flere ceu acerbo funere mersas, idque hausisse eos ex Platonicorum dogmatis; quod docet Virg. Æneid. VI, 426 seq. Sane hæc serio credentem Natura non reluctantem ducet conspecto infantis funere ad gemitus, tactum scil. commiseratione humanitatis nostræ et ætatulæ illius, quæ boni malique juxta gnara innocentes animulas

[1] Vid. Mitscherl. ad Hor. Od. II, 5, 23, 24, et Gierig. ad Ovid. Met. VIII, 322; IX, 711; adi quoque Ovidii edit. nost. vol. IV, p. 31 et 143. Ed. —A quibusdam *cujus* ad *circumscriptorem* refertur. « *Puellares capilli*, tristitia et squalore longiores : quum enim rei tenemur, et capillos demittimus; qui faciunt nos interdum vultum habere, tanquam puellæ. » Schol.

æternum fleturas acerba morte exhalat.» At illam fuisse antiquitatis opinionem, non persuasit mihi locus Virg. neque de infantibus tantum, sed virginibus quoque, immatura morte obeuntibus, h. loc. sermo est. Naturæ autem vis infringitur corruptis sæculi moribus; et de miseratione idem fere valet, quod de pietate dixit Valer. Max. V, 4, ext. 5.

NOT. 139. *Quum terra clauditur*, conditur, *infans, et*, etiam, *minor igne rogi*, junior, quam ut cremari fas sit. «Editis primores septimo mense gigni dentes, haud dubium est.... Hominem prius quam genito dente cremari, mos gentium non est,» Plin. VII, 16, seu 15, «Suggrundaria antiqui dicebant sepulcra infantium, qui necdum XL dies implessent, quia nec busta dici poterant; quia ossa quæ comburerentur non erant: nec tanta cadaveris immanitas, qua locus tumesceret. Unde Rutilius Geminus Astyanacte ait: Melius suggrundarium misero quæreres quam sepulcrum,» Fab. Planciad. Fulgent. in Exposit. serm. ant.[1]

VAR. 140. *Ut minor* conjicit Schraderus. — *Aut face*, 61, 62, 63, 65—69, 71—74.

VAR. 141. *Qualis*, 16.

NOT. 140, 141. Docte et exquisite homo pius, probus et innocens designatur: non alius enim erat *dignus face arcana*, hoc est, dignus, qui initiaretur vel interesset mysteriis (vid. ad II, 89) sive sacris Cereris *arcanis*, mysticis, quæ effari nefas erat quæque secreto et noctu agebantur (vid. Spanh. ad Callim. H. in Cer. vs. 7), unde et *nocturnus* vocatur *Bacchus* Virg. Georg. IV, 521, et *nocturna Mænas* Sil. III, 395, ubi vid. not. Hinc qui *Cereris sacrum vulgarit arcanæ* docte pro scelestissimo quovis dicitur Horat. Od. III, 2, 26, ubi conf. Mitscherl. Quinto autem mysteriorum et quidem magnorum die, qui dicebatur ἡ τῶν λαμπάδων ἡμέρα, in memoriam Cereris, Proserpinam filiam accensis facibus quærentis, *faces* ardentes quum ante fores ponebantur (vid. Plut. Cic. tom. I, pag. 871), tum a viris et feminis gestabantur; unde δᾳδοῦχοι et δᾳδουχεῖν τὰ μυστήρια.[2] Hi itaque δᾳδοῦχοι non amplius μύσται erant vel ad μυστήρια tantum μικρὰ admissi, sed jam ἔφοροι sive ἐπόπται, quibus *sacerdos* Cereris (ἱεροφάντης, ἱεροφύλαξ, ἱερονόμος, μυσταγωγὸς) μυστήρια μεγάλα et arcanas eorum cærimonias revelaverat, habita ante severa quæstione de vita potissimum pure et sancte acta.[3] Hinc intelligitur vis verborum, *qualem* initiandum *Cereris vult esse sacerdos*. Simili sensu castæ ac probæ mulieres dicuntur

[1] In Mythogr. Lat. t. II, p. 171, ed. Munckeri. Formam suggrundarii ex Jo. Bapt. *Suarez*. Antiquit. Gadit. Hispanice scriptis, IV, 4, depinxisse Casp. Barthol. de Puerp. vett. p. 167, notat Hennin.

[2] Conferantur Meurs. de Eleusiniis, c. 25; Casaubonus ad Theophrast. Charact. c. 3, et *Creuzer's Symbolik*, tom. III, pag. 473; tom. IV, pag. 520 seq. 563.

[3] Conf. Meurs. de Eleusiniis, et Potteri Archæol. Gr. lib. II, cap. 20, vol. I, pag. 851, vers. Rambach.

Cereris vittas contingere dignæ sup. VI, 50, ubi vid. not. Ceterum δᾳδοῦχος etiam κατ' ἐξοχὴν vocabatur sacerdos quidam Cereris, adjutor ἱεροφάντου, et ἀγὼν λαμπαδοῦχος in aliis quoque sacris, verb. causs. in Ἡφαιστείοις, Παναθηναίοις et Προμηθείοις, instituebatur ab iis, qui accensis currebant facibus easque inexstinctas ad metam ferre jubebantur.

Var. 142. *Separet hoc nos*, 23. *Separat hæc* (natura, vel pietas, humanitas et misericordia) *nos*, 10, 24, 25, 27, 46—50, 54—69, 71—73, probb. Mancin. et Ascens.

Not. 142. *Qui bonus ulla mala* humana *credat sibi*, a se, *aliena* esse, non credat sibi accidere posse, quæ aliis contingere videt, vel credat, hæc aliorum mala ad se non pertinere, adeoque iis non afficiatur et doleat? « *Iste versus* (Terentii Heautont. I, 1, 25) *et in pectore, et in ore sit :*

Homo sum, humani nihil a me alienum puto. »

Senec. Epist. 95. Eumdem versum laudavit Cic. Off. I, 9.

Var. 143. *A grege brutorum*, 16. — *Solum*, 22.

Not. 143. *A grege mutorum* animalium, quæ nec malis alienis dolent, nec bonis lætantur. *Venerabile ingenium*, intelligentiam et rationem. — Recentissimus apud nos Juvenalis interpres active capit τὸ *venerabile*, quod mox explicetur per hæc, *divinorum capaces*. Ed.

Not. 144. Divinorum, rerum divinarum, capaces, intelligentes. « Deus homines humo excitatos celsos et erectos constituit, ut deorum cognitionem, cælum intuentes, capere possent : sunt enim homines non ut incolæ atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque cælestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet, » Cic. N. D. II, 56.

Not. 145. *Capiendis*, cognoscendis ac discendis.

Var. 146. *Duximus arce*, 45.

Not. 146. *Sensum*, mentem seu animam ratione præditam, ex anima mundi, cujus natura ætherea et ignea, sedes autem præcipua in *cælesti arce*, in cælo et sideribus est, duximus. Conf ad vs. 84, 85. Cic. Tusc. Quæst. I, 27 ; Muncker. ad Fulgent. II, 9 ; Heyn. ad Virg. Æn. VI, 730 seq. et in Exc. XIII.

Not. 147. Conf. Ovid. Met. I, 84 seq. (ex quo loco verba etiam petita), Cic. N. D. II, 56 ; et Leg. I, 9, pro Sallust. B. Cat. 1, ubi vid. Corte, Herderi *Ideen zur Philos. der Gesch. der Menschh.* tom. I, pag. 219 seq. *Prona* animalia, ad terram incurvata.

Not. 148 — 158. Egregius locus, expressus forte e Cic. de Invent, I, 2, et Horat. A. P. 391 — 399. Eadem non rationi humanæ, sed culinariæ arti lepide tribuit coquus Athenionis ap. Athen. XIV, 23. *Anima* Gr. ψυχή, est id, quo vivunt, sentiunt ac moventur et homines et cetera

animantia, quæ inde nomen habent, vis vitalis, vegetabilis ac sensitiva, quæ plantis etiam et arboribus tribuitur: *animus*, νοῦς et φρὴν, est mens, vel id, quod in nobis cogitat, intelligit ac vult, et quo sapimus.

Not. 150 seq. *Mutuus affectus* benevolentiæ atque amoris et communis utilitas sunt vincula societatis humanæ, quod præclare docet poeta. Conf. Senec. Epist. 95, et de Ira, I, 5.

Var. 151. *Et migrare*, 25, 27, 46—50, 54—69, 71—74.

Not. 151. Conf. Horat. Sat. I, 3, 105; et Cic. Tusc. Quæst. V, 2 seu 5. *Dispersos* per deserta et silvas homines *trahere*, contrahere, congregare, *in populum*, civitatem.

Var. 152. *Ac*, 19. — *Linquere terras*, 21.

Not. 152. Conf. VI, 2, 3, *proavis*, a majoribus.

Not. 153. *Laribus*, ædibus.

Var. 154. *Limine* recepi ex 16, 17, 19, 20, 23—27, 45, 46, 47, 49, 50, 55—69, 71—74, et XX MSS. Paris. *Limite* in reliquis libris.

Not. 155. *Ut collata*, mutua, *fiducia* et spes auxilii etiam noctu *tutos* præstaret homines *vicino limine*, junctis ædibus et vicino opem ferente vicinis.

Not. 156. *Nutantem*, labantem, ita vulnere debilitatum, ut pedibus amplius consistere nequeat.

Var. 158. *Aut una*, 45. — *Tueri*, 16.

Anal. 158—174. Magna orationis vi et verborum gravitate increpatur odium, quo se invicem prosequuntur homines.

Not. 158 — 164. Hæc si non prorsus, tamen maximam partem veritati consentanea sunt et h. loc. aptissima. Feras non nisi in diversa genera sævire, contendunt etiam Horat. Epod. VII, 11, 12; Plin. VII, 1; Sen. Epist. 95 de Clem. I, 26; et Controv. 9 aliique. Sed vid. Mitscherl. ad Hor. loc. cit. Harduin. ad Plin. loc. laud. Bernart. ad Stat. pag. 37; Scalig. ad Varr. pag, 118; et Exerc. 240, adv. Cardanum pag. 737; Brod. Miscell. III, 28.

Not. 160. *Cognatis maculis*, hoc est, feræ, easdem maculas habenti, *parcit similis fera*, pardus pardo, lynx lynci, tigris tigridi. — Vid. infra quæ notamus ad finem Satiræ. Ed.

Var. 163. *Rapida*, 13, 19—21, a m. pr. 22, 23, 28, 68, et quidam Codd. Paris. solenni errore. Conf. supra VI, 428; Burm. ad Prop. p. 553; Bronkhus. ad Tibull. IV, 1, 72, et nos ad Sil. V, 451.

Not. 165 — 171. Homines non modo se invicem occidunt ferro, sed etiam comedunt. *Nefanda* epitheton rei et affectui aptissimum.

Var. 166. *Ac* pro *et*, 13, 17, 20, 22 23, 45.

Not. 166 — 168. Primi fabri ex ferro instrumenta rustica parabant, non gladios. Conf. Plin. XXXIV, 14; Senec. de Ben. VII, 10; Tibull. I, 3; Virg. Georg. II, 538 — 540.

Var. 168. *Nescierant* Serv. ad Virg. Georg. II, 540. *Nescierunt*, 23. Male, etsi non obstat metrum; de quo vid. ad Sil. V, 264. *Nescirent*, 10, 11, 13, 16, 20, 24. *Nec scirent*, 21, 22. *Nescirint* rectius videbatur Schurzfl. Mox *extundere* restitui ex 2, 4, 10, 17, 20, 21. *Excudere*, 15, 19, 25, 27, 46—50, 54—64, 66—69, 71—74, 81, et Serv. ad Virg. loc. laud. *Excludere*, 65. *Extendere* (scil. cudendo seu malleo, hoc est, cudere), 14, 16, 18, 22, 23, 24, 70, 75, 76, 77, 82. Conf. Heyn. ad Virg. Æneid. VIII, 665, in Var. Lect. ubi jam monuit, *extundere* exquisitius esse id. qd. *excudere*, tum et omnino proferre, invenire, ut Virg. Georg. I, 133; IV, 315, 328. Antiqua haud dubie scriptura fuit *extñdere*, et inde orta hæc varietas: *extundere*, *extendere*, *excudere*, *excludere*, quæ etiam in MSS. Paris. reperitur.

Not. 168. Conf. Var. Lect.

Not. 169. *Populos*, Tentyritas.

Not. 171. seq. Similis color orationis II, 1 seq. et 153 — 158. Præclare autem anthropophagis opponitur *Pythagoras*, qui *cunctis animalibus*, hoc est, eorum carne, et quibusdam quoque *leguminibus abstinebat* (vid. ad III, 229), ac lepide simul hujus philosophi doctrina de μετεμψυχώσει et, quem inde præcipiebat, victus irridetur, quam etiam perstrinxit Cic. de Div. II, 58, et asperioribus facetiis Lucianus in Dialogo, qui Ὄνειρος ἢ Ἀλεκτρυών inscribitur. — Pythagoræ doctrinam exquisitiori carmine exponit Ovidius, qui Samium philosophum loquentem inducit (Metam. lib. XV, vs. 75 sq. edit. nost. vol. IV, p. 501). Eamdem sententiam amplexus est recentiorum philosophorum eloquentissimus *J. J. Rousseau*, qui Plutarchi locum (περι Σαρκοφαγίας, λογος α) non impari orationis colore repræsentat. Sed adeas inprimis *V. C. Barthélemi*, *Voyage du jeune Anacharsis*, cap. LXXV, ubi Pythagoræ instituta accuratissime recenset, et ingeniosa defensione illustrat, citatis Diogen. Laert. lib. VIII, § 13; Jambl. cap. 24, pag. 90; Porphyr. Vit. Pythagor. pag. 24, et de Abstin. lib. II, pag. 124; Rittershus. Vit. Pythagor. pag. 22; Anon. apud Phot. pag. 1316. Ed.

Var. 172. *Quonam fugeret*, 19.

Not. 172. *Hæc*, talia, *monstra*, monstrosa, portentosa scelera (ut vs. 122, ubi vid. not.), qualia perpetrarunt Tentyritæ.

Not. 174. *Tanquam homine*, tanquam hominis, non animalium caro esset; vel tanquam animalia vix different ab hominibus, quia animæ illis essent, quæ in corpora eorum transmigrassent e corporibus humanis. Conf. XIV, 98. — *Ventri indulsit*, edere permisit, *non omne legumen*, sed quædam edere vetuit; e quibus præsertim faba, quam festivo urbanoque stylo *Pythagoræ cognatam* vocavit Horatius (lib. II, Sat. VI, vs. 63). Namque Pythagoras ex eadem origine et eodem tempore cum

homine natam fuisse fabam asserebat, unde Horatius, hanc non homini cognatam, ex Pythagoræ sententia, sed ipsi Pythagoræ soli cognatam salse et satirice dixit. Pythagoras a fabis abstinere præcepit, quia in illis residere mortuorum animas putabat, et verebatur ne in fabam aliquam patris animus immigrasset; credebat etiam fabarum cauliculis ascendere animas hominum ex Orco, quod faba genitale caput referret. Inferorum portas etiam appellabat fabarum caules, quod geniculis carerent. Flamines non vesci faba traditum est, quoniam in ejus flore literæ lugubres reperiri credebant. Theophrastus principium germinandi in faba instar membri habere refert, idque etiam in cicere et lupino cerni. Vide et alias rationes in Rutgersii Venusinis lectionibus, cap. 24. Ed.

Totum hunc locum a vs. 159 fere usque ad finem imitatus est Nostras *Boileau* : is quam feliciter cum Romano satirico sit colluctatus, peritorum sit judicium. Sat. VIII, vs. 125 seq.

« Voit-on les loups brigands, comme nous inhumains,
« Pour détrousser les loups courir les grands chemins?
« Jamais, pour s'agrandir, vit-on dans sa manie
« Un tigre, en factions partager l'Hyrcanie?
« L'ours a-t-il dans les bois la guerre avec les ours?
« Le vautour dans les airs fond-il sur les vautours?
« A-t-on vu quelquefois dans les plaines d'Afrique,
« Déchirant à l'envi leur propre république,
« *Lions contre lions, parens contre parens,*
« *Combattre follement pour le choix des tyrans ?*
« L'animal le plus fort qu'enfante la nature,
« Dans un autre animal respecte sa figure....
« L'homme seul, l'homme seul, en sa fureur extrême,
« Met un brutal honneur à s'égorger soi-même.
« C'était peu que sa main, conduite par l'enfer,
« Eût pétri le salpêtre, eût aiguisé le fer, etc. »

Totus hic locus satirica vi et impetu plenus, palmam si non reportat, saltem disputare, et in dubium vocare mihi videtur. Ed.

SATIRÆ DECIMÆ SEXTÆ

ARGUMENTUM.

Militiæ mores et commoda magna videte.
Seu
Militiæ mores et commoda dinumerantur.

MILITIÆ PRIVILEGIA. — DE FELICITATE MILITUM. — DE CASTRENSIBUS. — AD GALLUM DE MILITIA. — DE MILITIBUS.

Conditionem militum multis partibus meliorem, quam paganorum, esse ostenditur (vs. 1—16) (α), quod illi ab his non facile ullam accipiant injuriam eamque impune iis inferre possint, quum proprios habeant judices, et lege Camilli extra vallum litigare vetentur, commilitones autem non modo reum per fas ac nefas tueantur, sed damnatum quoque vindicent (7—34) (β); quod confestim iis, et quoties lubeat, jus dicatur, et neque initium, neque finis litium in longinquum differatur tempus (35—50) (γ); quod peculium iis sit castrense, et hinc jus testandi vivo adhuc patre (51—56) (δ); quod phaleras, torques aliaque virtutis præmia consequantur, quum ipsius ducis referat, et honorari milites et locupletari (56—60).

SATIRÆ DECIMÆ SEXTÆ

ANALYSIS.

In priore hujus Satiræ parte (vs. 1—34) poeta satis ingeniosam ei formam induisse, et, dum aperte commoda militiæ recenset, tecta ironia ac laudis specie vituperationi imposita nimiam militum licentiam insolentiamque, quam illis temporibus vix Imperatores coercere audebant, perstringere videtur. Eam non integram superesse quidam opinati sunt, quia tam brevis forte est et argumenti tractatio non omnibus numeris absoluta : nam plura militiæ commoda atque privilegia, quum legibus, tum Imperatorum edictis constituta et concessa, a Polyb. VI, 39; Lips. Mil. Rom. V, 19,

et de Magnitud. Rom. I, 6, aliisque memorantur. Sed quis poeticam rei expositionem ita ad calculos vocabit? — Quo loco et qua occasione hæc Satira sit scripta, parum constat. Nonnulli putant, eam a Juvenale, quum primum jussu Domitiani venerit in Ægyptum, compositam esse in Paridis pantomimi invidiam, quo auctore ab Urbe remotus sit, et falsa honoris specie cohorti præfectus, et militiæ laudari commoda, ne Paris conditionem poetæ, quod maxime optaverit, miseram esse crederet et infelicem. Sed Juvenalis non a Domitiano et Paride, sed ab Hadriano in exsilium est missus (vid. Vita ejus): unde in hujus saltem Imperatoris et histrionis, qui ei in deliciis fuit, invidiam hæc scripsisse censendus est. Si tamen poeta noster hujus carminis auctor fuit, suspicari malim occasionem ad illud conficiendum ei oblatam fuisse a Gallo, amico in militiam eunte. Utrum vero hæc Satira Juvenali sit tribuenda, jam olim fuere, qui addubitarent. Scholiastes, a Barth. Advers. XIV, 16, laudatus, hæc adnotavit: Quidam dicunt, non esse Juvenalis, sed ab ejus amico appositam. Vetus Schol. Pithœi: Ista a plerisque exploditur, et dicitur non esse Juvenalis. His adstipulantur Grotius ad Luc. III, 14; Rutgers. Var. Lect. IV, 4, pag. 338; Angel. Decembr. Polit. liter. p. 59 seq. Barth. loc. cit., Plathner., Bahrdt. et alii; sed refragantur Dempster. ad Coripp. pag. 137; Scalig., Schurzfleisch. aliique multi. Neque hæc lis facile dirimenda est, quum in utramque partem quædam eaque satis gravia disputari possint. In antiquissimis libris hanc Satiram non exstare testatur Valla: penultima est in Codd. nostris 12 et 15, nec non in aliis Calderini, quod probat Schol. Barth. Primis quoque versibus ingrata, ne dicam insulsa, inest tautologia, qua eadem notio quater exprimitur: « felicis militiæ, prospera castra, secundo sidere, fati benigni. » Hoc tamen Satiræ principium si exceperis, non plane dedeceret Juvenalem, eam scripsisse: nam et a stylo ejus rhetoricaque rerum tractatione haud abhorret, et politissimis placet facetiis. Nonnulla etiam ejus loca tamquam Juvenalis laudantur tum a Servio in Virg. Æneid. I, et II, tum a Prisciano lib. VIII, c. 9 et 14. Quæ quum ita sint, Satira hæc vel ab ipso Juvenale, forsan admodum sene, aut non satis limate, vel ab antiquiore saltem scriptore, qui haud invita Minerva animum ad satiricam poesin applicuerit, composita videtur. Schurzfleisch. monet, stilum variare secundum ætatem, et Juvenalem forsan valde senem scripsisse hanc Satiram, quum in Ægyptum a Domitiano (immo Hadriano) relegatus esset. Plathnerus contra suspicabatur, eam a

quodam erudito literatore ad stabiliendum figmentum hujus relegationis fuisse conditam. Adnotatio Heineckii est hæc : « Non facile adduci potero, ut credam, hanc Satiram Juvenalis esse; quippe in tractatione summæ inest quod displiceat, et a Nostri consuetudine alienum videatur. Juvenalis si talem materiam tractare voluisset, haud dubie de commodis militum copiosius disputasset. Sed hic auctor quam jejune versatus est in suo argumento tractando! Promittit loqui de commodis communibus militibus, sed loquitur tantum de uno. Primis vero Satiræ versibus nemo offendetur, qui meminerit, *castra* sæpius dici pro ipsa expeditione. Conf. Oudend. ad Lucan. I, 374. Si expeditio prospera est, opto, ut ego quoque secundo omine ejus particeps sim. Expeditio enim bene cedere potest, et tamen singuli homines possunt esse infelices. » Hoc itaque est sapere; et offendere potest voc. *castra*, non felicitatis notio toties inculcata.



N. B. In illa divisione Satirarum quam primo volumini, pag. XI præfiximus, hoc DECIMÆ SEXTÆ Satiræ fragmentum non indicavimus, siquidem QUINTUS liber, ut diximus, tres ultimas, nempe XIII, XIV, XV, complectatur. Hanc divisionem retinuimus inviti quidem, quia ibi nulla mentio hujus XVI Satiræ tanquam ultimæ daretur. Sed quum eadem manca esset, neque Juvenali ab omnibus plano jure adscriberetur, noluimus tunc illi, velut aliis integris, numerum et ordinem certum assignare; ergo in computatione prima, neque obliti, neque errantes volebamus omittere; satis fore rati, si tantum in fine hujus quinti libri rationem illius inserendæ redderemus. ED.



SATIRA DECIMA SEXTA.

Quis numerare queat felicis præmia, Galle,
Militiæ? nam si subeuntur prospera castra,
Me pavidum excipiat tironem porta secundo
Sidere: plus etenim fati valet hora benigni,
Quam si nos Veneris commendet epistola Marti,
Et Samia genitrix quæ delectatur arena.
Commoda tractemus primum communia, quorum
Haud minimum illud erit, ne te pulsare togatus
Audeat; immo, etsi pulsetur, dissimilet, nec
Audeat excussos Prætori ostendere dentes,
Et nigram in facie tumidis livoribus offam,
Atque oculum medico nil promittente relictum.
Bardaicus judex datur hæc punire volenti,

SATIRÆ DECIMÆ SEXTÆ INTERPRETATIO.

1. Quis possit, Galle, fortunatæ militiæ commoda recensere? Ego certe, si qua daretur occasio militandi fortunatis in castris, licet imperitus admodum belli ac tiro plane sim, non dubitem nihilominus ea subire faustis ominibus et annuente fato; cujus opportunitas et numen majoris ad felicem militiam est momenti, quam si commendatitias ad Martem literas habeamus a Venere, aut etiam Junone, quæ eum genuit, et quæ Samum inprimis diligit.

7. Primo quidem videamus commoda quæ sunt omnibus militibus communia. Inter illa hoc ultimo loco numerandum non est, quod nullus civis audeat militem percutere? Immo quamvis a milite civis perculsus ipse fuerit, sileat, nec audeat judici monstrare dentes sibi extusos, ac lividum tuberibus nigris vultum, oculumque unum effossum omnino, alterum vero ita vulneratum, ut medicus

Calceus, et grandes magna ad subsellia suræ,
Legibus antiquis castrorum et more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra,
Et procul a signis; justissima Centurionum
Cognitio est igitur de milite; nec mihi deerit
Ultio, si justæ defertur caussa querelæ.
Tota cohors tamen est inimica; omnesque manipli
Consensu magno efficiunt, curabilis ut sit
Vindicta et gravior, quam injuria : dignum erit ergo
Declamatoris mulino corde Vagellî.
Quum duo crura habeas, offendere tot caligas, tot
Millia clavorum ! quis tam procul absit ab Urbe?
Præterea quis tam Pylades, molem aggeris ultra
Ut veniat? lacrymæ siccentur protenus, et se

nil opis salutisque promittat. Quod si tamen civis militem in jus vocet ad pœnas expetendas, statuetur controversiæ judex tribunus militum, Bardaica indutus veste cum suis grandibus calceis, et magnis torosisque cruribus, ac vasto corpore subsellia tota implens : nempe ut serventur priscæ lèges, et Camilli præscriptum, quo vetantur milites extra vallum et procul a vexillis caussam dicere. Æquissimum est, inquis, ut de militis caussa cognoscant centuriones, qui sunt illius germani judices, quorum est spectata probitas et justitia; atque adeo fieri non potest, quin pœnas mihi det miles, si justas esse meas querelas ostendero; esto sane; at cohors tamen integra est infesta, et omnes manipuli una voce adversantur, atque obstrepunt. Quid igitur proficietis tu ac togati quicumque militem accusabunt? efficietis hoc utique unum, ut dum vindicare vultis injuriam, graviora vobis arcessatis mala, quam ipsa fuerat injuria, pro qua judicem interpellastis. Itaque tam stolide facis, si militem vocas in jus, quam Vagellius ille declamator mulino corde pertinax, qui pessimas semper caussas suscipit defendendas. Quam est enim temerarium, quum duo tibi tantum sint crura, eaque minime ocreis munita, offendere tot centuriones, tot milites, quorum caligæ ferreis clavis omni ex parte sunt præfixæ? Age vero, quem reperias tam procul a Roma tui defendendi caussa abire sustinentem, quem adeo tibi amicum, tam prisco illi Pyladi similem, ut vallum transire, et in castra media tecum progredi, ad dicendum contra militem testimo-

Excusaturos non sollicitemus amicos.
Da testem, judex quum dixerit; audeat ille,
Nescio quis, pugnos qui vidit, dicere, Vidi?
Et credam dignum barba dignumque capillis
Majorum : citius falsum producere testem
Contra paganum possis, quam vera loquentem
Contra fortunam armati contraque pudorem.
Præmia nunc alia, atque alia emolumenta notemus
Sacramentorum : convallem ruris aviti
Improbus, aut campum mihi si vicinus ademit,
Et sacrum effodit medio de limite saxum,
Quod mea cum vetulo coluit puls annua libo;
Debitor aut sumptos pergit non reddere numos,
Vana supervacui dicens chirographa ligni :
Exspectandus erit, qui lites inchoet, annus
Totius populi; sed tunc quoque mille ferenda
Tædia, mille moræ; toties subsellia tantum

nium, audeat? Omitte igitur lacrymas; noli amicos urgere, qui te rogaturi sint, ut se habeas excusatos.

29. Quum judex testem proferri petet, adduc aliquem, etiam si ictus pugnorum militis in tuo recentes ore viderit, se vidisse affirmaturum? Ego vero, si quis sit ejusmodi, hunc dignum majoribus nostris, quibus barba capillique intonsi, judicabo. Longe facilius, mihi crede, falsus testis in civem togatum invenietur, quam verus in militem, qui ejus fortunas aut famam lædat.

35. Expendamus alia non pauca militibus sacramento coactis concessa emolumenta et privilegia. Si vicinus nequam et avarus abstulit mihi, vel campum planum, vel agrum collibus cinctum, a majoribus mihi relictum : si emovit lapidem terminalem et sacrum, quem certis sacrificiis, pultem ac placentas ipsi imponens, veneror quotannis; si debitor negat mihi restituere mutuos, a me quos accepit numos, et chirographum, quod ipsius manu appositum illi ostendo, falsum esse dictitat : hæc, inquam, si apud judices persequi velim, exspectandum erit donec annus totus litibus populi impendatur judicandis, antequam mea inchoetur : ubi vero tempus advenerit, sexcentas moras ac tædia perferre oportebit.

Sternuntur; jam facundo ponente lacernas
Cædicio, et Fusco jam micturiente, parati
Digredimur, lentaque fori pugnamus arena.
Ast illis, quos arma tegunt et balteus ambit,
Quod placitum est ipsis, præstatur tempus agendi,
Nec res atteritur longo sufflamine litis.
Solis præterea testandi militibus jus
Vivo patre datur : nam, quæ sunt parta labore
Militiæ, placuit non esse in corpore census,
Omne tenet cujus regimen pater : ergo Coranum,
Signorum comitem castrorumque æra merentem,
Quamvis jam tremulus, captat pater. Hunc labor æquus
Provehit, et pulchro reddit sua dona labori.
Ipsius certe ducis hoc referre videtur,
Ut, qui fortis erit, sit felicissimus idem;
Ut læti phaleris omnes, et torquibus omnes
. . . .

Modo subselliis imponuntur duntaxat tapetes : modo Cædicius, eloquens ille patronus, lacerna deposita, se ad perorandum accingit; modo Fuscus ad mittendum lotium discedit : aderamus parati, abeundum : sic in ea arena lente lis inchoata disceptatur. Illis vero qui balteo et armis insignes sunt, commodum quodcumque dicendæ caussæ tempus, ut volunt, conceditur, nec suas opes dilapidant damnosa litium diuturnitate ac mora.

51. Huc adde, quod solis militibus datur, ut vivente adhuc patre condere testamentum possint; sic enim legibus cautum est, ut bona quæ bellicis laboribus sunt acquisita non censeantur esse ex parte patrimonii, neque in iis bonis numerentur quorum dominium penes militis patrem est. Itaque pater Corani stipendia facientis et inter signa degentis illi, quamvis jam senior, blanditur, ejusque captat hereditatem. Coranus interim honestis militiæ laboribus ad honores promovetur, et amplissimum operæ pretium fert. Ipsius scilicet imperatoris refert, ut qui virtute ac fortitudine ceteris præstat, idem sit felicissimus et pulcherrimis præmiis cohonestetur, et omnes strenui milites torquibus, phaleris, ac ceteris ornamentis militiæ decorentur. . . . . .

VARIÆ LECTIONES
ET NOTÆ
IN SATIRAM DECIMAM SEXTAM.

NOTÆ. 1. *Gallus*, amicus poetæ, forte idem, cujus passim mentionem facit Martialis.

ANAL. 1—3. Si felicibus auspiciis capessitur militia, præmia ejus tanta sunt, ut facile mihi cupiditatem militandi injicere possint, etsi pavidus sim tiro.[1]

VARIÆ LECTIONES. 2. *Nam et si*, 50.—*Jubeantur*, 22, 66. *Lubeant*, 15. *Subeantur*, 10, 13, 16, 17, 19, 20, 21, 23, 24, 25, 45—50, 54—60, 62, 64, 65, 67, 68, 69, 71—74, 77; XXVIII MSS. Paris. et ed. Ach. *Quod si subeantur* non male legit Prisc. VIII. Displicet certe *nam*, quoniam mox *etenim* sequitur.

VAR. 3. *Excipiet*, 15, 25, 27, 46—49, 54—63, 66—69, 71—73, quidam Codd. Paris. et ed. Ach. *Accipiat*, 16.

NOT. 3. *Portam* signanter dici credebat Grangæus, quia castrorum aggerem subire capitale fuerit.

NOT. 4. Schol. vetus ap. Barth. Advers. XIV, 16. « Per constellationem puncto felices infelices efficiuntur. Apparet, Juvenalem Stoicum esse. » Britannicus monet, hæc dici ex disciplina Ægyptia, in qua plurimum Petosiris et Necepsus laboraverint; vid. ad VI, 553 seq. et 581.

ANAL. 4—6. Facete dictum: Felix genesis ac fatum plus valet etiam in militia, quam favor *Martis*, præsidis bellorum, conciliatus nobis per literas

[1] Hæc felicitatis notio ingrata exprimitur tautologia; neque expeditior fit oratio, vel nitor ei redditur, si cum Henninio *felicis* ad rationem retuleris, et *prospera* ad casum, ut sensus sit: Quamvis innumera sint *felicis*, et cum ratione factæ expeditionis præmia; si tamen casus et vis major castra præstaret *prospera*, mallem fortunata temeritate eadem subire castra, quam in toga desidere. Ita certe vs. 2 *sed* pro *nam* dicendum erat. — *Felicis militiæ*, non calamitosæ, qualis est mea; secundum Calderinum, qui putabat, poetam primum subobscure calamitatem suam designare, et tum laudare commoda militiæ: quam sententiam nobis non persuasit. Multo tamen minus lectoribus placebit explicatio Britannici, qui *felicem militiam* h. loc. dici existimabat eam, quæ a bellis civilibus longe absit.

precesque efficacissimas vel *Veneris*, amicæ ejus, vel Junonis, *genitricis*, matris ipsius. — De amoribus *Martis* ac *Veneris* vid. ad X, 313, 314.

VAR. 5. *Commendat*, 19, 23.

VAR. 6. *Genitrix Samia*, 16. *Genitrix* pro *genetrix* substitui ex 16, 21, 22, 60, 64, postulante sic etymologia a *genitum*; vid. Schelleri præc. stili bene lat. pag. 26, 30, 34.

NOT. 6. *Genitrix* Martis Juno,[1] *quæ delectatur Samia arena*, hoc est, Samo, insula arenosa in mari Icario ad litus Ioniæ, quæ nunc *Sussam Adassi* vocatur. Ex antiqui sermonis genio Dii illas terras amare et incolere vel certe frequentare dicuntur, quæ iis sacræ sunt et ubi sacrificiis templisque coluntur. Celeberrimum autem *Junonis Samiæ* et templum et festum fuit.[2] *Arenam* hoc loc. dici putant pro insula arenosa et sterili, coll. verbis Apuleii: « Rutatio omnis est in sarculo et surculo, quorum proventu magis fructuosa est insula (*Samos*) quam frugifera » Sed Samum frugiferam esse dicit Strabo: unde potius designari crediderim terram Sami argillaceam, unde conficiebantur celeberrima illa vasa fictilia et testæ, quæ durissimæ erant et ad secandum quoque adhibebantur. Vid. ad VI, 514.

NOT. 7. *Commoda communia*, omnium militum. Malim tamen ea intelligere, quæ militibus communia sunt cum togatis. Huc poeta vs. 8 — 34, refert, quod miles æque ac togatus proprios habet judices. Deinde vs. 35—60 *commoda* memorantur, quæ solis militibus propria, citus litium exitus, jus testandi vivo patre, honores et præmia. — *Togatus* civis Romanus, quatenus opponitur armato vel militi, qui sago amictus est, non toga, quæ impedimento est in pugna. Eodem sensu infra vs. 33 *paganus* dicitur opponiturque *armato* aut militi, ut ap. Plin Epist. VII, 25; X, 18; Veget. II, 23; extr. et alios, inpr. JCtos, qui inde testamentum peculiumque vel *paganum* esse dicunt, vel *castrense*: *pagani* enim proprie vocabantur rustici, quibus vel Numa, vel Servius Tullius (vid. Dionys. Hal. I, pag. 35; II, pag. 135; IV, pag. 220, ed. Sylb.) in locis montanis ipsaque natura munitis prima fecit perfugia, quæ Græce *pagos* appellavit; hi vero, Imperatorum certe temporibus, a militia videntur immunes fuisse, ne agri essent inculti. Conf. Ernesti clav. Cic.

ANAL. 8—34. Injuria, etiam gravissima, a milite impune inferri potest cuivis, et ab iis patienter ferenda est, quoniam judex militis non Prætor, sed centurio est, ejusque accusatione nihil proficitur, sed nova potius injuria excitatur, a commilitonibus metuenda, qui partes rei per fas ac nefas tuentur. De his militum commodis ad judicia spectantibus

[1] Vid. Neapol. ad Ovid. Fast. V, 229; Gal. ad Apollod. I, 3, 1, et ad Phurnut. N. D. c. 21.

[2] Conf. Virg. Æneid. I, 15, 16; Herod. III, 60; Lactant. Inst. Div. I, 17; Pausan. VII, 4; Athen. XIV, 20; XV, 4; Spanh. ad Callim. H. in Dian. vs. 268; *Maffei* Gem. ant. P. II, p. 125.

vid. tit. ff. de Re milit. et Salmas. Obss. ad Jus Att. c. 21, p. 420. Festive autem ea h. l. adumbrantur, et salse perstringitur licentia petulantiaque militum, qua civibus Romanis insultabant Imperatorum temporibus.

Var. 9. *Et* abest a 16, totusque versus a 7 et 23, de quo vid. sup. ad II, 24.

Not. 9. seq. Conf. III, 228—301.—*Prætori*, judici.

Var. 11. *Et tumidam in facie nigris livoribus offam*, 11.—*Faciem*, 15, 21, 22, 72, 73.

Not. 11. *Offa*, tumor carnis seu vibex; proprie massa carnis aliarumve rerum rotunda et in tumorem crescens vel in unum convoluta, inp. globus farinæ conspersæ, μᾶζα, ὄμπη, Æol. ὄππη, unde Lat. *offa*. vid. Salmas. ad Solin. pag. 90, 537. Casaub. ad Pers. V, 5, et sup. ad II, 33.—*Livor* macula percussione vel contusione ac pressione contracta.

Var. 12. *Oculos..... relictos*, 10—13, 15, 16, 17, 19—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77; XXXII MSS. Paris. et ed. Ach.

Not. 12. Hæc verba ita intelligo: *oculum* unum plane excussum, alterumque *relictum* quidem ac superstitem, sed in tali conditione, ut *nil* opis salutisque promittat medicus. Plurimi legunt *oculos relictos*, eosque putant dici vel deperditos, vel excussos.

Var. 13. *Bardaicus*, 1, 2, 4, 11—24, 45, 70, 75, 76, 81, 82, et dimidia pars MSS. Paris. ut apud Capitol. in Pertin. c. 8. *Bardiacus*, 3, 5, 10, 25, 27, 46—50, 54, 55, 58, 61—69, 71—74, 77, probb. Calder. et Casaub. ad Capit. loc. laud. *Bardyacus*, 56, 57, 59, 60, 65. Ita et libri variant apud Martial. IV, 4, 5, ubi in optimo MS. Palat. *vardaicus* legitur; vid. Comm. — *Hoc*, 45.

Not. 13. Togato seu pagano, *hæc punire* ope judicis, hoc est, puniri *volenti* (vid. ad III, 116; et VI, 481), *datur judex*, non urbanus seu Prætor, sed militaris, *centurio*, quique non ingenio judicioque, sed e calceis, habitu, et *grandi* statura crassisque suris æstimandus est. Hinc *judex* ipse facete dicitur *Bardaicus calceus* et *grandes suræ*, hoc est, cujus grandes suræ tectæ sunt bardaica caliga seu ocrea: nisi malis verba *Bardaicus judex* jungere et post *volenti* distinguere, ut *calceus* scil. militaris simpl. pro caliga vel phæcasio (vid. ad III, 218, in Var. Lect.), et deinde pro caligato dictus sit. Simili fere sensu sup. VII, 116, *bubulcus judex* dicitur.[1] — Cramerus conjicit aliud hic legendum, proponitque

[1] *Bardaicum* sive *Bardiacum* (vid. Var. Lect.) quidam dici putant servilis infimæque conditionis hominem (a *Bardæis* seu *Bardiæis*, satellitibus Marii aut populo Illyrico); alii bardum seu stupidum, rerum ignarum; alii Gallum seu barbarum; alii vero bardocucullum (vid. ad VI, 118, et VIII, 145), hoc est, bardocucullo sive bardaico cucullo (ut apud Capitol. in Pertin. cap. 8) vestitum judicem. Qui bardocucullus etiam simplic. *Bardai-*

Barbaricus judex. Omnibus enim notum est sub Imper. barbaras gentes vel maxime receptas in militiam romanam fuisse : « hoc autem est quod



cus aut *Bardiacus* dicitur Martial. IV, 4, 5 (ubi vid. intpp.), unde hunc locum ita exponere possis : *judex datur*, et quidem *bardaicus* scil. cucullus, *calceus* et *grandes suræ*, hoc est, cui bardocucullus est et calceus, seu caligæ et grandes suræ, vel cui caput cucullo et grandes suræ caligis tectæ sunt. Ferrarius de Re vest. VI, 21 : « *Bardaicus judex* , inquit , bardocucullo vestitus, sive ille ex crassiore lana, sive ex caprarum pilis et cilicio confectus : qualem propterea centurionem *hirsutam capellam*, V, 155, appellat audacter ; non tam quod capillis et barba promissa, sed quod sago hirsuto atque villoso indueretur. Gemina Claudiani sententia in Rufin. II, 85: *Mœrent captivæ pellito judice leges.* » Grangæus : *Bardaicus judex* apposite dixit, quomodo et postea *calceus judex*, et *grandes suræ* judices. *Bardaicus judex* idem est, ac si diceret *bardocucullo indutus*, quo vestis genere hiberno tempore ut plurimum utebantur milites, potissimum Galli : nec interest, *bardaicus* an *bardiacus* legas. Est vero nil aliud quam *bardocucullus*; sive a *Bardis* deducas, qui sunt cantores apud Gallos, sive a *Bardea* vel *Bardula*, quæ *alauda* est, unde *alaudarum* legionarii, sive a *Bardæis* Illyrici populis (qui *Vardæi* dicuntur Plin. III, 22, seu 26, et Cic. ad Div. V, 9. Οὐάρδιοι, Ptol. Ἀρδιαῖοι, Strab. VII, 5, pag. 315; Polyb. II, 11, 12, et Appian. Bell. Illyr. 3, 10. Conf. Schweigh. ad hh. ll. Gron. et nos ad Liv. XXVII, 30 extr.), sive ab illis populis Hispaniæ, qui solebant, ut nunc Germani, principibus apparere et excubias facere, quos Plut. in Mario vocat Βαρδείους (Μάριος κατῄει δορυφόρους ἔχων λογάδας ἐκ τῶν προσπεφοιτηκότων δούλων, οὓς Βαρδιαίους προσηγόρευεν, Opp. t. I, p. 431, A.), ut notavit Alciatus Parerg. Jur. V, 16. » Calderinus : « *Bardiacus* est sagulum militare ex pilis caprorum, sed h. loc. epitheton calcei, ut ex habitu designet centurionem, qui et calceis ciliceis utatur, et grandioribus tibialibus quales calcei *udones* apud Martial. XIV, 140, inscribuntur. » Casaubonus ad Capitol. in Pertin. c. 8. « Meliores libri Martial. IV, 4, 5, *Bardiacus*, et fortasse hic quoque *cuculli Bardiaci* scribendum ; quos e Gallis Santonibus et Lingonibus Romam mitti solitos, ex eodem poeta (vid. ad VIII, 145) constat. » Salmasius ibid. « *Bardaicus* a *Bardæus*, ut *Archaicus* ab ἀρχαῖος. Bardæi populi sunt Illyrici, a quibus isti *bardaici cuculli*, militare gestamen, quos *Liburnicos* appellat Martialis, XIV, 139. » Vetus Schol. « *Bardaicus judex* centurio, qui quasi inter milites militavit habentibus stationem apud *Bardos*; est autem gens Galliæ : vel qualis fuit *Bardus*. » Alius Schol. apud Barth. Advers. XIV, 16 : « Datur tibi poscenti mulctam barbarus centurio, qui pro milite respondebit. *Bardaicus* similis Batavorum (unde eum legisse *Battavicus*, vel in eo legendum *Bardæorum* conj. Henn.); iste acerrime judicabat de civibus, dicens : capitale est crimen, si togatus militem pulsaret. » Henninius : « Vulgo non perspiciunt hujus loci argutiam et acrimoniam. Militarem licentiam et petulantiam, qua insultabatur Romanis civibus imperatoriis seculis, traducit : hinc excandescit, *togatos*,

vult, quisquis est, auctor fragmenti hujus Satiræ, in militum injuriis jam non sedere togatos judices, sed cinctutos, eosque non Romanos, sed barbaros et peregrinos, quo etiam *calceus* et *grandes suræ* pertinent.» Ed.

Not. 14. *Subsellia* in judiciis non sunt tribunalia, sed sedes tam judicum, quam patronorum, quæ tam *magnæ* erant, ut etiam alii honestiores homines in iis locum haberent. Vid. Ernesti clav. Cic. Tribunal erat Imperatoris prope prætorium, subsellia Centurionum et Tribunorum militum ad *signa*, quæ in principiis locata; Grang. — *Grandes suræ*, ut *planta magna*, III, 247.

Not. 15. M. Furius *Camillus* in obsidione Veiorum edixit, ne miles in jus vocaretur extra castra, ut scil. præsto esset semper ad nutum ducis et quoties confligendum esset cum hoste. [1]

Var. 16. *Nec* pro *ne*, 15, 46—49, 54, 55, 58, 61—64, 66, 67, 71, 73.

Not. 17 — 19. Hæc poeta sibi, vel Gallus poetæ et quidem lepide objicere censendus est: *Centuriones igitur*, quod ex his modo dictis patet, non minus ac Prætores vel urbani judices secundum fas et æquitatem jus dicent. *Centuriones* autem de levibus cognoscebant caussis, et primi pili etiam imperatori in consilio aderant cum Tribunis.

Anal. 20 seq. Verba vel militum ad læsum et litigantem ejusque patronum ac testes, vel potius poetæ, illam objectionem diluentis: at *tota cohors*, quin et legio obstrepet in judicio, ne damnetur commilito, et, si forte damnatus fuerit, ultrix aderit, et *consensu magno efficient*, *ut vindicta*, ultio, quam parabunt et ex te petent propter accusationem com-

notanter ita loquitur, *a milite pulsatos*, *excussos dentes*, *faciem lividam*, *extusum oculum*, *non audere prætori deferre*, *sed dissimulare* hanc contumeliam; aut si omnino hanc *puniri velint*, quid tum? adeundi sunt *centuriones*, *quorum de milite est cognitio*: *ex instituto enim Camilli non licebat militi extra vallum litigare*. Quid ulterius? *dabitur tibi togato*, civi Romano, libero, *Bardaicus judex*, id est, centurio miles ex servili illa traduce, qui a suis dominis fugitivi Cinnanæ Marianæque sævitiæ quondam satellites fuerant, ut ex Plut. Mario constat. At quinam hi *Bardæi*, vel *Bardiæi* Marii? Glossæ latino-græcæ: *Bardei*, Ἰλλύριοι δοῦλοι, οἱ καὶ ἀγωνισάμενοι ὑπὲρ τῆς Ἰταλίας, κατὰ Κίννου καὶ Μαρίου στρατευσάμενοι· καὶ ἐκ τούτου τυραννῆσαι κατὰ τῶν δεσποτῶν. Consentire hisce glossis videtur Plin. III, 22. Hinc apparet, subtilissima indignatione eaque acerrima *Bardaicum judicem* introduci, qui de caussa inter togatum et militem cognoscat, eumque judicem non ab ingenio aut judicio censendum, quam potius *calceis* et *grandibus* crassisque *suris*, quibus ad iniquum *tribunal* servilis propago de homine libero judicatura accedat. Latet et aculeus in recessu, quo pungit inertiam suorum civium, qui a peregrinis e sterquilinio effossis patiebantur sibi militares dignitates præcipi. Qui aliter explicant, nugantur.» Henninio adstipulatur Ach.

[1] De quo militum privilegio vid. lib. XII, C. de Re milit. I, finali C. de Offic. milit. jud.

militonis, *sit curabilis*, curanda, hoc est, metuenda, *et gravior, quam injuria*, a milite tibi olim illata. Annotatio Hein. est: « Equidem accipio *curabilis* significatione activa, quam Adjectiva in *bilis* sæpissime habent: *efficiunt*, *ut vindicta sit curabilis*, te curet, id est faciat, ne in posterum audeas milites accusare, te doceas omnes injurias militum patienter ferre. » Ergo Lat. *curare* est German. *curiren!* Conf. Var. Lect. In legione propr. X sunt cohortes et XXX *manipuli*. Præclare autem h. loc. notatur ferocia militum, illis potissimum temporibus omnia per vim agentium licentiamque immoderatam usurpantium.

Var. 21. *Officiunt*, 10—13, 15, 17, 19—22, 24—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77, plerique Codd. Paris. et ed. Ach. *Afficiunt*, 16. — *Curabilis*, 1, 14, 18, 25, 45, 46, 47, 49, 50, 56—59, 65, 66, 67, 70, 75, 76. Vetus scholion est: ut satis cures, quemadmodum effugias illos. *Plorabilis* quidam. *Consensu magno officiunt. Curabitis, ut sit*, 10, 11, 15—17, 19—24, 27, 48, 54, 55, 60—64, 65, 68, 69, 71—74, 77, plurimi Codd. Paris. et ed. Ach. Tum verba *Curabitis ut sit*, etc. sunt vel militum increpantium togatum, qui militem accusare audet, vel potius poetæ, objurgantis togatos seu cives, accusatione militis novum sibi incommodum, idque priori gravius, importantes. Parum interest, quocumque modo legas, et vulgata forte lectio non repudianda propter insolentiorem usum vocis *curabilis*, nisi forte hic ipse varietatem lectionis peperit. H. Valesius legendum putabat: *curabit is, ut sit Vindicta gravior quam injuria?* hoc sensu: an dabit operam *is*, scilic. læsus (dictum per contemptum), ut vindicta facinus excedat? an iste nescio quis vindictam exiget, aut exigere conabitur accepta injuria majorem, graviorem?

Var. 22. *Vindicta gravior*, 10, 11, 15, 16, 17, 19—22, 25, 27, 45, 46, 47, 49, 50, 54—62, 64—69, 71—74, 77, plerique Codd. Paris. et ed. Achaint. prob. Schurzfleisch. et Hein. ut sit Græca positio. Syllaba utique finalis, natura brevis ob cæsuram, aut sequentibus duabus vel tribus consonis, modo producitur, modo corripitur; vid. supra ad I, 151, et VI, 109.

Not. 22 seq. Hæc facete dicta. — *Vagellius*, Mutinensis (vid. Var. Lect.), *declamator;* cui *mulinum cor* tribuitur vel ob stoliditatem (unde et stultus homo *mulus* dicitur Catull. LXXXIII, 3; et idem forte *Vagellius* eamdem ob causs. memoratur XIII, 119), vel ob audaciam temeritatemque, qua quaslibet caussas, malas etiam ac periculosas, suscipiebat, vel denique ob pertinaciam, qua in unumquemque invehebatur, sine respectu personarum, qualem mulorum naturam esse monet Grang.

Var. 23. *Mulino*, 14, 18, 61, 63, 70, 75, 76, 81, 82. *Mutinensis*, 10, 11, 12, 16, 17 a m. sec. 20, 21, 23—27, 45—50, 54—60, 62, 64—69, 71—74, 77; XXIV MSS. et ed. Ach. Utrumque in Codd. suis jam legit vetus Schol. qui hæc notavit: « *mulino corde*, id est, ignavus. In alio *Mutinensis*. Rhetor aliquis de Mutina. » Nostra tamen lectio præferenda ob sarcasmum, qui ita perit, quemque a librariorum ingenio profectum vix crediderim, *Mutinensi*, 15, 17 a m. pr. 19, 22. — *Vagilli*, 22, 24.

Var. 24. *Tot caligas, tot Millia clavorum*, 14, 18, 61, 63, 70, 82; IV MSS. Paris. et MS. liber Dempsteri, qui ad Corrip. p. 192, intellexit ictus calcium, quod probavit Schurzfleisch. coll. Valtrin. de Mil. Rom. pag. 176, et Castalion. Obss. pag. 84. — *Tot caligatos* milites, *Millia clavorum*, 10, 11, 12, 15, 16, 17, 19—27, 45—50, 54—60, 62, 64—69, 71—77, 81, et XXXI Codd. Paris. Sed illud venustius. *Caligato*, 42, 66. Plathneri nota est hæc: « Liber noster mediæ notæ *caligato*. Inde fallor an legendum *caligatæ*, scil. militiæ. *Caligati* sunt milites manipularii apud Theodos. Imp. L. XXII, C. de Nupt. »

Not. 24. *Quum duo crura habeas*, quæ clavis undique pungi possint.— —*Offendere tot caligas, tot millia clavorum*, facete pro, tot milites, quorum caligæ clavis suffixæ sunt; de quo vid. ad III, 248.

Not. 25. *Quis tam procul absit ab urbe*, tam alienus sit ab urbanitate, tam inurbanus, rudis et rusticus; vel tam ignarus rerum urbanarum et licentiæ militum (vid. ad XIII, 111). Hoc sensu, quotquot vidi, interpretes verba illa ceperunt, præeunte vet. Schol. apud Barth. Adv. XIV, 16, qui præter alia hæc adnotavit: « *Procul ab urbe* dicuntur esse fatui, quia, qui in urbibus sunt, solent esse prudentiores paganis: contra autem villani, qui ab urbe remoti sunt, stulti vocantur. » Sed aptior, opinor, simpliciorque ratio est hæc: *Quis tam procul ab Urbe absit*, abesse sustineat, ut militis accusandi caussa ad castra et exercitum, longe Roma remotum, proficiscatur? Ita et melius cohærent sequentia vs. 25. *Præterea quis tam Pylades*, hoc est, tam amicus alicui omniumque ejus periculorum comes ac particeps (qualis Pylades fuit Oresti), *ut ultra molem aggeris*, ultra vallum, in castra *veniat* cum illo, caussæ ejus apud Centurionem agendæ, vel testimonii contra militem reum dicendi, vel miserationis judicum veste mutata, qui amicorum mos est, movendæ caussa?

Not. 27. *Lacrymæ siccentur protenus*, lacrymas confestim, post acceptam a milite injuriam, comprimamus, tanquam vanas et inutiles, et dissimulemus vel patienter feramus hanc injuriam, *neque sollicitemus amicos*, ut nos, militem delaturos, comitentur ad castra nobisque in judicio adsint, *se excusàturos* et detrectaturos officium tam periculosum.

Var. 29. *Judex quem dixerit*, 7, 10—13, 15, 16, 17, 19—27, 29, 45—50, 54—50, 54—69, 71—74, 77, omnes Codd. Paris. et ed. Ach. qui h. loc. ita exponit: *Da testem*, esto, sit tibi dandus testis tuorum verborum, *quem judex dixerit*, scil. acceperit, vel potius, quem addixerit ad testimonium.

Not. 29. *Judex*, centurio, *quum dixerit* togato, militis nomen deferenti, *da testem:* nemo facile erit, qui, si vel *pugnos*, ictus pugnorum, quos accepisti, *vidit*, *audeat dicere*, *Vidi*, se vidisse. (Conf. VII, 13, 14.) Si ausus hoc fuerit *nescio quis* (utpote qui haud facile invenietur), tum *credam* eum *dignum* esse *barba et capillis majorum*, hoc est, qui in majores nostros referatur iisque æquetur, viris summæ fidei et constantiæ, quibus mos erat *barbam et capillos* alere ac promittere; de quo vid. ad IV, 103, et VI, 105.

VAR. 30. *Pugnos vidit qui*, 10, 15, 16, 17, 19—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77.

NOT. 32. Facilius reperietur, qui falsum testimonium dicat *contra paganum* seu togatum (vid. ad vs. 8), quam qui verum contra militem dicere audeat. *Citius falsum producere testem possis*, etc. vid. ad X, 220.

VAR. 34. *Contraque furorem*, conj. Schrader.

NOT. 34. *Fortunam*, bona et libertatem seu licentiam, *armato*, hoc est, militi concessam. — *Pudorem*, bonam famam et honorem : nam *contra pudorem* alicujus *loquitur*, qui ei exprobrat, quæ ipsi sint dedecori ac rubori, vel quorum eum pudeat necesse sit.

NOT. 35. Privilegia *alia*, solis militibus propria. Conf. ad vs. 7. — *Sacramentum* proprie jusjurandum militare, hoc loco pro ipsis militibus ponitur. — Isidorus, Origg. IX, 3 : « tria sunt militiæ genera, sacramentum, evocatio, conjuratio. » Plane in rem apud Celsum JC. in lib. XXII D. de Legat. 2, *commodum militiæ* legi monet Cramer. pag. 563 ; et hic Ruperto adsentitur. ED.

ANAL. 35—50. In judiciis urbanis lente omnia procedunt : at lites militum sine mora dirimuntur.

ANAL. 36—41. Recensentur exempla caussarum, quæ in foro aguntur. — *Convallem*, planitiem, undique collibus septam. — *Ruris aviti*, a majoribus mihi jure hereditario seu testamento relicti.

VAR. 38. *Aut*, 10, 13, 15, 16, 17, 19—27, 45—50, 54—69, 71—74, 77.

NOT. 38. *Terminus*, stipes vel *saxum*, lapis terminalis, *in medio limite*, inter duos agros et in eorum confinio, positus, qui tam *sacer* erat, ut Dei loco *coleretur*, utque eum violare aut fraude mala loco movere seu proferre (pro quo docte h. loc. dicitur *effodere*, ut al. *revellere*, *convellere* et *evertere*, antec. pro conseq. posito) summum esset nefas, jam inde a Numæ temporibus, a quo lex lata : *qui terminom exarasit, ipsus et boveis sacrei sunto.* [1]

VAR. 39. *Vetulo* restitui ex 7, 10—13, 15, 16, 17, 19, 20, 21, 23—27, 45—47, 50, 54—69, 71—74, 77, et XXIX MSS. Paris. *Vetula*, 22. *Patulo* (hoc est, ingenti), 14, 18, 48, 49, 70, 75, 76, 82. Sed nostra lectio haud dubie exquisitior. Libum dicitur *vetulum* ob vetustatem, vel hujus ritus et sacrificii, vel possessionis agri lapidisque terminalis. Utrumque vero ad scelus augendum valet.



[1] Conf. Festus v. *Terminus*, Dionys. Halicarn. II, 9 ; Sicul. Flacc. de Term. Liv. I, 55; Lactant. Inst. I, 20 ; Ovid. Fast. II, 640—684 (ubi vid. Heins. et Burm.); L. I, ff. de term. moto (ubi vid. Gothofr.) ; Cujac. Observationes, II, 5 ; Ouzel. ad Minuc. p. 15 seq. Heynius ad Tibullum, I, 1, 11, 12 (18), et intpp. Deuteron. XIX.

Vetus in triviis lapis dicitur Tibull. I, 1, 12, al. 18. — *Plus*, 22, 46—49, 57, 58, 66, 67, 71, 72, 73.

Not. 39. Quem agrum diu possedi. Termino quotannis primum sacrificabantur *puls* et *liba* (vid. ad III, 187, et XIV, 171), vel primitiæ frugum, tura, favi, etc., postea agni et sues.[1] — De *vetulo libo*. Var. Lect.

Not. 40. *Numos sumtos*, vel fenore, vel mutuo.

Var. 41. Conf. supra ad XIII, 137, ubi idem versus legitur, et unde eûm huc translatum esse marginique adscriptum suspicari possis. Sed huic quoque loco aptissimus est, et hinc ab ipso forte poeta repetitus.

Var. 42. *Inchoet* pro *inchoat* revocavi ex 10—13, 15, 17, 19, 20, 21, 23—27, 45—50, 54—63, 65—69, 71—74, 77, et Serv. ad Virg. Æneid. II, 102.

Not. 42, 43. *Exspectandus erit annus* (annuum vel longinquum tempus, ut apud Terent. Heautont. II, 2, 11, *dum comuntur, dum ornantur, annus est*), *qui inchoet*, nedum finiat, *lites totius populi*, adeoque et meam. Tanta est multitudo litium totius populi, ut spes meæ litis inchoandæ diu differenda sit. Conf. Suet. Vesp. cap. 10, et de centumviralibus judiciis ac caussis, quarum exempla vs. 36 seq. memorantur, Ernesti clav. Cicer. Turneb. Advers. IV, 3, et intpp. Plin. Ep. I, 18; VI, 33.[2]

Var. 43. *Nunc*, 16. *Tum*, 13, 21, 22.

Not. 43. *Tunc quoque*, lite jam inchoata. — *Mille moræ*, ut in nostris quoque judiciis.

Not. 44. *Subsellia sternuntur*, apponuntur et parantur, *tantum*, non etiam justus judicum numerus in iis sedet; sed quia major eorum pars abest, judicium differtur in aliud tempus.

Var. 45. *Sternentur*, 17, et XXXI MSS. Paris. teste ac prob. Ach. — *Jam* recepi ex 7, 10, 11, 12, 15, 16, 17, 19—22, 24—27, 45—50, 54—69, 71—77. — *Nam*, 23. *Tum*, 14, 18, 70, 82. *Cum facundo poscente lucernas*, vel *lacernas* conj. Schrader.—*Lucernas*, 7, 11, 17, 19, 20, 25, 39, 40, 45, 46, 48, 49, 54—57, 59, 60. Barthius Advers. XIV, 16, hanc lectionem vulgatæ præfert, modo reponatur *poscente lucernas*, ut sententia h. loc. sit: Quum tantum tem-

[1] Conf. Dionys. loc. laud. et Heins. ad Ovid. Fast. II, 644, 651 et 655.

[2] Servius ad Virg. Æneid. II, 102. « In ordine, inquit, dicebantur caussæ, propter multitudinem vel tumultum festinantium, quum erat annus litium. » Hujus Servii, non aliorum, auctoritate freti contendunt interpretes, morem fuisse, ut per sortem ordinarentur caussæ, et in ordinem vel ordine (Gall. *à tour de rôle*) agerentur. Nonnulli ita h. loc. interpretantur: diutissime mihi exspectandum erit, antequam inchoentur *lites totius populi*, hoc est, conveniant ad judicandum Centumviri, judices electi ex tribubus et *toto populo*, apud quos litigandum est. Sed hæc ratio durissima. Pithœus Subseciv. II, 20, *annum* accipit de certo anni tempore, quo convenerint judices et caussæ totius populi agi cœperint.

poris frustra exspectaveris, quantum loquacissimos causidicos, diem dicendo eximere suetos, in Urbe lassare possit, ut alter ad indicandum serum diei tempus *lucernam poscat*, alter urinæ injuria vix morari sustineat; abibis tamen non solum non expedito negotio, sed nec proposita actione.

. Not. 45 seq. *Cædicius* et *Fuscus* nomina non judicum, opinor, sed patronorum caussarum : unde et *facundus* ille dicitur. Alius, ni fallor, *Cædicius* memoratur XIII, 197 (et lectio etiam h. l. dubia est; vid Var. Lect.), alius quoque *Fuscus* IV, 112, sed idem forte XII, 45; Plin. Ep. VII, 9, et Aurelius Fuscus, patronus insignis hujus temporis; Martial. VII, 27. Verba autem obscura h. loc. vulgo exponunt ita : *Cædicio jam ponente*, deponente, *lacernas*, ut vel agat caussam, si patronus est, vel, si judex, eam audiat, aut deponente ob æstum, dum exspectat judices et frigus captat vestium onere gravatus, *et Fusco* judice *jam micturiente* tum ob longam sedendi. et exspectandi moram, tum ob largam meri potionem; quales judices notat Titius ap. Macrob. Sat. III, 16 : « describens homines prodigos in forum ad judicandum ebrios commeantes : veniunt in comitium tristes; jubent dicere, quorum negotium est, narrant : judex testes poscit, ipsus it mictum : ubi redit, ait se audivisse omnia, tabulas poscit, literas inspicit, vix præ vino sustinet palpebras. » Judices sedent otiosi, donec tædio moræ affecti lacernas deponunt; Calder. Sed vera est, opinor, Hein. interpretatio : « Juvenalis aperte dicit : Sæpius si jam in eo est, ut nostræ lites dijudicentur, si oratores se jam ad dicendum parent, aliquid fit, quo judicium differtur. Hoc ita expressit : Si *facundus Cædicius jam ponit lacernas*, ut in toga orationem suam habeat (lacernæ enim togis superinduebantur et toga induti esse debebant dicturi, cf. Mart. VIII, 28, et Plin. Ep. II, 3, et IV, 2), et *Fuscus jam micturit*, quia mox dicturus est, et igitur aliquamdiu hoc facere non potest; si hæc omnia fiunt et parati sumus ad hæc audienda et nos defendendos, tamen sæpius infecta re digredi coacti sumus. » Ferrarius de re vest. IV, 25. « Non ita, inquit, compertum mihi est, cur *Cædicius posuerit lacernas* : non quod defatigatus esset exspectando, non enim mora æstum affert; neque dicendo delassatus, nondum enim caussa cœpta erat : fortasse quia dicturi *lacernas deponebant*, in quo tamen hæsito, quum auctor Dial. de orator. cap. 39, etiam *pænulas* in agendo adhibitas dicat. » Hæc vero non justa hæsitandi ratio est. *Pænulis* tum utebantur Romani etiam in Urbe frigoris et pluviæ caussa (vid. ad V, 79), *togis* in publicum prodituri (unde et togæ mentio fit in vestitu cultuque oratoris apud Quintil. XI, 3), et *lacernas* togis injiciebant. Vid. ad IX, 28, 29; *lacernam* legendum esse h. loc. suspicari possis. Sed sæpe plur. pro sing. Verba autem *Fuscus jam micturit* plus in recessu habere videntur, quam fronte promittunt, et poeta satiricus, ni fallor, non modo patronum caussæ mox dicturum designare voluit, sed etiam vel loquacem pluresque clepsydras poscentem, vel potatorem, qui, ut judex ille apud Macrob. l. laud. sæpius it mictum. Idem forsan Fuscus ut vinosus notatur a Mart. VII, 27, et ejus quoque conjux ut ebriosa, supra XII, 45.

VAR. 46. *Cæditio*, 68, 71, 72, 73. *Ceditio*, 7, 48, 56, 59, 60, 62, 64. *Caditio*, 19. *Cæcidio*, 21. *Cæcilio*, 2, 39, prob. Barth. loc. laud. Cf. XIII, 197.

NOT. 46. *Parati* ad dicendum caussamque agendam, *digredimur* infecta re, frustrati exspectatione judicum.

VAR. 47. *Egredimur*, 20.

NOT. 47. In foro, ubi litigamus, lente procedit lis nostra. Metaphora petita ab arena amphitheatri et gladiatoribus, qui in ea pugnant.

VAR. 49. *Illis*, 10—13, 15, 16, 17, 19—27, 45, 46, 47, 49, 50, 54—69, 71—74, 77. At male sic eadem vox repetitur. — *Tempus præstatur*, 11. — Perperam post *placitum est* distinctio posita in edit. quas inspexi.

ANAL. 48—50. Militibus contra quovis die, et quando vel quoties iis libet, tempus caussæ agendæ conceditur, neque *res*, caussa seu actio, *longo sufflamine*, longa mora (VIII, 148), *atteritur*, deterior vel mala fit, quum bona esset, et perditur.—*Atterere* vel *terere*, ut Græc. τρίβειν et ἐπιτρίβειν, comminuere, imminuere, infirmare, perdere. *Sufflamine atterere* etiam simpl. pro morari, seu differre dici potest, vel *res* de re familiari accipi, ne synonymæ voces *res* et *lis* jungantur. Sed illa ratio præstiterit.

NOT. 51—54. Militibus etiam (primum a Jul. Cæsare, deinde ab Augusto, Tito, Domitiano ac potissimum Nerva et Trajano) id privilegii concessum, ut quæ a se *parta* essent *labore militiæ*, hoc est, stipendium, præmia, præda aliaque in militia seu bello acquisita (quod vulgo *peculium castrense dicitur*), *non essent in corpore*, summa, *census*, bonorum filii, quorum *omne regimen*, dominium, *teneat pater*, hoc est, non patriæ potestati obnoxia essent, utque adeo *militibus vivo* etiam *patre jus esset testandi* de hoc peculio castrensi. (Conf. Digest. L. XXIX, tom. 1, l. 1, de Testam. mil. Ulpian, 23, § 10.) His aliisque Imperatorum institutis imminuta est patria potestas, cui olim omne filii peculium una cum corpore ac vita subjectum erat. — Hic Cramerus monet bene vet. Schol. castrense peculium vocari *liberum*, quia eo uti libere licet; sed non confundendum cum peculio, cujus *liberam administrationem* habet filius familias, ut in Digestis JCti loquuntur. Ea administratio, etsi quodam modo libera, suis tamen finibus regitur, et revocari potest lubente patrefamilias, et tale quoque peculium servus habere poterat, non item *liberum*. ED.

NOT. 54—56. Quæ quum ita sint, *pater, quamvis jam tremulus* capite, senio confectus, *captat Coranum* filium, *signorum comitem*, in bellum proficiscentem et *castrorum æra*, stipendium, *merentem*, militem, ut heres ab eo scribatur bonorum militia partorum vel pariendorum. Poeta jam XII, 93 seq. captatorum artes perstrinxerat, et nunc docet, ipsos quoque patres fuisse captatores filiorum et quidem *jam tremulos*, quo rei indignitas augetur. Historiam autem temporis sui haud dubie respexit; et *Coranus* videtur alius esse, quam apud Horat. Sat. II, 5, 57.

VAR. 56. *Captet*, 17.— Mox VAR. 57. *Reddet*, 22.— Vox *labor* me sem-

per offendit, quæ mox sequitur et modo præcessit. Quam inepta etiam est sententia hæc: *labor reddit sua dona labori?* Hanc miror nemini interpretum displicuisse, præter Britannicum, qui auctor est, ut reponatur:

. . . . Hunc labor æquus
Provehit; et pulchro reddi sua dona labori,
Ipsius certe ducis hoc referre videtur, (*ea ratione*)
Ut qui fortis erit, etc.

Melius, opinor, nitori carminis consuletur hac emendatione: *hunc favor æquus* favor justus meritusque ducis, *Provehit* ad honores ac dignitatem, *et pulchro reddit sua dona labori*, scil. militiæ.

Not. 56. *Hunc* Coranum seu militem *labor æquus provehit:* æquum enim est, paria labori præmia reddi; *æquus* autem appellatur *labor*, quia æquum est unicuique, pro patria laborare; Brit. Sed vid. Var. Lect.

Not. 57. *Pulchro labori* militiæ, quia saluti patriæ impenditur. *Dona*, honores et præmia, qualia mox vs. 60; *dona sua,* propria ac justa.

Var. 58. *Ergo* pro *certe*, 12. — *Hæc referre videntur*, 25, 27, 46—49, 55—60, 65.

Not. 58 seq. Ipsius ducis refert, milites honoribus ac præmiis affici, quoniam sic non tam virtus eorum excitatur, aliique alliciuntur ad militandum, quam tum ipsius ducis justitia probatur, tum amor ac gloria militaris augetur.

Var. 59. *Et*, 20. *Ut, qui sit fortis, sit felicissimus idem*, 22, et IV MSS. Paris. forte rectius. *Erit*, *sic et*, 45. *Sic*, 73. — *Olim* pro *idem*, 24.

Var. 60. *Et*, 20, et quidam Codd. Paris. Henninius emend. *Ut læti phaleris, armillis, torquibus omnes*, quoniam hæc dona militaria etiam apud Gell. II, 11, et in Inscriptt. conjungantur, et tum insipida, tum Juvenali insolita sit ταυτολογία vocis *omnes*. Sed repetitio hujus voc. magnam potius vim habet (nam quo plures milites dona, et quo plura accipiunt, eo gloriosius id tam toti exercitui est, quam, qui ei præest, duci); et satis est, a poeta duo tantum virtutis militaris præmia memorari.

Not. 60. Hæc et alia virtutis militaris præmia memorantur Gell. II, 11, et Sil. XV, 254 seq. De *phaleris* vid. ad XI, 103, et de *torquibus* Lips. Mil. Rom. V, 17, ubi etiam discrimen horum ornamentorum exquiritur.

INDEX

RERUM ET VERBORUM

IN JUVENALEM.

LECTORI.

Post hunc nostrum de Juvenali laborem restat, ut concludamus eadem profitendo quæ Cramerus Notis suis subjunxit, « manumisso tandem opere, in quod multum vigilantiæ, assiduitatis ac laboris me impendisse sine invidia ac vana gloriola mihimet conscius sum. Quod si quis lecto eo dicat me in multis errasse, in aliis obscuram et sinistram diligentiam præstitisse, non repugnabo, hoc tamen rogabo meliora præstet. » — Nunc veniamus ad Indicem rerum et verborum quæ in Satiris occurrunt: hunc locupletissimum et ex omni parte absolutum efficere conati sumus. Multæ res ac voces, non nisi in Var. Lectt. vel in Comment. quærendæ ibique illustratæ, indicantur literis *V. L.* et *N.* Nomina propria italicis literis, cetera romanis characteribus exarantur. Ed.

INDEX

RERUM ET VERBORUM

IN JUVÊNALEM.

dicitiæ, VI, 308. — aræ maturus, XII, 7. — aram tangens pedemque Cereris perjuria vendet, XIV, 219. — ante aram stetit, VI, 390. — Jovis ruit, X, 268. — ara Mæotide sævior Ægyptus, XV, 115. — ad quas non Clodius aras? VI, 345. — aras violati numinis videt, XIII, 219. — numorum ereximus nullas, I, 114. — et Samothracum, et nostrorum licet jures, III, 144. — ad aras ducatur ebur, XII, 112.

Arabarches, I, 130.

Arachne levius, II, 56.

Aranea arida, XIV, 61.

Aratro sterili litus versare, VII, 49. — quæramus panem, XIV, 181. — alieno lassus Marius, VIII, 246. — ab ingrato jam fastiditus bos, X, 270. — posito audit montanum vulgus jura ferentem, II, 74. — sub aratro inventis piscibus, XIII, 65.

Arbiter integer, VIII, 79.

Arbitrio nostro necari, XIII, 177.

Arbor omnis populo mercedem pendere jussa est, III, 15, 16. — arboris incertæ et puppis latus evertentibus undis, XII, 32. — sacerdos magna Judæorum, VI, 545. — arboribus Rutulis, XII, 105. — arbore ex nostra mensas vident, XI, 117. — jam propria facit nidos, XIV, 80.

Arbusta mercaris, XIV, 144.

Arca nostra maxima sit toto foro, X, 25. — aliena sumitur, III, 181. — posita luditur, I, 90. — exhausta, VI, 363. — a ferrata distat sacculus, XI, 26. — in ærata multus fiscus, XIV, 259. — in Pieria nullus tibi quadrans ostenditur, VII, 8. *V. L.* — in sua quantum quisque numorum servat, tantum habet et fidei, III, 143. — arcæ patulæ angulus vix capit summam, XIII, 74.

Arcades stupidi, VII, 160. *N.*

Arcadico juveni nil salit in parte læva mamillæ, VII, 160.

Arcanam in aurem mendicat, VI, 543. — arcano volumine quodcumque tradidit Moses, XIV, 102. — arcana lora Saliorum, II, 125. — face dignus, qualem Cereris vult esse sacerdos, XV, 142. — donant cylindros, II, 61. — prodere, IX, 116. — perdere, XIII, 73.

Arcessere summam perituram lancibus oppositis, XI, 17. — arcessitus adulter latet, VI, 237. *V. L.*

Archemori novercæ nomen, VII, 235. *V. L.*

Archetypos Cleanthas, II, 7.

Archigallus obscœnus, etc. VI, 513. *N.*

Archigenen advocat, VI, 236. — quære, XIV, 252. — Archigene eget, XIII, 98.

Archimagiri finxere, IX, 109.

Arctus (non artus) inflexus vicorum, III, 236.

Arcus veteres, III, 11. — Herculei, XIII, 82. — contrahit Pæan, VI, 174. — in arcu triumphali tristis captivus, X, 136.

Ardet odium et vulnus, XV, 35. — adhuc magna domus, et jam accurrit, etc. III, 215. — Julius, II, 70. — jecur ira, I, 45. — pulmo Falerno, IV, 139. — et odit, IX, 96. — setinum in lato auro, X, 27. — caput follibus atque caminis, X, 62. — ardent tæda, I, 156. — faces (amoris), VI, 139. — membra sanguine, XI, 6. — vela, XII, 22. — dolia non ardent Cynici, XIV, 309. — spumantibus visceribus, XIII, 14. — ardeat ipsa licet, VI, 209. — ardebant cuncta (furente Caligula), VI, 618. — ardebit ultimus pauper, III, 201. — ardens purpura, XI, 155. — rigidæ tentigine vulvæ, VI, 129. — desiderio Bibulæ, VI, 142. — infremuit, I, 165. — ardentis massæ fuligine lippus, X, 130. — ardenti tribuno sese indulgere, II, 165. — stoma-

BAC BAC

CAD CÆD

DE DEC

653. — dentur quæ tempora lucro, VI, 571. — si libera populo suffragia, VIII, 211. — darentur si qua sulfura, II, 157. — dari poma, V, 150. — data pœna hæc diu viventibus, X, 243. — fata ipsis quoque sepulcris, X, 146. — datum privigno venenum, VI, 134.

Doces declamare, VII, 150.— spoliare, XIV, 237. — docet rectum Sapientia, XIII, 189. — sævire, XIV, 18. — votum insatiabile acquirendi, XIV, 125. — deducere lanam, VII, 224. — docuit Gallia caussidicos Britannos, XV, 111. — doceat quanti Chrysogonus, VII, 176. — docentis culpa, VII, 158.—doctus spectare lacunar, I, 56. — Palæmon, VII, 215. — docta nimis cupit videri, VI, 445.

Dociles sumus omnes imitandis turpibus, XIV, 40.

Docte componit fercula, VII, 184.

Doctoris Trypheri, etc. XI, 137.

Dogmata Stoica, XIII, 121.

Dolabella inde est, VIII, 105.

Dolabra munire castra, VIII, 248.

Dolato confisus ligno, XII, 57.

Dolet quidquid, exue, XI, 188. — flet, nec dolet, III, 102. — ut doleas, hoc agit, V, 157.

Dolia in alta deciderit serpens, VI, 431.—Cynici non ardent, XIV, 308. — quis plura linit victuro musto, IX, 58.

Dolo cœpta incendia, XIII, 146.

Dolor viri flagrantior æquo non debet esse, XIII, 12. — ille solus patriam fugientibus, caruisse anno Circensibus, XI, 52. — plus exigit interdum, quam lex ulla, X, 315. — doloris justa caussa, IX, 90. — dolorem lateris pati, XIII, 229. — nemo fingit in hoc casu, XIII, 131.— lex dolori concessit, X, 315.

Domestica olim febris, IX, 17. — castra, X, 95. — exempla, XIV, 32. — tela seditioni, XV, 64.

Dominus et domini rex, V, 137.— frumenti, XIV, 293. — pretio si vincitur ullo, XIV, 145.— gestatur, VII, 179. — domini stomachus fervet vino ciboque, V, 49. — per Junonem, II, 98. — gladiis festinata mors, IV, 96. — cultris collum præbet, X, 269. — instantis virgamque tenentis vox, XIV, 63. — domino servatur panis tener, V, 71. — fertur squilla, V, 81. — erit mullus, V, 92. — ponetur boletus, V, 147.— dominum in jus trahere, X, 88. — se fecisse unius lacertæ, est aliquid, III, 231. — ad dominum veterem debere reverti piscem, IV, 52. — ne pudeat dominum monstrare tabernæ, II, 42. — jubet feriri, VI, 417. — regemque salutat, VIII, 161. — qui foderit, IX, 46. — domini tres casæ, unus vernula, XIV, 169. — futuri magnarum domuum, III, 72. — dominos mutare, VIII, 65. — spelunca quum clauderet, VI, 4. — in dominos crimen componere, IX, 111.—dominis Cirrhæ Nysæque, VII, 64. — a talibus, XI, 42. — coram dominis consumitur pecunia, XI, 47. — domina sub hasta caput præbere venale, III, 33. — a domina factus spado... dormiat cum domina, VI, 376, 377. — dominæ vox, IX, 78. — femur, VI, 423. — dominam ferre potes? VI, 30. — domini ac reges patroni appellantur a clientibus, I, 136. *N.* — domini vocantur Imperatores et dii, ut deæ dominæ, IV, 70, 71, 96. *N.* — dominæ voce moveri, VI, 530. — inter dominas, VI, 323.

Domitianus calvus Nero, IV, 38.— Juliam fratris filiam corrupit, eique mortis caussa fuit, coactæ conceptum abigere, II, 29 seq. *N.* — concilium Patrum habuit in Albano suo super rhombo pisce, IV, 28 et 154.—adulter tragico pollutus concubitu leges revocabat amaras omnibus, etc. II, 29 sq. IV, 12. — Minervæ in Albano

EBU ECH

FAB FAC

multa véteris testæ delevit, V, 35. — ardentis massæ lippus, X, 130.

Fulmine quam justo ruerint Capito et Numitor, VIII, 92. — fulmina contemnere pauper creditur, III, 145. — Tarpeia, XIII, 78. — post nimbos et fulmina, VII, 163.

Fumant fixo gutture, I, 156. — tertia tabulata tibi, III, 199. — olla pultibus, XIV, 171. — fumat aper ante ipsum, V, 116.

Fumosos equitum magistros jactare, VIII, 8.

Fumus iis hinc domi est, I, 120. — fumo lucernæ fœda lupanaris, VI, 131. — quanto celebretur sportula, III, 249.

Funambuli ars, XIV, 266, 272. *N.*

Fundat pueros in gremium, V, 141. — montem super agmina, III, 258. — fundite quæ mea sunt, XII, 37. — fusa venena, VII, 169.

Fundo inverso trulla crepitum dedit, III, 108.—Rutupino edita ostrea, IV, 141.

Funem extensum quatit hostia, XII, 5. — rectum descendere, XIV, 266. — solvite, XIV, 292.

Funesta pecunia, I, 113.

Funestat imagine gentem, VIII, 18.

Fungi titulo, imperiis, XI, 88.

Fungi ancipites, V, 146.

Funus plaudendum ducitur amicis iratis, I, 146. — portante Hectore magnis solennibus, etc. X, 259 seq. — acerbum non est luxuriæ, XI, 44. — virginis, XV, 138. — patris promittere, III, 43. — funere de lento matris consulit, VI, 565. — funera duo quantum vix redolent, IV, 109.

— sua vendunt, VIII, 192. — natorum ducenda sunt, X, 241. — minore gemitu planguntur, quam numi, XIII, 131.

Fur si displiceat Verri, II, 26. — nemo erit me ministro, III, 47. — furem quum nemo timeret caulibus, VI, 17. — prodere, XIII, 23. — furibus permixtus, VIII, 174.

Furiæ, XIII, 51. — Furiis exagitari, VI, 29. *N.* — crines hydri, VII, 70. *N.*

Furiosus quum te cogat, III, 291.

Furnos conducere, VII, 4.

Furo; furit vox domini instantis, XIV, 63. — ut avunculus Neronis, VI, 615. — Bellona, VI, 511.

Furor simplexne perdere? etc. I, 92; VIII, 97.— summus, XV, 35.— haud dubius, XIV, 136. — non unus agitat mentes, XIV, 284. — ipse dat his veniam, II, 18. — vacui ventris, XV, 100.

Furtis imbutus ofellæ, XI, 144.

Furtiva piacula tragicæ cervæ, XII, 120. — furtivæ pelliculæ aurum, I, 10,

Furva gente, XII, 104.

Fuscina Gracchi, II, 143.

Fuscinus, amicus poetæ, XIV, 1.

Fuscus vulturibus servabat viscera Dacis, IV, 111. — Fusci conjuge ebriosa, XII, 45.—Fusco jam micturiente, XVI, 46.

Fuste aperire caput, IX, 98. — fustes afferte, VI, 416.

Fusum levius tórquetis Arachne, II, 55.— fuso posito, villica legit herbas, XI, 69.

Futura; *vid.* Sum.

GAB GAD

Gabba scurra V, 4. *V L.*

Gabiorum potestas, X, 100.—Gabiis simplicibus, III, 192. — balneolum conducere, VII, 4.—vivat, VI, 56.

Gades; a Gadibus usque Auroram et Gangem, X, 1.

Gaditana canoro incipiat prurire choro, XI, 162.

HAB HAB

VIII, 150. — honori sacro non cedat, I, 110. — honorem hunc vobis præstat, o numi, V, 136. — præcipuum summumque meretur, VI, 532. — militiæ multis largitur, VII, 88. — honore dictatoris functus, XI, 87. — honores nimios optabat, X, 104. — quos illis damus et dedimus, VIII, 69. — honorum insignis pagina, X, 57.

IDE IGN

JAC

JAC

KAR

KIN

LAB

LAC

— grandia suis audebant temporibus, sed non propter nummos, VI, 645. — haec si viderat, XV, 72. — monstris summis debetur minor admiratio, VI, 647. — si nunc hæc monstra videret Pythagoras, XV, 173.

Montana uxor, VI, 5.—montanum vulgus te audiret, etc., II, 74.—montani asparagi, XI, 68.

Montanus, IV, 131. — Montani venter, IV, 107.

Monumenta; *vid.* monimenta.

Monychus quantas jaculetur ornos, I, 11.

Mora si longior urbem indulsit pueris, II, 167. — nulla per ipsam, quo minus, VI, 333.—per Novium, quin, XII, 111.—parvula dabitur, X, 340. —moræ impatiens, VI, 238, 327.—mille, XVI, 44.

Morbi inde caput, III, 236.—morbum vultu fatetur, II, 17. — missum ad sua corpora ab infesto credunt numine, XIII, 230. — morbo donare, IX, 49. — utroque pallet, II, 50. — siccis faucibus, XIII, 212.—morborum omne genus, X, 219. — morbis carebis, XIV, 156.

Mordeat ante aliquis, quidquid porrexerit mater, VI, 632.—mordere cadaver, XV, 87.—sordes farris, V, 11. —laurum VII, 19. — virgas salicti, XI, 67. — ostrea, VI, 302. — mordente joco facetus, IX, 10.—mordetur gallina marito, III, 91.

Moritur æger plurimus vigilando, III, 232.—stamine nondum abrupto, XIV, 249. — moriantur steriles, II, 140.—moriaris ut locuples, egenti vivere fato, XIV, 137. — mortuus nisi togam nemo sumit in magna parte Italiæ, III, 172. — unus sufficeret multis, XV, 79.

Moror quid te? III, 183. — moraris? I, 125. — vota (filii), XIV, 250. —morantur pauci pudorem, XI, 54. —semper Corycia puppe, XIV, 267.

—moratam in terris pudicitiam credo, VI, 1.

Mors tam sæva quem maneret, XV, 95.—sola fatetur, quantula sint hominum corpuscula, X, 172.—mortis terrore carens, X, 357.—mortem distulit tot per sæcula, X, 248.—exhorruit, VIII, 195. — morte viri animam servare catellæ, VI, 654.—dignus perit, VIII, 85.—magis metuenda senectus, XI, 45.—sicca pauci tyranni descendunt ad generum Cereris, X, 113.—piandum nefas, XIII, 54.—de morte hominis nulla cunctatio longa est, VI, 221. — a morte digitis quatuor remotus, XII, 58. — mortes hinc subitæ, I, 144.

Morsum non admittentia frusta, V, 69. — morsu primo deprendere, IV, 142.—tenebit zonam, XIV, 297. — frangere porrum, XV, 9.

Mortalis si nemo sciat, XIII, 76.

Mortaria sanant cæcos, VII, 170.

Mortifera res, IX, 95.—facundia, X, 10.—dos, XIV, 221.—mortifero cum Catullo, IV, 113.

Mos ut est, VI, 392.—quibus est aurata fulgere lacerna, X, 212. — moris erat servare, XI, 83. — more sinistro, II, 87.—Phrygio, II, 116. —hoc vivebant, XIII, 38. — animæ obtritum perit omne vulgi cadaver, III, 261. — Numæ cædit juvencum, VIII, 156. — Camilli servato, XVI, 15.—mores prætextatos referunt, II, 170. — teneros ceu pollice ducat, VII, 237.—peregrinos intulit pecunia, VI, 299.—sanctos tradiderit domus, X, 298.—Urbis damnante Canopo, VI, 84.—honestos ut tradat mater atque alios, quam quos habet, VI, 239. — pone ante effigies majorum, VIII, 22. —generis humani nosse volenti sufficit una domus, XIII, 159.—totos illic deterior habet femina, X, 323.—ad damnatos natura recurrit, XIII, 239.—ejus erant, qualis facundia, IV,

NÆV NAR

— manus sævit, XV, 54. — signa, III, 216. — constitit, VI, 122. — effigies Dei, XI, 106. — mamma tenere venabula, I, 23. — nudi Cynici dolia, XIV, 308. — mariti spoliis gaudere, VI, 232. — nudum et frusta rogantem nemo juvabit cibo et tecto, III, 210. — nudum vultum erigit, VIII, 205. — te quamvis viderit Virro, IX, 35. — mancipium stans fornice, XI, 170. — nudo latere lecti, XI, 96. — digito mendicat, XI, 43. — remige, IV, 49. — talo quos traducit Gallia, VII, 16. — nudas ostendit Pyrrha puellas, I, 84. — nudis calcibus premere anguem, I, 43. — infantibus arridens fortuna, VI, 606.

Nugas has non capit humilis domus, XI, 169. — nugis his si dedisset tempora, IV, 150.

Nullus parasitus erit, I, 139. — non vicus habebit, VI, 656. — labor magni sceleris, XIV, 224. — verbis pudor, II, 110. — in Urbe locus, III, 22. — tibi luserit Æneas, V, 138. — exitus placet, VI, 33. — quadrans, VII, 8. — nitor in cute, IX, 13. — ephebum castravit tyrannus, X, 305. — apud tragicos populus, XV, 31. — nulla fronti fides, II, 8. — emolumenta laborum, III, 22. — incendia, nulli nocte metus, III, 197. — crepido vacat? V, 8. — jacens exigit munuscula, VI, 36. — boni hujus voluptas, VI, 180. — ducendi caussa, VI, 201. — cunctatio longa de morte hominis, VI, 221. — fere caussa est, VI, 242. — mora, VI, 333. — pudorem paupertatis habet, VI, 357. — viri cura, VI, 508. — videtur aptior hora, VI, 580. — spes ulterior, VII, 30. — res minus constabit, etc. VII, 187. — gratia umbrarum, VIII, 63. — aconita bibuntur fictilibus, X, 25. — divitibus cœnandi voluptas, XI, 120. — uncia eboris, XI, 131. — coturnix pro patre cadet, XII, 98. — mora per Novium, nulla per Histrum, XII, 111. — convivia super nubes, XIII, 42. — exempla beati pauperis, XIV, 120. — theatra, pulpita, XIV, 256, 257. — cadavera calcent, XV, 60. — nulla ne, VI, 161; XIII, 174. — nulla virtute redemptum a vitiis monstrum, IV, 2. — non arte petitus, X, 110. — nullum ergo meritum est, IX, 82. — jus capiendi, I, 56. — forte cecidit, III, 278. — crimen abest, VI, 294. — consulit, VI, 574. — in conjuge crimen, VIII, 127. — operæ pretium, IX, 27. — numen habes, X, 365; XIV, 315. — naufragium, XII, 21. — discrimen habendum, XIII, 118. — tam detestabile factum, III, 126. — nulli vendimus suffragia, X, 77. — magis nota domus sua, I, 7. — gravis est percussus Achilles, I, 163. — comes exeo, III, 47. — major fuit usus edendi, IV, 139. — credite mensæ, VI, 630. — servire paratum (armentum), XII, 106. — nasus integer, XV, 55. — nullam invenies quæ parcat amanti, VI, 208. — prudentia cani rectoris conferret opem, XII, 32. — Sirena flagellis comparat, XIV, 19. — nullo cornu gemit tibicina, II, 90. — dextram subeunte bacillo, III, 28. — palliolo culta, III, 94. — vindice, IV, 152. — alio vincis discrimine, VIII, 53. — cogente Nerone, VIII, 192. — violatus Jupiter auro, XI, 116. — a metallo, XIII, 30. — credunt mundum rectore moveri, XIII, 87. — sub teste, XV, 26. — nullos habere parentes, VI, 13. — nullas nummorum ereximus aras, I, 114. — nullis adjuta cothurnis, VI, 506. — cervicibus, VI, 589. — aconita propinquis miscuit, VIII, 218. — ornata macellis (fercula), XI, 64. — flagrantia præcordia caussis, XIII, 181. — meritis minor merces, XIV, 165.

Numa ubi nocturnæ constituebat

bello, XIV, 193. — poscentibus assem pueris, XIV, 208.

Posides spado, XIV, 91.

Possideo plus Pallante, I, 108. — possidet quot jugera, III, 141. — quot villas, X, 225. — possideat Pacuvius, quantum rapuit Nero, XII, 129. — possederis si solus tantum culti agri, quantum, etc., XIV, 159.

Possum non ferre Græcam urbem, III, 60. — nec possum, nec volo funus promittere patris, III, 44. — sic possum affari, XIV, 211. — potes si avelli Circensibus, III, 223. — si illa pati, V, 3. — si omnia ferre, et debes, V, 171. — ferre dominam salvis tot restibus, VI, 30.—vix ferre, XIII, 14. — facit indignatio versum qualemcumque potest, I, 80.—potest quo vult accusare, III, 54.—alienum sumere vultum, III, 105.—quem præstare pudorem? VI, 252.—contingere thyrsum, VII, 60. — ridere Mamercorum alapas, VIII, 191. — conferre, X, 302. — nec possunt insistere plantis, VI, 96. — quid majus dare numina? VI, 568.— tantum artes hujus, VI, 595. — pauci dignoscere vera bona, X, 2. — poteram alias subnectere caussas, III, 315. — poterant quibus ignoscere illorum manes, XV, 105. — potuit minoris emi piscator quam piscis, IV, 25. — quod potuit, VI, 128.—contemnere gladios, X, 123. — servare suas res, XIV, 262. — non aliter poterit dormire, III, 281. — succurrere lunæ laboranti, VI, 443.—tanto contexere cursu, XIV, 27. — da aliquid quod possim, etc., VIII, 68.— linguam contemnere servi, IX, 123. — quod possis excerpere, VI, 62.— famæ opponere, IX, 86. — vendere, XIV, 200. — domum reverti, XIV, 282.—producere testem falsum, XVI, 33. — ignavus haberi, III, 272. — inde epulum dare, III, 229. — quæ credere subrepta, V, 152. — quod ipse tibi dare, X, 363.—hoc non facere quinque diebus continuis, XI, 206. — ut Stentora vincere, XIII, 112. — vix dicere, quam multi talia plorent, XIV, 150. — nihil quod credere de se non possit, IV, 71. — incendi Nestoris hernia, VI, 326. — ferre cœtus virorum, VI, 399. — non possem indulgere, VI, 282. — nec civis erat qui posset, etc., IV, 90. — quid fieri non posse putes, VI, 41. — summos posse viros, etc., X, 49. — posse volunt, X, 97. — nullum conferri posse, etc., XII, 21.

Post hunc, I, 33; V, 116; X, 272. — munus aristæ, XIV, 183. — hunc minores censebunt, VI, 499. — te sella, VII, 142. — duos menses, VI, 15.—terga jam reliquit sexaginta annos, XIII, 16. — hæc, II, 62; VIII, 247; XIV, 55, 158. — quem nil amplius edit, V, 148. — minor est, credas aliam; a fronte, etc., VI, 504.— ipsam an sit victurus, VI, 568. — nimbos et fulmina, VII, 163. — omnia perdere naulum, VIII, 97. — cuncta, XI, 42. — meritum sane mirandum, XII, 124. — finem autumni, XIV, 190. — herbas, XV, 99. — damnum temporis, IX, 125.

Posteritas, I, 148. — Hirpini, venale pecus, VIII, 62.

Postes ornentur et grandi janua lauro, VI, 79. — loquentur, IX, 104.— postibus coronam necte, VI, 52.

Posthac multa contingere virga, VIII, 7. — cogetur, VII, 18.

Posthume, vetus est, etc., VI, 21.

Postquam veneris, XIII, 161.— *Conf.* III, 302; IV, 153; VI, 372; VIII, 203, 250; XI, 75; XII, 62, 64; XV, 72.

Postremo etiam timeret, XI, 91.

Postulat populus, VII, 243.

Postume, vid. *Posthume*.

Potat ipse diffusum capillato consule, V, 30.—potatis vos aliam aquam,

Qua; *vid.* Qui et Quis.

Quadra aliena vivere, V, 2.

Quadrans tibi si nullus in umbra ostendatur, VII, 8. — quadrante lavari, VI, 447. — quadrantes centum lectica petit, I, 121.

Quadrijuges alti, VII, 126.

Quadringenta parant tabernæ quinque, I, 106. — sestertia dedit Gracchus dotem cornicini, II, 117. — tibi si quis deus aut similis diis donaret! V, 132. — fac tertia, XIV, 326. — quadringentis nummis condire gulosum fictile, XI, 19.

Quadrivio medio ceras implere, I, 64.

Quæ, Quæcumque, Quænam, Quæque; *vid.* Quis, Quicumque, Quidam, Quinam, Quisque.

Quæro an deceant, II, 76. — te in qua proseucha? III, 296. — quæris quid? nubit amicus, II, 134. — quid ultra, etc., V, 19. — quærit sibi materiam ducis indulgentia, VII, 21. — sibi alium asellum, IX, 92. — ab omni, quisquis adest, X, 253. — nemo, unde habeas, sed oportet habere, XIV, 207. — quærunt per omnia gustus elementa, XI, 14. — eadem animalia sumptis pennis, XIV, 76. — quærebat, quæ numinis esset mens, XIII, 202. — quæras si nomina morborum, X, 219. — conjugium, XI, 29. — ne quæras scelere in tanto, XV, 89. — quærat qui te per compita, non deerit, IX, 112. — jampridem caput hoc ventosa cucurbita, XIV, 58. — quæramus panem aratro, XIV, 181. — quære legatum in magna popina, VIII, 172. — ocius Archigenem, XIV, 252. — quærendi decoris cura, VI, 501. — quæritur illi uxor, VI, 46. — aquarius, VI, 333. — quæsitus multum Hylas, I, 164. — quæsitum omni ex crimine lucrum, XIII, 25. — ad fontem, XIV, 104. — quæsita per humum saxa, XV, 63.

Quæso, dic mihi, VI, 393. — vivat, XII, 128.

Quæstio ultima fiet de moribus, III, 141. — ubi summa, VII, 156.

Qualis erat adulter, II, 29. — Erinnys, VII, 68. — facundia, mores ejus erant, IV, 82. — cœna tamen, V, 24. — facies et quali digna tabella! X, 157. — rediit! X, 179, 185. — futura sit uxor, X, 353. — testudo nataret, XI, 94. — domus atque supellex, tales cibi, XI, 99. — quale facit, II, 57. — vinum bibebant, V, 36. — decus rerum, VI, 255. — qualem Cereris vult esse sacerdos, XV, 141. — Claudius edit, V, 147. — nequeo monstrare, VII, 56. — (vultus) habebat, IX, 3. — præstabat, IX, 13. — ipsa habuit faciem, X, 293. — mimum agit, XIII, 111. — quales (versus), I, 80. — extollit Fortuna, III, 39. — epulas ipsum glutisse putemus, IV, 28. — tales rugæ Quales, etc., X, 194. — fuerant in vitibus, servatæ uvæ, XI, 72. — et Turnus et Ajax, XV, 65. — esse decet, XI, 155. — poma qualia Phæacum autumnus habebat, V, 151. — demens Ægyptus portenta colat, XV, 1.

Qualemcumque potest facit indignatio versum, I, 80. — qualiacumque voles somnia, VI, 547. — unguenta, XV, 49.

Qualibet ex re, XIV, 205.

Quam timeo ne, etc., X, 84. — *Conf.* I, 7; III, 23; IV, 26; V, 57, 80; VII, 13; VIII, 53; IX, 38, 46, 73; XI, 3, 50; XVI, 5, 22, 33.

Quamquam, II, 4; IV, 79; VI, 88, 199; VII, 15; X, 34; XI, 205; XII, 25; XIII, 102, 241; XV, 160.

Quamvis natus ad Euphratem, I, 103. — metuam, V, 5. — *Conf.* III, 1, 61, 282; IV, 104; V, 15; VI, 93; IX, 35; XIII, 3, 13, 207; XVI, 56.

Quando uberior vitiorum copia? quando major avaritiæ patuit sinus?

RAD RAP

committere, I, 162. — qualis confundat Erinnys, VII, 68.—Rutulis montibus ignotum carmen, VI, 637. — arboribus bellua pascitur, XII, 105.

Rutupino fundo edita ostrea, vel ad Lucrinum saxum, IV, 141.

SAC SÆV

Sabbata festa mero pede observant reges, VI, 159. — metuens pater, XIV, 95.

Sabella mensa, III, 169.

Sabina omni bellum dirimente intactior, VI, 164. — bacca, III, 85.

Sabinas seu Sabinos veteres imitata, X, 299.

Sacci olentis mercator, XIV, 269.

Sacculus turget pleno ore, XIV, 138. — distat ab arca, XI, 27.

Sacello spondere pecudem, XIII, 232. — voveas exta, X, 354.

Sacer fons, III, 13. — honor, I, 110. — cercopithecus, XV, 4. — senatus, XI, 29. — sacra senecta, XIII, 59. — imago tua et major humana, XIII, 221. — victima, XII, 113. — sacrum fulcrum, VI, 22. — depositum, XIII, 15. — saxum, XVI, 38. — sacris diebus, VI, 536. — libellis, XIII, 19. — delubris, XIII, 107.

Sacerdos Cereris qualem vult esse, bonus et face dignus arcana, XV, 141. — magna arboris, VI, 544. — vittata, IV, 10.

Sacramentorum alia emolumenta, XVI, 36.

Sacraria lenæ Isiacæ, VI, 489.

Sacri nefandi Taurica inventrix, XV, 116. — sacro rite peracto, XII, 86. — sacra publica intacta agerentur, VI, 336. — nutantia loro arcano ferens, II, 125.—eadem colenti, XIV, 103. — sacrorum antistes, II, 113.

Sacrificantes dictata haruspicis verba repetebant, VI, 391. *N.* 392.

Sacrilegii genera, XIII, 147 sq.

Sacrilegus Verres, VIII, 106. — minor exstat, qui radat femur inaurati Herculis, XIII, 150. — sacrilega fraude intercepta, XIII, 72.

Sæcula felicia, III, 313. — in tua servatum rhombum consume, IV, 68. — turpi luxu fregerunt divitiæ molles, VI, 299.—per tot mortem distulit, X, 248. — argentea primos viderunt mœchos, VI, 24. — pejora ferri temporibus, XIII, 28. — aurea, argentea, ferrea, VI, 1-25. — novem mundi, XIII, 28. *N.*

Sæpe vocandus, IV, 1. — conjuge relicta, V, 76. — horridior marito, VI, 10. — gaudia votaque decepta, VI, 602. — emungeris, VI, 147. — rogaris, IX, 73. — rapui puellam, IX, 74. — elusus creditor, XI, 9. — sæpius exsul, VI, 557. — grassatur, XIV, 174.

Sævit gula, V, 94. — manus, XV, 54. — rabie vulgus, XV, 126. — sævire docet Rutilus, XIV, 18. — flagellis in Corum atque Eurum, X, 180.

Sævitiæ tempora, IV, 151. — sævitiam damnare, IV, 85.

Sævus exitus, X, 126. — sæva grando, V, 78. — tyrannis, VIII, 223. — Colchis, VI, 643. *V. L.* — arx tyranni, X, 307. — grus, XIII, 176.—cupido immodici census, XIV, 175. — Charybdi dignus, XV, 17. urbs, III, 8. — vincla, XIII, 186.— mors, IV, 95. — sævo codice dignus, X, 236. — sævos tyrannos perimit, VII, 151. — in ventres abeant tota novalia, XIV, 148. — labores credat, X, 361. — sævæ leges, VII, 229. — Alpes, X, 166. — sævis ursis inter se convenit, XV, 164. — sævior illo, IV, 109. — armis luxuria incubuit,

Separat hoc nos a grege brutorum, XV, 142.

Septa asparagis squilla, V, 81.

Septem fercula quis secreto cœnavit avus? I, 94. — digitis a morte remotus, XII, 59. — filios necassem, si septem forte fuissent, VI, 642. — bis septem ordinibus, XIV, 324.

Septembris et Austri adventum metui jubet, VI, 517. — Septembri medio hesternum solitus servare minutal, XIV, 130.

Septenis in diem horis oderit illam, VI, 183.

Septimus quum annus transierit puerum, XIV, 10. — interdum sol invenit jacentem, XV, 44. — septima quæque lux fuit ignava patri, XIV, 105.

Sepulchri titulo res digna, VI, 230. — sepulchris quoque ipsis data sunt fata, X, 146. — in iis arbores, flores sparsi et terra vel levis vel gravis, VII, 207 sq. *V. L.* et *N.*

Sequitur qui populus, premit agmine lumbos, III, 245. — sua quemque culina, III, 250. — quæ mœchum, stomacho valet, VI, 100. — pœna crimen, XIII, 90. — Fortunam, ut semper, X, 73. — quem custos angustæ vernula capsæ, X, 117. — maritum uxor, I, 121.—sequuntur restem statuæ, X, 58. — sequantur figuli tua castra, IV, 135. — ne crimina nostra ex nobis geniti, XIV, 39.—sequutus urnam Hylas, I, 164. — jam sequar, XII, 86.

Seram pone; cohibe uxorem. Sed, etc. VI, 347.

Serenum exspectet, VII, 179. — sereno hoc dilata tempestas, XIII, 228.

Seres quid agant, VI, 403.

Sergiolus gladiator, quem Hippia, senatori nupta, comitata est in Ægyptum, VI, 82-113.

Sergius; vid. *Sergiolus.*

Seria inter et curas habendum nemo duxit, etc., XI, 93.

Serio Titioque bonis, IV, 13. *V. L.*

Seripho parva caruisse, VI, 564. — clausus, X, 170.

Sermo est mihi tecum, VIII, 39. — illis rarus, II, 14. — filius est per urbem, I, 145. — promptus et Isæo torrentior, III, 73.—pudicus non est hic in vetula, VI, 193. — sermonem indocti laudat, III, 87. — sermone hoc pavent, etc., VI, 189. — rotato curvum torqueat enthymema, VI, 449. — sermones hi de Sejano, X, 88. — qui? XIV, 152.

Sero pœnitet, I, 169.

Serpens argentea visa est caput movisse, VI, 538. — longus in dolia deciderit, VI, 432. — non unus, nec culeus unus debuit parari ejus supplicio, VIII, 214. — Hesperidum aut Ponticus si servet easdem fortunas, XIV, 114. — serpente ciconia pullos nutrit, XIV, 74. — serpentum major concordia, XV, 159. — serpentibus saturam ibin pavet, XV, 3. — a serpentibus Afros tutos facit tale (oleum), V, 91. — serpentes avidissimi sunt vini, VI, 432.

Serraco veniente, III, 255. *V. L.*

Serrano tenuique Saleio gloria quid erit? VII, 80.

Serta dum poscimus, obrepit senectus, IX, 128. — delubris imponite, XII, 84.

Sertorius cur desiderio Bibulæ ardet, VI, 142.

Servilia quum dederit nummos, fiet et illius, quem non amat, X, 319.

Serviret quum Roma calvo Neroni, IV, 38. — servire jubetur ferrata domus, VII, 41. — quisquam Deorum vellet huic? X, 184. — nulli privato paratus, XII, 106.

Servitii longi tempora perierunt, III, 125.

Servius ancilla natus, VIII, 259.

Servo; servas cui tot prædia? IX, 54. — servat quantum nummorum quisque in arca, tantum habet et fidei, III, 143. — medio Septembri hesternum minutal, XIV, 129. — ignem Trojanum Alba, IV, 60.—non finem impensæ prodiga Roma, VII, 138. — servant ac metuunt jus, XIV, 201. — servabat cista libellos, III, 206. — hyems prædam recentem, IV, 59. — Fuscus viscera vulturibus Dacis, IV, 111.—Minervam ex flagranti æde, III, 139. — servavit conjugium in multis domibus adulter, IX, 80.— servet si fortunas easdem Hesperidum serpens aut Ponticus, XIV, 113. — servare Cleanthas pluteum jubet, II, 7. — animam viri cupient morte catellæ, VI, 654.—terga sicci suis festis diebus moris olim erat, XI, 83.—non potuit res suas Mars, XIV, 262. — servatur domino tener et niveus panis, V, 71. — servantur tantis parta malis cura majore metuque, XIV, 304. — pluris Decii, quam qui servantur ab illis, VIII, 258. — servatum in tua sæcula rhombum consume, IV, 68. — victo caput abstulit Fortuna, X, 286. — servato more Camilli, XVI, 16. — servata semper lege et ratione loquendi, VI, 453. — Jovi hostia, XII, 6. — servatæ uvæ parte anni, XI, 71.

Servulus infelix recta cervice portat res, III, 253. — unus semodio scobis uno hæc emundat, XIV, 67.

Servus matronis lugendus occulta ad Patres produxit crimina, VIII, 266. — erit minus miser, qui foderit agrum, etc., IX, 45. — publicus tenet coronam et curru portatur eodem (triumphali), X, 42. — ita servus homo est, VI, 222. — servi in complexibus jacet, VI, 279. — divitis latus claudit hic filius ingenuorum, III, 131. — succincti ministrant, IV, 24. — fusci, formosi, Græci, viles, magno pretio empti, etc., V, 52.—stant, et convivæ recumbunt, V, 56-65. — proceri, V, 82. *N.* — nudi in catastis exponuntur venales, VII, 16. *N.* — inscripti, inusti, etc., XIV, 24. *N.* — tibi octo, VII, 141. — ut taceant, jumenta loquuntur, IX, 103. — mali pars pessima lingua, IX, 120. — linguam contemnere ut possim, etc., IX, 123. — videant, ne quis neget, X, 87.—servo pone crucem... Meruit quo crimine servus Supplicium?..... O demens, ita servus homo est? VI, 219 sq. — servo horrenti tunicam non reddere, I, 93. — lambenti crustula colaphum incutimus, IX, 5. — servum talem sortitus quid facias? nempe in Lucanos aut Tusca ergastula mittas, VIII, 179. — servorum barbarorum signum pedes albi seu gypsati, I, 111. *N.* — ventres Romæ magno, III, 167. — spem abstuleris, venit conductus aquarius, VI, 332. — nomina agnoscit, X, 234.—scapulæ et pedes, IX, 68. — de grege magna vovebit, XII, 116. — animas et corpora nostra materia constare putat? XIV, 16. — cohortem noctu vigilare jubet Licinus, XIV, 306. — ventres modio castigat iniquo, XIV, 126. — servis incurritur, si nihil est, VI, 331. — munera sunt danda, ut mereatur gratia patroni et aditus, III, 184 sqq. — cultis augere peculia, III, 189. — superbis plena quæque domus maxima, V, 66. — regna dabunt fata, VII, 201. — servos odit, VI, 511.—pone, XI, 189. — quot pascit, III, 141. — Servorum demensum, VII, 120. *N.* — testimonia adversus dominos, X, 87. *N.* — *Conf.* Puer.

Sestertia centum perdere, I, 92.— quadringenta dedit Gracchus dotem cornicini, II, 117. — tot, partem exiguam cœnæ, ructarit scurra palatii, IV, 29. — libris paribus æquantem mullum emit, IV, 16. — duo

Solatur se hoc (plectro), VI, 384.

Solea, VII, 192. *N.* — nates pulsare, VI, 612.

Solenne Idæum canunt, XI, 192. — solennibus magnis venire ad umbras, X, 259.

Soleo exorare, IX, 138. — solet me luna deducere, III, 286. — vicinos rapere, VI, 415. — lavari cum rhinocerote, VII, 131. — defendere caussas nobilis indocti, VIII, 48. — creditor hos exspectare, XI, 10. — nocte reverti, XI, 185. — his ignoscere, XIII, 103. — rectum descendere funem, XIV, 266. — scelerare Cererem, IX, 25. — magna voce vendere, IV, 32. — ponere gemmas in fronte vaginæ, V, 44. — quæ Cotta largiri, V, 109. — solebat in monte Volscorum poscere mercedes, VIII, 245. — Democritus agitare pulmonem perpetuo risu, X, 33. — Jupiter fictilis hanc curam præstare Latiis rebus, XI, 115. — solebant elephanti parere Tyrio Hannibali, XII, 107. — soleat hic vates nihil expositum deducere, VII, 54. — solitus penetrare, V, 106. — in Corum atque Eurum sævire flagellis, X, 180. — totum conflare tonantem, XIII, 153. — servare minutal hesternum medio septembri, XIV, 129. — falsas signare tabellas, VIII, 152. — solitum vulgus fictilibus dare vela phaselis, XV, 127. — solito decentius optat, VI, 487. — maturius ibat, XI, 88. — soliti Baptæ Cecropiam lassare Cotytto, II, 92. — romanas contemnere leges (Judæi sc.), XIV, 100.

Solers evasit Ulixes, IX, 65.

Solidum mare, X, 176. — solida hora, XI, 205. — solidæ farinæ, V, 68. — solidam mercedem capere, V, 13. — Solidus, VII, 122. *N.*

Sollennis; *vid.* Solenne.

Sollicitemus non amicos se excusaturos, XVI, 28. — sollicitent te blandæ densæque tabellæ, IX, 37.

Sollicitus, ne turba peregerit orbem, V, 20. — tamquam lapides effuderit imber, XIII, 67. — sollicitæ portæ, VII, 42.

Solocis crassi lacernæ, IX, 29. — *V. L.*

Solœcismum fecisse liceat marito, VI, 456.

Solonis justi vox facunda Crœsum respicere ad longæ jussit spatia ultima vitæ, X, 274.

Solstitia octogesima vidit, IV, 93.

Solum vertere, XI, 49. — russati Lacernæ, VII, 114.

Solus Cæsar respexit Camœnas, VII, 2. — habet amicum, nunquam partitur, III, 122. — protegit urbem (Marius), VIII, 250. — ille dolor est, XI, 52. — possederis tantum agri, etc., XIV, 159. — Ithacus hoc canebat nullo sub teste, XV, 26. — sola victima tantis digna Deis, XII, 114. — peccandi voluntas, XIII, 208. — mors fatetur, quantula sint hominum corpuscula, X, 172. — tegula eum tuetur a pluvia, III, 201. — atque unica nobilitas est virtus, VIII, 20. — libidine fortis, IV, 3. — solum poscimus, ut cœnes civiliter, V, 111. — hoc optas, X, 189. — quid tam solum vidimus? III, 6. — soli tibi commissa, IX, 93. — Pacuvio breviter omnia dabit, XII, 124. — solam avaritiam inviti exercere jubentur, XIV, 107. — solo liberto impleverit tabulas, II, 58. — solo pomorum odore pasci, V, 150. — se carmine vexant (pectora), VII, 63. — in solo palato causa vivendi, XI, 11. — hoc propior, VI, 510. — sola febre calet, X, 218. — soli sortiti ingenium, XV, 143. — sonant fora sola theatro vacuo, X, 218. — solos verpos deducere ad fontem, XIV, 104. — habendos esse Deos quum credat, XV, 37. — solis in armis fulgebat argenti quod erat, XI,

quanquam omnia a Pyrrha volvas, XV, 30.

Syrophœnix udus amomo, VIII, 159.

Syrus Orontes jampridem in Tiberim defluxit, III, 62. — Syrorum longorum cervice vehitur, VI, 351.

Tabella conducenda magnus civis obit, VI, 558. — quali digna facies! X, 157. — votiva testantur plurima fana, XII, 27.—tabellæ croceæ membrana impletur, VII, 23. — blandæ et assiduæ densæque te sollicitent, IX, 36. — tabellas quas lecture, si tibi retegantur scrinia mœchæ, VI, 277. — falsas signare in templis, VIII, 142. — tabellis legitimis tibi pacta junctaque, VI, 200. — missis a corruptore, VI, 233. — fixis legitime vestitur tota porticus, XII, 100. — lectis decies diversa parte vana supervacui dicunt chirographa ligni, XIII, 136.

Taberna Liparæa, XIII, 45. — tabernæ quinque quadringenta parant, I, 105. — dominum monstrare ne pudeat, II, 42. — catenatæ compago, III, 304. — unius dominum se fecisse, III, 231.

Tabraca (al. Thabraca, Tabathra, Tabracha) pandit umbriferos saltus, X, 194. *V. L.*

Tabula distinguitur unda, XIV, 289. — generis capaci jactare Corvinum, VIII, 6. — cum tabula adsint pueri et ponatur calculus, IX, 41. — tabulæ signatæ, dictum Feliciter! ingens cœna sedet, II, 119.—ad casum non loculis comitantibus itur, I, 90. — in tabulam Sullæ si dicant discipuli tres, quis tulerit? II, 28. — tabulas implevit solo liberto, II, 58. — impleret decolor heres, VI, 601. — quoque ruperat et jam signabat, IX, 75. — delebit, si Libitinam evaserit æger, XII, 123. — post hæc mutare parabis, XIV, 55. — tabulis exiguis et gemma uda se lautum fecerat et beatum, I, 68. — Parrhasii, VIII, 102. — in tabulis præcipuam ceram senis abstulit orbi, IV, 19.

Tabulata tibi jam tertia fumant, III, 199. — numerosa excelsæ turris parabat, X, 106.

Taceo, si ostendis, XIII, 127. — taces hoc, IX, 26. — tacet omnis turba, VI, 439. — taceant ut servi, jumenta loquuntur, IX, 103.—omnes, V, 169; IX, 106. — illi, IX, 115.— tace, atque nube, II, 61. — jam, VIII, 97. — tacendi libido, II, 14. — tacendæ offensæ, IV, 105. — tacendis semper æstuat animus, III, 50. — tacitus nostras intra te fige querelas, IX, 94. — recedas, III, 297. — tacito bilem tibi non contrahat uxor, XI, 185. — tacitum intra se scelus qui cogitat ullum, facti crimen habet, XIII, 209. — tacita culpa sudant præcordia, I, 167.

Tæda si sit latissima, quatuor aut septem digitis a morte remotus, XII, 59. — secreta coluerunt talia Orgia, II, 91. — in illa lucebis, qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant, I, 155.—cum tædis sulphura si qua darentur, cuperent lustrari, II, 158.

Tædia subeunt animos, VII, 34.— talis quoque vitæ sunt magna, XI, 207. — mille ferenda, XVI, 44.

Tædia non lambit Cluviam, II, 49.

Tagus et Pactolus aurum rutila volvit arena, XIV, 299. — Tagi opaci omnis arena, III, 55.

Talenta propter mille temerarius, XIV, 274.

Talis umbra, II, 156. — sub nostro

— non tantum meiere fas est ad effigies, I, 131. — ipse jacebit vacuis toris, I, 136. — tantum admirari, tantum laudare disertos, VII, 31. — valet, X, 238. — vel nodus tantum, V, 165. — tantum tonsoris damno, VI, 373. — duas res optat, X, 80.— *Conf.* III, 289, 302; IV, 4; VI, 657; VII, 1, 56, 81; VIII, 30; IX, 134; X, 231; XI, 37, 150; XIV, 51, 278; XV, 118, 149, 166; XVI, 44.

Tantumdem est, III, 298. — habere seu haberi, X, 91.

Tarde venisse Liburnus (lecticæ gestator) dicitur, VI, 477.

Tardus abdomine venter, IV, 107. — tarda prora, X, 186. — tardum ingenium, III, 73. — longumque putavit exspectare, XV, 82. — tardos desidia (pisces) effundit glacies, IV, 44. — tardas colus exspectare grave est, XIV, 248.

Tarentum coronatum et petulans madidumque, VI, 297.

Tarpeium limen adora, VI, 47. — Tarpeio Jovi servata hostia, XII, 6. — Tarpeia per fulmina, XIII, 78.

Tarquinii Superbi ager Marti consecratus, VI, 525.

Tarsus Ciliciæ oppidum ubi Pegasus ταρσὸν fregit, III, 117.

Tatius; sub Tatio quantum populus Romanus arabat, XIV, 160.

Taurea punit flexi crimen facinusque capilli, VI, 492.

Taurica illa nefandi sacri inventrix, XV, 116.

Tauromenitanæ rupes miserunt mullum, V, 93.

Taurus pinguior Hispulla et ipsa mole piger, etc., XII, 11. — tauro admoto licet perjuria dictet Phalaris, VIII, 82.

Tectoria prima reponit, VI, 467.

Tectum ambulat vertigine, VI, 304. — aliud Laribus conjungere, XV, 154. — tecto juvabit nemo nudum, III, 211. — gaudet, VII, 105.—tecta parva vitiis contingi labor quondam non sinebat, VI, 289. — ne collapsa ruant subductis columnis, VIII, 77. —tectorum assidui lapsus, III, 8.—tectis sublimibus quod spatium, III, 269.

Tedia, II, 49. *V. L.*

Tegetis pars dimidia brevior, V, 8. —hibernæ institor, VII, 221. — tegetem præferre Palatino cubili, VI, 117. — a tegete et baculo tuta senectus, IX, 140.

Tegimen (tegmen, tegumen) dimidium cruris sinistri, VI, 257.

Tegit inguina gutto, XI, 158. — tegunt eos arma, XVI, 48. — texit quem cista Latini, VI, 44. — teges occulta, ut curia Martis Athenis, IX, 101. — tegant vela rimas, IX, 105. — tegitur cinis Flaminia, I, 171. — qui parma et galea, V, 154. — tegi per glaciem perone alto eum non pudet, XIV, 186.

Tegula sola quem tuetur a pluvia, III, 201.

Tela descendat cum tota aranea, XIV, 61.

Telamonem ut præteriit Ajax, vinceris, XIV, 214.

Telephus ingens diem mihi consumpserit, I, 5.

Telesine, VII, 25. *V. L.*

Teli vice sævit manus, XV, 53.— tela non finem dabunt animæ, non gladii, non saxa, X, 164. — domestica seditioni, saxa incipiunt torquere, XV, 65.—hæc Deorum et saxa esse putant, XIII, 232. — telorum quidquid habent armamentaria cœli, XIII, 83.

Tellure procul, III, 89.

Temerarius tu propter mille talenta et centum villas, XIV, 275. — usque adeo, V, 129. — temeraria lina contemnunt Charybdim, V, 102.

Temetum minimum qui urna duxerat, XV, 25.

Temone de Britanno excidet Arvi-

tur, XV, 8. — totum illud nil perdidit, III, 209. — œnophorum sitiens, VI, 425. — Nestora vivat, XII, 128. — annum expiet, VI, 521. — regis agrum cruentis erepet genibus, VI, 525.— conflare Tonantem, XIII, 153. — qui sibi posceret orbem, XIV, 313.—corrosis ossibus edit, XV, 80. —totius gentis crura levia, VIII, 115. — populi annus, XVI, 43. — totam pervolet urbem, audax, VI, 398. — cui tremuli frontem Cæsonia pulli infudit, VI, 616. — per diem cessare, XI, 183. — Romam circus capit, XI, 195. — hanc turbavit filius amens, XIV, 94. — toto posuere monilia collo, II, 85. — æquore quidquid conspicuum, IV, 54. — repetitus clamor ab antro, VI, 328. — in orbe quid fiat, VI, 402. — vinum nescire Decembri, VII, 97. — mergatur aheno, VIII, 86. — foro arca nostra maxima, X, 24. — orbe secunda facies, X, 63. — cadavere jacuit, X, 287.— grege mollior hædulus, XI, 66. — toro versata membra, XIII, 218. — me laudet vicinia pago, XIV, 154.— certamine nasus integer vix cuiquam, XV, 55. — qui stetit absumpto jam corpore, XV, 91. — totos sibi ponit apros, I, 140.—pande sinus, I, 150.— deterior totos habet illic femina mores, X, 323. — totis cuneis, VI, 61. — Quinquatribus optat, X, 115. — pro legionibus, VIII, 255.

Trabea, X, 35. — trabeam et diadema ancilla natus meruit, VIII, 259.

Trabibus magnis plenum mare, XIV, 276. — fractis, XIV, 296.

Tractare duros rudentes, VI, 102. — alias rosas, XIV, 254. — munera, IX, 53. — tractemus commoda communia, XVI, 7. — tractandum memori pectore, XI, 28. — tractanda omnia inermi justitia, IV, 80. — tractato pulmone columbæ, VI, 550.

Tradit quem nobis fama superbum, VIII, 72. — tradunt quæ carmina, XV, 117. — quæ pueris parentes, XIV, 3. — tradidit arcano quodcumque volumine Moses, XIV, 102. — honestos mores, VI, 239; X, 299.— traditur vir viro, II, 129. — traduntur inguina medicis, VI, 370. — post hunc tubera, V, 116.

Traducit quos Gallia nudo talo, VII, 16.—avos squalentes, VIII, 17. — traducebat se Ulixes in lorica Achillis, XI, 31. — traducimur illuc miseri, II, 159. — Traducere, ut trajicere, travehere, tradere, transmittere, etc. XI, 31. *V. L.*

Tragicæ furtiva piacula cervæ non sperat, XII, 120. — tragico concubitu pollutus adulter, II, 29. — apud tragicos nullus populus facit id scelus, XV, 31. — tragicis credamus, quidquid de Colchide dicitur, VI, 643.

Tragœdum commendare, VI, 396. — tragœdo gaudet Hispulla, VI, 74.

Trahit dispersos in populum, XV, 151. — famam a censu, XI, 23. — lanam, II, 54.—epirhedia trito collo, VIII, 66. — dominum cervice obstricta in jus, X, 88. — reliquos monstrata diu veteris orbita culpæ, XIV, 37.—summa rugam, XIV, 325. — attonitos in arcem, IV, 146. — traximus sensum a cælesti demissum arce, XV, 146. — trahere te ultro ac vexare paratus, XIII, 108. — qui trahitur (unco), X, 99. — traheretur taurus, XII, 11.

Trallibus relictis, III, 70.

Tranquillæ vitæ semita unica per virtutem patet, X, 364.

Transacta diurni, VI, 483.

Transducebat; *vid.* Traducit.

Transeo suppositos, etc. VI, 602; X, 273.—transit annus septimus puerum, XIV, 11. — transire cymba vadum tot millia, II, 151.—transi gymnasia, III, 114.—exempla, VII, 190.

Transfert frivola Ucalegon, III,

VAC VAC

Venefica una tanti constat? tanti partus equæ! VI, 626.

Venenum coctum loquar privignoque datum, VI, 133. — veneni annona numquam cara est his opibus, IX, 100. — emptor, VIII, 17. — mercator, XIII, 154. — veneno materno livida fervent adipata, VI, 631. — de veneno naturæ patriæque exiguum stillavit in aurem, III, 123.— venena fusa silent, VII, 169.—plura miscuit nullum vitium, XIV, 173.

Veneo; venit qua summula vilis tessera frumenti, VII, 174.

Venerabile ingenium, XV, 143. — tam venerabile erat, præcedere quatuor annis, XIII, 58.

Venerantur canem oppida, nemo Dianam, XV, 8.

Veneto culullo contentus (al. cucullo), III, 170. *V. L.*

Veniam dare quisnam hominum, quisve Deorum viribus abnuerit immania passis? XV, 103.— damus fortunæ, XI, 174. — dat his furor, II, 19. — dat corvis censura, II, 63. — indulge pueris, VIII, 167. — da, V, 42. — petit, VI, 535. — culpæ non abnuat, VI, 540.

Venio; unde venis? III, 292. — venit squilla parata manibus ministri, V, 83. — altera sicco naso, VI, 148. — illa rubicundula, VI, 425. — ad dubium nomen, VII, 110. — rarus in cœnacula miles, X, 18. — et Crispi jucunda senectus, IV, 81. — quoties umbra talis ad illos, II, 157. — puer ab illis montibus, XI, 160. — nemo repente turpissimus, II, 83. — epistola a Capreis, IV, 149; X, 71. — cum signatoribus auspex, X, 336.— maxima muræna de gurgite Siculo, V, 99. — ad nos minor altilis, V, 168. — quocumque de gramine, VIII, 60. — veniunt sagittæ a dote, VI, 139. — ad mœchum lota cute, VI, 464.— sic ad miscellanea ludi, XI, 20. — venerat albis pedibus, I, 111.—obses, II, 166. — venies Tirynthius, XI, 61. — veniet hædulus de agro, XI, 65. — classis, XIV, 277. — qui fercula componat, VII, 184.— quum veniet contra, etc. I, 160. — ante tamen veniet, III, 243.— conductus aquarius, VI, 332. — qui pulmentaria condat, VII, 185. — de plebe togata, VIII, 48. — venias ne suppositus, I, 98. — dignus hederis, VII, 29. — veniat quum lectica Mathonis, I, 32. — ultra molem aggeris, XVI, 27.— venient quando ad me Dii, si curant cunctos punire nocentes, XIII, 102. — veniant quæ diversæ sagittæ, VII, 156.— veneris postquam illinc, XIII, 161. — ad mensam quoties parasitus venerit infans, V, 145. — venisset Priamus ad umbras Assarici incolumi Troja, etc. X, 258. — venisse quem dicat puer, X, 216.—tarde Liburnus dicitur, VI, 477. — venientis amici oculis atria displiceant, XIV, 65. — venientis clipeo et hasta Dei effigies, XI, 106. *V. L.* — veniente sarraco, III, 255. — venturo hospite cessabit nemo tuorum, XIV, 59.

Venor; venantur in saltu aves generosæ, XIV, 82.

Venter Montani adest abdomine tardus, IV, 107. — si pascitur inguine, IX, 136. — ventris vacui furor, XV, 100. — ventri indulsit non omne legumen, XV, 174. — ventrem tuum ostendit, generose Britannice, VI, 124. — trepidum tibi solvunt cornua, XIV, 199. — in ventrem mersis rebus, XI, 40. — ventre nihil frugalius, V, 6. — in ventre necandi homines, VI, 596. — ventre (cum) lagenæ, XII, 60. — ventres servorum magno Romæ, III, 167. — servorum castigat modio iniquo, XIV, 126. — in ventres sævos abeant tota novalia, XIV, 149.

Ventidius et Tullius quid aliud

454. — tales qua voce legantur, quid refert, XI, 180. — versibus iisdem eadem cantabit, VII, 153. — Versus proceleusmaticus, III, 263. *V. L.* — sæpe excidit ob idem principium, II, 24. *V. L.* — hexametri optimis passim scriptoribus prosaicis exciderunt, V, 90. *V. L.*

Vertice vitem nodosam frangebat, VIII, 247. — sub montium insit, XI, 160. — recto quas portat, III, 252. — raso, V, 171; XII, 81. — verticibus s. vorticibus timidum caput abluet, VI, 524. *V. L.*

Vertigine tectum ambulat, VI, 304.

Verto; vertere solum, XI, 49. — nigrum in candida, III, 30. — verterit quum se annus, VII, 242. — vertitur summus aer, VI, 99. — verso pollice quem libet occidunt populariter, III, 36.

Verubus decoxit, XV, 82.

Verum si admittimus, III, 171. — si excutias, VI, 143. — est, VIII, 125. — ad verum omnia fient, VI, 325. — vero vitam impendere, IV, 91. — veræ paratur arenæ, VI, 251. — vera ac manifesta canens, II, 64. — tu puta, II, 153. — si Græcia, XIV, 240. — Charybdi dignum, XV, 17. — loquens, XVI, 33. — cruce dignus, VIII, 188. — res agitur, IV, 35. — bona atque illis multum diversa pauci dignoscere possunt, X, 3. — veram deprendere messem si libet, VII, 112. — probavit vocem adyti, XIII, 205. — veras agitant lites, VII, 168. — veris dissimiles speluncæ, III, 18. — veris lacrimis amissa ploratur pecunia, XIII, 134. — verius et magis ingenue Peribomius (agit), II, 15.

Verum, ut dissimules, IX, 70. — hæc nimia est impensa, XII, 97.

Vervecis elixi labra, III, 294. — vervecum in patria crassoque sub aere nasci posse summos viros, X, 50.

Vesci carnibus, XV, 13. — corporibus, XV, 106. — licet carnibus humanis, XV, 13.

Vesica vetulæ beatæ optima nunc via summi processus, I, 39. — vesicæ non imperat Tuccia, VI, 64.

Vestalis virgo, sacerdos vittata, jacebat nuper cum corruptore, sanguine adhuc vivo terram subitura, IV, 9, 10.

Vestam minorem colit Alba, IV, 61. — Janumque rogabat cum farre et vino, VI, 386.

Vester porro labor fecundior, VII, 98. — vestra, II, 52; VIII, 235; XIV, 220. — vestrum, V, 129. — vestram ad Dianam, III, 320. — vestras inter effigies, XIII, 119. — vestris datur alveolis illud quod, etc. V, 88.

Vestibulis abeunt clientes, I, 132. — in vestibulis quadrijuges, VII, 126.

Vestigia multa pudicitiæ aut aliqua exstiterint et sub Jove, VI, 14. — lecti repetit spreti, VI, 226. — dabit noster in laqueum, XIII, 244. — figens planta ancipiti, XIV, 272. — per tua omnia peccet filius, XIV, 53. — fugienda patrum ducunt reliquos, XIV, 36.

Vestinus senex, etc. XIV, 181.

Vestis pictæ aurum, VI, 482. — virum facit, V, 131. — vestem hanc populo mirante, II, 67. — Ogulnia conducit, ut spectet ludos, VI, 352. — purpuream fundite, XII, 38. — summam diducere, XIII, 132. — veste nigra senescant, X, 245. — severum vitium, XIV, 110. — vestibus extentis cucurrit prora, XII, 68.

Vestit quos ardens purpura, XI, 155. — vestitur bucca tiara, VI, 516. — porticus tabellis, XII, 100. — vestiti scorti facies, III, 135.

Veto nec te cædere pectus, XIII, 128. — vetat heredes esse suos codice sævo, X, 237. — Lucretia optari

ipsa, XIII, 180. — curabitis ut sit gravior quam injuria, XVI, 22. — nemo magis gaudet, quam femina, XIII, 191.

Vinosus inebriet aurem, IX, 113.

Vinum, quod succida nolit pati lana, V, 24. — capillato diffusum consule et bellis socialibus, V, 30. — Albanis de montibus aut de Setinis, cujus patriam titulumque senectus delevit multa veteris fuligine testæ, V, 33 sq. — toto nescire Decembri, VII, 97. — Tiberi devectum, VII, 121. — vini quot urnas Siculus Phrygibus donaverit, VII, 236. — atque sibi non eadem gaudia torpente palato, X, 203. — atque ministri eadem est patria, XI, 161. — vino et farre Janum Vestamque rogabat, VI, 386. — ciboque fervet stomachus domini, V, 49. — attonitæ feruntur et cornu, VI, 315. — vina non eadem vobis poni querebar, V, 51. — dabit diffusa in montibus illis, XI, 159. — exspuit, XIII, 213. *Conf.* Merum.

Violæ hic omnes jactabo colores, XII, 90.

Violare et frangere morsu porrum et cæpe, XV, 9. — violarent marmora tophum, III, 20. — violaverit quod non ignem de cælo raptum, XV, 84. — violatus nullo auro Jupiter, XI, 116. — violati numinis aræ, XIII, 219. — violatæ fidei de crimine quid sentire putas? XIII, 6. — violato cadurco, VI, 537.

Violentius quid aure tyranni? IV, 86. — quod fremat, VIII, 37.

Vipera sævissima, VI, 641.

Vir unus Iberinæ non sufficit, VI, 53. — tamen hæc ipsa nollet fieri, VI, 254. — viri aliquando prospiciunt, quid utile sit, VI, 360. — nulla cura interea, VI, 508. — morte cupient animam servare catellæ, VI, 654. — argumenta libris auctorum spargere gaudes, IX, 85. — dolor non debet esse flagrantior æquo, XIII, 12. — viro sitiente miscet rubetam, I, 70. — ecce traditur vir, I, 78; II, 129. — digna sententia vicit, IV, 136. — hoc prætulit, VI, 112. — imperat, VI, 224. — petente castra ægrotante quid faceret plus, VI, 389. — tunc illa gravis, VI, 270. — virum dormire quum senserat uxor, VI, 116. — egregium sanctumque si cerno, XIII, 64. — virorum cœtus quæ ferre possit, VI, 399. — saltatus nigro tibicine, XV, 48. — viris non curanda verba, VI, 455. — lassata, VI, 130. — viros respice et scrutare, II, 45. — admitte, VI, 329. — quot longa Maura exsorbeat uno die, X, 223. — non esse licet, X, 304. — summos et magna exempla daturos verveeum in patria crassoque sub aere nasci posse, X, 49.

Virentem glebam ornate ac molles focos, XII, 85.

Virga multa deducere (al. contingere) fumosos Equitum cum Dictatore magistros, VIII, 7. — prior adnuet Lateranus, VIII, 153. — commota innuit, III, 317. — virgæ metuens, VII, 210. — virgam tenentis domini vox, XIV, 63. — virgas frangis sociorum in sanguine, VIII, 136. — ipsas te Consule præcedant mores, VIII, 23. — humilis salicti mordere nondum ausus hædulus, XI, 67.

Virgilio si puer et hospitium tolerabile deesset, caderent omnes a crinibus hydri, etc. VII, 69 sq. — laus insignis tribuitur, XI, 178, 179. — Virgilium laudat, periturae ignoscit Elissæ, VI, 435 sq. — a Virgilio loquendi formæ sumuntur, I, 169. Conf. *N.*

Virginia cuperet Rutilæ gibbum, X, 294.

Virginius quid armis debuit ulcisci magis? VIII, 221.

Virgo filia non tuta, III, 110. —

nescant, X, 243 sq. — vivitur si coram Lepidis male, VIII, 9.—victurus an sit adulter post ipsam, VI, 567.— victuro musto quis plura linit dolia? IX, 58.

Vivus cur dederit multa puellæ, II, 59. — vivo adhuc sanguine terram subitura sacerdos, IV, 10.—jam decrescebat Homero hoc genus, XV, 69. — patre datur solis militibus testandi jus, XVI, 52.

Vix ferret, III, 251. — duo funera tantum redolent, IV, 109. — fractus panis, V, 68. — cui in Cyclada mitti contigit, VI, 563.— jacet aurato ulla puerpera lecto, VI, 594. — tota hoc ego nocte redemi, IX, 76. — cornicines exaudiet, X, 214. — exiguam malorum particulam ferre potes, XIII, 14. — dicere possis, XIV, 150. — cuiquam nasus integer, XV, 55.— numero vix stant totidem quot Thebarum portæ, XIII, 26. — vix ceperat, XIII, 74.

Vocalis sportula, XIII, 32. — vocale eloquium nectit modis canoris, VII, 19.

Vocat ille pudicam tanti, VI, 137. — si officium, III, 239. — vocamus nanum cujusdam Atlanta, VIII, 32. — vocant jumenta, III, 316. — vocarit quocumque spes lucri, classis veniet, XIV, 277. — vocantem te ad delubra præcedit, XIII, 107. — ad jura plorare, XV, 135. — vocantur in consilium proceres, IV, 72. — hilares nitidique, XI, 176. — vocari a præcone Trojugenas jubet, I, 99. — vocatus adest minister, V, 63. — vocato tortore uritur, XIV, 21. — vocandus mihi sæpe est ad partes, IV, 1.

Volat mater ad pullos, X, 232. — volabant corvi ad Cimbros stragemque, VIII, 251. — volantem fabrum quid magis agitem, etc. I, 54. — volanti cultello structorem spectes saltantem, V, 121.

Volcanus, ut volgus, volnus, volsus, voltus, I, 9. *V. L.*

Volesos Brutumque decebunt, quæ turpia cerdoni, VIII, 182.

Volo hoc, sic jubeo, sit pro ratione voluntas, VI, 223. — nec volo, nec possum funus promittere patris, III, 44. — vis tu (al. vin' tu) audax conviva impleri, etc. V, 74. — si vis esse aliquis, I, 74. — consilium si vis, X, 346. — vis frater ab ipsis ilibus? V, 135. — si vis aliam decerpere ficum, XIV, 253. — damnetur, si vis, II, 69. — domini rex si vis tu fieri, V, 138. — quantum vis stipulare, VII, 165. — visne salutari sicut Sejanus? vis certe pila, etc. X, 90, 94.—vult qualem esse Cereris sacerdos, XV, 141. — quando formosa videri domi? VI, 465. — qui dives fieri, et cito vult fieri, XIV, 176. — dolor solus patriam fugientibus volunt scire secreta domus, III, 113. — posse, qui nolunt occidere quemquam, X, 97. — voluit quoties Fortuna jocari, III, 40. — ipse rhombus capi, IV, 69. — voluere majores, præceptorem esse parentis sancti loco, VII, 209. — voles qualiacumque, Judæi somnia vendunt, VI, 547. — de quocumque proavum tibi sumito libro, VIII, 134. — quodcumque volet, decernat Isis, XIII, 92. — volet illa commendare tragœdum, VI, 397. — si Fortuna, fies de rhetore consul, si volet hæc eadem, fies de consule rhetor, VII, 197. — nil vetitum fecisse, XIV, 185. — velim ipsi pauca, V, 107. — scire, quare, etc. IX, 1. — velis ni parere, pereundum erit, X, 339. — si esse in parte Senatus, XI, 30. — velit quid plus ira, XIII, 176. — velint omnes nosse, mercedem solvere nemo, VII, 157. — quod velles, ut faceres tu, olim convenerat, VI, 282. — vellet si distendere, VI, 598. — quisquam Deorum huic servire?

detur gallina marito, III, 90. — ad jucundam curritur, VII, 82.—omnem adyti dignam templo veramque, XIII, 205. — voce ipsius dominæ moneri, VI, 530. —. qua legantur tales versus, quid refert, XI, 180. — fracta loquendi libertas, II, 111. — magna solebat vendere, IV, 32. — quanta neget, XIII, 77. — cum voce trementia membra senis, X, 198. — voces magnas comitum disponere, VII, 44. — vocibus obscœnis omnique libidinis arte fruatur, XI, 172.

Vulcania arma, VIII, 270.

Vulcanus tergens brachia Liparæa nigra taberna jam siccato nectare, XIII, 45. — Vulcani antrum, I, 9. — officinæ, XIII, 45. — Vulcano a luteo ad rhetora misit filium, X, 132. — Vulcano, Veneris marito, dona, quæ componis, VII, 25.

Vulgus imbelle et inutile sævit hac rabie, XV, 126. — montanum positis te audiret aratris, II, 74. — vulgi verso pollice quemlibet occidunt populariter, III, 36. — scelus referemus, XV, 29. — omne cadaver obtritum perit, III, 260. — nostri pars ultima, VIII, 44. — tanta libidine auditur, VII, 85. — curas nec non et gaudia ridebat, X, 51. — secreta hæc murmura, X, 89. — quid majore cachinno excipitur, quam pauper Apicius, XI, 3. — vulgo quem tua simplicitas risum moveat, nescis, XIII, 35. — summus utrimque inde furor, XV, 36.

Vulnus par damnorum, VIII, 98. — numquam sanabile, XV, 34. — vulnere omni gravior ignominia, VIII, 210. — non major dolor, XIII, 12. — consuto crassum atque recens linum ostendit non una cicatrix, III, 150. — ingenti nutans civis, XV, 156. — sine vulnere paucæ malæ, XV, 54. — sine vulnere et cæde ad generum Cereris pauci descendunt reges, X, 112. — vulnera rubra deterges mappa, V, 27. — pali quis non vidit? VI, 247. — vulneribus crudis populus modo victor, II, 73. — pro multis vix jugera bina dabantur, XIV, 164.

Vulsinii positi inter juga, III, 191.

Vultur crucibus relictis ad fetus properat, XIV, 77. — in rupibus nidum facit, raro in arbore, XIV, 80. — vulturis atri pœna, XIII, 51. — magni cibus, XIV, 79. — vulturibus Dacis qui viscera servabat Fuscus, IV, 111.

Vultus quis illi erat? X, 68. — gravis, IX, 12. — ingenui puer, XI, 154. — ficti constantia, XIII, 77. — vultum alienum sumere omni nocte dieque, III, 105. — nudum erigit ad spectacula, VIII, 205. — tandem aperit, VI, 467. — ut si quis cera facit, VII, 238. — non agnoscit amici, X, 234. — crediderint genus esse cibi, XV, 170.— deformem et tetrum dissimilemque sui adspicere, X, 191. — modesto sanguine ferventem tribuat natura, X, 300. — auremque calentem referens, XI, 187. — vultu incessuque fatetur morbum, II, 17.— recto hoc optas, X, 189. — et veste severum vitium, XIV, 110. — non melior ibat, IV, 104. — teterrima, nocte subit balnea, VI, 418. — cum vultu qualem deprensus habebat Ravola, IX, 3. — similis tibi, XIV, 52. — Eumenidum terretur et igni, XIV, 285. — vultus pictos majorum ostendere, VIII, 2. — jam dimidios adspiceres cuncta per agmina, XV, 56.

Vulva popinæ quid sapiat, XI, 81. — vulvæ rigidæ tentigine adhuc ardens, VI, 129. — vulvam Julia solveret fecundam tot abortivis, II, 32.

ZEL

XER

ΖΩΗ

TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

LIBER TERTIUS (continuatur).

LIBER QUARTUS.

LIBER QUINTUS.

FINIS SECUNDI VOLUMINIS.

